


CODEX

MEDICAMENTARIUS

EUROPAEUS.

SECTIO SECUNDA

PHARMACOPOEAM
GALLICAM

CONTINENS.

LIPSIAE
APUD FR. FLEISCHER
1819.

CODEX MEDICAMENTARIUS

SIVE

PHARMACOPOEA GALLICA

JUSSU REGIS OPTIMI

ET EX MANDATO SUMMI RERUM INTERNARUM REGNI ADMINISTRI

EDITUS

A FACULTATE MEDICA PARISIENSI

ANNO 1818.



LIPSIAE

APUD FR. FLEISCHER

1819.

EXTRAIT
DE
L'ORDONNANCE DU ROI
SUR LA PUBLICATION
DU
NOUVEAU CODE PHARMACEUTIQUE.

Au château des Tuilleries, le 8 août 1816.

LOUIS, par la grâce de Dieu, Roi de France et de Navarre,

A tous ceux qui ces présentes verront, salut:

Nous nous sommes fait rendre compte de l'exécution de l'article 38 de la loi du 11 Avril 1803, qui a prescrit la rédaction d'un nouveau *Codex* ou Formulaire, contenant les préparations médicales et pharmaceutiques, et nous avons vu avec satisfaction qu'une Commission, composée de Professeurs de la Faculté de Médecine et de l'Ecole de Pharmacie de Paris, venait de terminer ce travail, auquel elle s'est livrée avec le plus grand zèle pendant plusieurs années.

La dernière édition du *Codex*, dont l'usage avoit été ordonné par l'arrêt du Parlement de Paris, du 23 juillet 1748, est épuisée depuis longtemps. Cet ouvrage d'ailleurs ne pouvait plus être au niveau des sciences chimiques qui ont fait tant de progrès depuis un demi-siècle; aussi la publication d'un nouveau *Codex* était-elle généralement désirée.

Nous avons reconnu que la Commission a mis à profit les connaissanes acquises dans ces derniers tems sur la Médecine, la Chimie, la Pharmacie et la Matière médicale, et que son travail a en outre de nombreux avantages sur l'ancien, par sa rédaction et sa classification méthodique des objets qui y sont traités.

A ces causes, sur le rapport de notre Ministre Secrétaire d'Etat de l'Intérieur,

Nous avons ordonnés et ordonnons ce qui suit:

Art. 1er. Le nouveau Formulaire pharmaceutique, redigé par les Professeurs de la Faculté de Médecine et de l'Ecole de Pharmacie de Paris, et intitulé *Codex Medicamentarius* seu *Pharmacopoea Gallica*, sera imprimé et publié par les soins de notre Ministre Secrétaire d'Etat de l'Intérieur.

Art. 2. Dans le délai de six mois, à dater de la publication du nouveau *Codex*, et du dépôt qui sera fait à la Bibliothèque royale du nombre d'exemplaires prescrit par la loi, tout Pharmacien tenant officine ouverte dans l'étendue de notre royaume, ou attaché à un établissement public quelconque, sera tenu de se pourvoir du nouveau *Codex*, et de

s'y conformer dans la préparation et confection des médicamens.

Les contrevenans seront soumis à une amende de cinq cents francs, conformément à l'arrêt du Parlement de Paris du 23 juillet 1748.

Art. 4. Notre Chancelier de France, chargé par intérim du porte-feuille du département de la Justice, et nos Ministres Secrétaires d'Etat de l'Intérieur et de la Police générale sont chargés de l'exécution de la présente Ordonnance qui sera insérée au Bulletins des Lois.

Donné en notre château des Tuilleries, le huit août, l'an de grâce dix-huit cent seize, et de notre règne le vingt-deuxième.

Signé: LOUIS.

Par le Roi:

Le Ministre Secrétaire d'Etat au Département de l'Intérieur,

Signé: LAINÉ.

PRAEFATIO.

Jam dudum, et antiqui Codicis exemplarium penuria, et Chymicarum rerum incrementum, et inde nata linguae novae necessitas, auctaque medicamentorum potentium suppellex, novam requirebant medicamentarii Codicis editionem, refertam quidem minori compositionum turba, simplicium autem confectione emendatiorem et auctiorem.

Ad hoc opus, jubente non semel summo rerum internarum regni administro, ut sese accingeret Medicinae Facultas Parisiensis, elegit, quibus Codicis hujus conficiendi curam committeret, Professores *Le Roux* decanum, *Deyeux*, de *Jussieu*, *Vauquelin*, *Richard*, *Percy*, *Hallé;* et Scholae Pharmacopoeorum Parisiensis operam quoque invocavit, a qua lecti fuerunt Scholae ipsius Professores *Henry*, *Vallée*, *Bouillon-Lagrange*. Labori dum incumberent omnes, medio in opere, fato misere cessit unus e Pharmacopoeis *D. Vallée*, in cujus locum suffectus est D. *Cheradame* ejusdem Scholae antiquior socius et quaestor.

Symbolam ad opus perficiendum unusquisque contulit suam, non consilio tantum in consessibus, sed et proprio quisque labore propriaque experientia.

Primas operis lineas jam adumbraverat D. *Deyeux*; incoeptique hujus capita et sectiones primo omnium simul examini subjiciebantur bis in hebdomade.

Experimenta deinde non pauca, ad Pharmaceuticen, ad Medicamentorum naturam melius perspiciendam, et ad Methodum qua singula consociari in formulis praescribique possunt, utilia peregerunt DD. *Henry*, *Vauquelin*, *Vallée* et alii. Quaecumque experimenta attulimus, nullo autoris addito nomine, a D. *Henry* peracta sunt.

Materiae Medicae catalogum susceperunt DD. de *Jussieu*, *Richard*, *Vauquelin*, *Henry*.

Alii plurimi Medicos inter Pharmacopoeosque Parisienses viri, operi quoque bene consuluerunt; quos inter DD. *Boudet*, *Guilbert*, *Duchâtelle*, *Baruel* nominare aequitatis est. Plurima hausimus ex collectaneis quibus titulus est *Bulletin de Pharmacie*, ac nuperrime *Journal de Pharmacie et des Sciences accessoires*, inter omnia quae in hunc censum referri debent, nulli certe postponendum opus. Multa ex scriptis, programmatibus, dictisque D. *Chaussier* optima mutuavimus, cujus societate atque opera, ignotum quo fato, carere debuimus. Non pauca etiam utilia ex scriptis *Baumé*, *Parmentier*, *Planche*, *Boulay*, *Robiquet*, *Cadet*, *Pelletier*, *Virey*, *Swediaur* et aliorum excerpsimus; plura praeterea ex Pharmacopoeis exteris recentioribus, praecipue *Suecâ*, *Berolinensi*, *Batavâ*, *Petropolitanâ*, *Londinensi*, *Edinensi*, speciatimque ex D. *Niemann* ad Pharmacopoeam Batavam *additamen-*

tis, quorum ope fruimur quodam veluti Pharmacopoeae universalis specimine, quod quibusdam certe mendis non caret, sed plurimis refertum est utilibus, non quoad copiam tantum, sed etiam quod Medicamentorum analysim spectat, judiciumque saepe non parvi faciendum doctissimi viri.

Ordinis demum totius latinitatisque cura commissa est D. *Hallé*, cui sociam contulere operam de *Jussieu*, *Richard* et alii.

Singulorum et omnium opus, ut conficiebatur, in consessibus perlectum, perpensum et emendatum, typis demum committendum jussit summus rerum internarum regni administer, voluitque, Rege optimo annuente, titulum operi inscribi: CODEX MEDICAMENTARIUS SIVE PHARMACOPOEA GALLICA *). Typorum curandorum provinciam demandavit idem D. HACQUART, Parisiensi Typographo; utque exemplaria typis primum cedebant, novo rursus erant examini subjecta; novisque uti demum absoluta videbantur emendationibus, praelo mandabantur.

Praecipuus Codicis hujus finis cum sit, ut eadem ab omnibus methodo confecta medicamina, ubique et semper similia habeantur, et sibi perpetuo constent ; ordo in eo exarando necessario desumptus est ab ipsis Pharmaceuticis operibus. Adeoque in Sectiones decem partitum est opus; quarum hi sunt tituli:

1°. PRAEPARATIONES MEDICAMENTORUM SIMPLI-

---

*) Bulletin des Lois, 1816, 106, Ordonnance, n° 1003.

CIUM ET CAUTELAE PHARMACEUTICAE; cujus sectionis capita sunt:

Delectus, *Exsiccatio*, *Asservatio et Renovatio*, *Purgatio et Mundatio*, *Dispositio et Aptatio*, *in Pulverem Resolutio*.

2°. MATERIAE E SIMPLICIBUS INTEGRIS, ELEMENTIS PARUM IMMUTATIS DEPROMPTAE; talia sunt:

Succi expressi, *Faeculae*, *Olea expressa*, *Pulpae*, *Serum Lactis*.

3°. MATERIAE IN SIMPLICIBUS FERMENTANDO EVOLUTAE;

Unico impletur capite, unicoque exemplo *Vino ex Hydromelite*.

4°. MATERIAE EX SIMPLICIBUS DESTILLANDO ELICITAE; huc referuntur

Aquae stillatitiae, *Olea volatilia odorata*, *Alcool et Alcoolata*, *Sales et Olea volatilia pyrogenaea*.

5°. SOLUTIONES MEDICAMENTORUM VARIIS LIQUIDIS PARATAE; inter quae numerantur quaecumque solvuntur

Aqua, *Vino et Cerevisia*, *Aceto*, *Oleis*, *Alcoole*, *Aethere*, *variis liquidis cum Saccharo aut Melle*.

6°. MATERIAE E SOLUTIONIBUS INSPISSANDO EXTRACTAE; hoc sub titulo habentur

Mucagines, *Gelatinae*, *Extracta*, *Resinae*.

7°. MEDICAMENTA PER ANALYSIM CHYMICAM E CORPORIBUS ELICITA; qualia sunt

Acida, *Alkalia et Subcarbonates Alkalini*, *Metalla et Oxida Metallica*, *Sulfur*, *Phosphorus*, *Carbones*.

8°. MEDICAMENTA PER SYNTHESIM EX UNITIS PER

CHYMICAS AFFINITATES ELEMENTIS COMPOSITA; hic exponuntur operationes quibus conficiuntur

Aetheres, *Acida Alcoolisata*, *Sales*, *Sulfureta*, *Sapones*, *Aquae Minerales arte factae.*

9°. MEDICAMENTA EX MIXTIS TANTUM SIMPLICIBUS AD USUM PRAECIPUE INTERNUM CONFLATA; talia sunt

Species, *Pulveres compositi*, *Massae molliores*, *Conservae*, *Tabellae*, *Electuaria et Opiatae*, *Pilulae et Boli.*

10°. MEDICAMENTA MISTIONE AUT FORMA AD USUM EXTERNUM PRAECIPUE DESTINATA; in hunc numerum recensentur

Cataplasmata, *Fomenta*, *Collyria*, *Linimenta*, *Cerata*, *Adipes medicati*, *Unguenta Oleoso-Resinosa*, *Unguenta solida et Emplastra*, *Telae medicatae et Cereoli et Glandes suppositoriae*, *Escharotica et Cathaeretica*, *Suffumigationes.*

His sub titulis, suo quaeque ordine et numero, Formulae Medicamentorum variae dispositae sunt; et huic divisioni praefixus praeterea est Materiae Medicae, e Vegetantibus, Animalibus, Mineralibusque desumptae CATALOGUS.

Ac primum in MATERIA MEDICA, singulorum characteri breviter e Botanicis, Zoologicis, aut Mineralogicis scriptis desumpto, quantum licuit, addidimus peculiares sinceritatis notas, ubicumque aliquis aut errori, aut fraudi posset esse locus.

In ista quoque conficienda hujus operis parte, cum inter nos ambigeretur num in hunc censum ea

tantum essent conscribenda, quae usu quotidiano hodie comprobata sunt, an potius plura etiam antiquitus usurpata, quantumvis nunc aut neglecta, aut despecta, admitterentur; re attentius considerata, credidimus non parvi interesse ad utilitatem virorum nostrorum veterum scripta legentium, aut observata apud exteras vel et remotissimas gentes revolventium, si quae in tanta temporum locorumque varietate accepta fuerunt, cum nostris eodem in catalogo recensita intueri, et nominum composita diversitate interpretari liceret. Praeterea hodie quoque vidimus non pauca dudum aut deserta, aut contempta, aut reformidata, atque ideo rarius adhibita quasi cecidisse, nostris denuo temporibus in usum fuisse revocata; ut de *Lichene*, *Viola tricolore* quibusdam *Jacea* dicta, *Narcisso*, sed praecipue de *Cicuta*, *Arnica*, *Digitali*, *Aconito*, *Anemone pulsatilla*, *Belladona*, *Strychno*, etc. satis notum est. Neque minus interest numerum et nomina nosse quorumdam, quae uti succedanea in eorum locum quibus utimur, si quando deficiant, suffici valent. Neque ea quae ad chymiam aut oeconomiam tantum pertinent omnino silenda credidimus. Superfluitatem igitur maluimus quam inopiam.

In *Formulis* autem *conscribendis* eam nobis curam praecipue impositam esse credidimus, ut incertum nihil ambiguumve prae se ferret, aut Medicamentorum quae natura ipsa suppeditat apparandorum ratio, aut ars ea conficiendi quae Pharmacopoeorum industria enascuntur, aut methodus ea mi-

scendi quae in compositis non incondite neque promiscue consociari debent.

Haec inter praeparata, alia sunt quae in officinis praesto esse debent et OFFICINALIA dicuntur, alia quae Medico praescribente ex tempore ut plurimum apparanda sunt, et dici solent MAGISTRALIA. Verum haec ipsa, ut medicus pro indicationum ordine disposita plerumque enuntiat, non eadem tamen lege a Pharmacopoeo, sed pro elementorum quibus constare debent analogia consociari convenit, quorum scilicet compositio Chymicis subjacet necessario legibus. Ideoque nonnulla magistralium exempla contulimus, non quae medentum sagacitati, sed Pharmacopoeorum solummodo diligentiae proponeremus, ut inde pateret quaenam in similibus, pro re nata, exequendis perficiendorum norma esset utilior. Hujus census ea sunt prope omnia, quae inter solutiones aquosas recensuimus, plerasque mixtionum praeferentia varietates, ut vario quaeque modo et ordine conficienda sunt.

Quod autem ad OFFICINALIA spectat, alia simplicia sunt, alia ex pluribus composita; quae seorsim in singulis sectionum capitibus generatim seposuimus. *Composita* autem ea tantum admisimus, quae frequentius apud Pharmacopoeos nominatim aut a medentibus ipsis, aut a vulgo quotidie requiruntur. Quantumvis enim multa ex hoc medicamentorum Catalogo expungenda primo intuitu viderentur, ut simplicioribus locum darent, nostri juris esse non credidimus iis quasi interdicere, quae adhucdum in usu quotidiano sunt, et ab ipsis artis antistitibus sae-

pius requiruntur. Quaedam igitur, pauca tamen, servavimus; neque ea temere, pro arbitrio ut plurimum immutanda censuimus, nisi in iis quae ipsi Pharmacopoeorum arti propria sunt; etenim injuste factum certe videretur, si cuivis medicamentum poscenti daretur aliud, quam quod ipse suscepisse credat. Theriacam igitur et similia in officinis apud nos non prostare quis sustineret, et si prostant, cur non esset sancitum qua lege debeant confici? Quantumvis igitur aliter sentierint exterarum Pharmacopoearum conditores, servanda adhucdum nec temeranda credidimus ea, quae tum a medicis, tum a vulgo ipso saepius usurpari solent.

Verumtamen, dum ista consuetudini concessimus, ut faveremus quoque simplicitati, in maxime compositis notavimus ea quae praecipuam vim toti medicamento conciliant; et ipsa haec vel titulo inscripto, vel literarum differentia, vel peculiari annotatione ita indicavimus, atque insuper eorumdem rationem ad totam compositi molem sic statuimus, ut e multiplicibus simplicia ejusdem virtutis facile, pro lubitu, erui possint. Sic in ipsis magni nominis farraginibus seu Electuariis, ut Diascordio et Theriaca, turbam simplicium ordinatam, et in summas, pro varietate virium, glomeratam ita digessimus, ut totius hac methodo quasi medica analysis haberetur. Et praeterea in antiquissima omnium Theriaca, Chymicam quoque elementorum analysim, D. *Guilbert* industria comparatam, addidimus. Illa etenim quae apud antecessores laudis magnae viros diu accepta sunt, et adhucdum a coaetaneis plurimis utiliter

usurpantur, perspicere praestantius certe est, quam despicere.

Praeter haec Composita, antiquitus in Codicibus conscripta, neque in praxi obsoleta, paucissima quoque ab exteris Pharmacopoeorum Codicibus utilia mutuavimus. Nec non et alia, inter arcana quaedam usitatiora, vulgo in officinis prostantia, quae nunc aut nobis certo innotuere, aut analyseos ope sat plene detecta sunt, juris publici facienda credidimus, ne temere utentibus periculum impenderet ignoti aut incerti medicamenti. Hoc scilicet publicae securitati dandum duximus. Neque certe cuiquam videbitur ingenuum hoc, aut conveniens Medicorum Pharmacopoeorumve dignitati, si quivis illorum, qui se saluti publicae devotos profitentur, quaedam arcana propria sibi servaret venditaretque, lucri causa, turpis in autorem, in commune bonum periculosi.

Caeterum, nisi necessitas, et usus, et consuetudo urgerent, rectius certe, paucis exceptis, compositorum pleraque a Codicibus nostris exularent. Scilicet melius profecto consuleretur et aegris et arti, si non aliis uteremur, quam quae, apta loco, et constitutioni et conditioni aegrotantium, singulatim et convenientius a medico, pro re nata, concinnarentur et praescriberentur.

Ea nos idcirco, prae ceteris, sollicitavit cura, ut *Simplicia* quae sub ipsis artis operibus enascuntur, pura promantur sinceraque, atque elementorum, quibus constant, ratione non leviter perspecta. Inde enim et eorum ipsorum certior vis atque utilitas,

et compositorum in quae coalescunt conditio perfectior evadit. Talia certe, ob nova Chymicae artis incrementa, hodie a nobis maxime requirebantur. Inde factum est, ut, in exponendis modis operandi, incusationem simus veriti non tam prolixitatis, quam incuriae. Multa adeo saepius experiendo ipsi tentavimus confecimusque, atque in his praecipue D. *Henry*, in magna nosocomiorum officina, praesto fuit cura et solertia. Sic in Tincturis seu solutionibus aut Alcoolicis, aut Aethereis, non Alcoolis tantum densitatem ex areometro, sed solutae materiae rationem analysi comprobatam, sedulo indicavimus.

Ad id etiam multa nostris temporibus neotericorum inventa nos adduxere, ut quaedam aut indigitaremus rursus neglecta diu atque praetervisa, aut ante conjuncta secerneremus, quae vere inter se differunt, et ea novis medentium tentaminibus objiceremus. Hoc autem imprimis praestitimus et in Opii extractis diversimode paratis, et in Oxydorum Saliumque Metallicorum nonnullis varietatibus, praecipue Ferri, Hydrargyri, Stibii, Zincique, tanti medicis in rebus momenti, variaeque adeo, pro singulorum statu, efficaciae. Titulos ideo, verae singulorum naturae indices, praeter nomina vulgaria, cuique praefiximus, et saepius, ubi inter Chymicae artis magistros non jam ea de re disceptatur, recentiorem nomenclaturam interseruimus.

En igitur instrumenta artis; Artem vero ipsam nullatenus! Perverse enim de re nostra sentiunt, si qui vim Medicinae in novis perquirendis medicaminibus et formulis exarandis sitam esse credunt, neque

artem satis increvisse putant, si quidquam in rerum natura intentatum inexpertumque reliquerint. Novimus equidem, certe non multos, scrutatores Naturae sedulos, prudenter audaces, veritati potius studentes quam famae, in experimentis periculosis difficilisque judicii, dum fausta, simulque infausta iniquo non pressa silentio, justa lance perpenderent, medicam veris auxisse materiam divitiis, ipsasque venenorum insidias feliciter in salutis praesidia convertisse. Nostris tamen temporibus ista quorumdam animis videtur ita insedisse vesania, ut nihil apud aegros actum arbitrentur, nisi commotis magna medicamentorum vi corporibus, naturae minime auscultantes, sed aleatoriae medicinae piacula veluti miracula ostentantes; ausi deserere vestigia *Hippocratis*, *Aretaei*, *Celsi*, *Fernel*, *Baillou*, *Sydenham*, *Stahl*, *Torti*, *Baglivi*, *Boerhaave*, *Hoffmann*, *Huxham*, *Pringle*, *Swieten*, *Stoll*, *Bordeu*, *Lorry*, *Barthez*, etc., tantorum tantaeque doctrinae virorum! *Dii meliora piis, erroremque istum nulli mortalium!*

Nos vero meminerimus multo minus medicamentis artem scientiamque nostram inniti, quam medendi methodo ex ipsius naturae studio comparata; neque novas secure et utiliter experiendo posse vias iniri, nisi perspectis servatisque Oeconomiae legibus, quarum phaenomena perpetuo intueri sapientium est, quibus obsistere, quae spernere argumentum est aut superbiae juvenilis, aut turpis ignorantiae.

ORDO TOTIUS OPERIS.

CODICIS MEDICAMENTARII MATERIA MEDICA.

CODICIS MEDICAMENTARII FORMULAE.

Sectio I. *Praeparationes Medicamentorum simplicium et cautelae Pharmaceuticae.*

SECT. II. *Materiae e Simplicibus integris, elementis parum immutatis, depromptae.*

Succi expressi, Faeculae, Olea expressa, Pulpae, Serum Lactis.

SECT. III. *Materiae in Simplicibus fermentando evolutae.*

SECT. IV. *Materiae ex Simplicibus destillando elicitae.*

Aquae stillatitiae, Olea volatilia odorata, Alcool et Alcoolata, Sales et Olea volatilia pyrogenaea.

Sect. VI. *Materiae e Solutionibus inspissando extractae.*

Mucagines, Gelatinae, Extracta, Resinae.

Sect. VII. *Medicamenta per analysim Chymicam e corporibus elicita.*

Acida, Alkalia et Subcarbonates Alkalini, Metalla, Sulfur, Phosphorus, Carbones.

SECT. VIII. *Medicamenta per Synthesim, seu ex unitis arte Chymica elementis composita.*

Aetheres et Liquores Aetherei Alcoolisati, Alcida Alcoolisata, Sales, Sulfureta, Sapones, Aquae Minerales arte factae.

c *

SECT. IX. *Medicamenta ex mixtis tantum Simplicibus conflata.*

Species, Pulveres compositi, Massae molliores, Conservae, Tabellae, Electuaria seu confectiones et Opiatae, Pilulae et Boli.

APPENDIX.

Omissa quaedam, aut quae potiori methodo possunt confici.

CODICIS MEDICAMENTARII MATERIA MEDICA.

MATERIAE E MINERALIBUS, VEGETANTIBUS ET ANIMALIBUS DESUMPTAE.

I. MATERIAE E MINERALIBUS DESUMPTAE.

Quibus nonnullae annumeratae sunt, quantumvis a Vegetantibus originem ducant, praecipue Salinae, quae a Chymicis officinis majoribus in usum Medicum suppeditantur.

ACETAS Cupri crudus. — Aerugo.

Acetate de Cuivre brut. — Vert de Gris.

Sal, Acetate Cupri solubili, et Sub-Acetate non solubili mixtum. In massas concretum ex viridi caerulescentes, quas ovium pellibus involvere solent. Cuprum intense sapit, inquinatur particulis Cupri metallicis, et mixtis vinacearum reliquiis.

Conficitur ex Cupreis laminis, quas vinaceis contegunt, et sic erodi sinunt, dum fermentant vinacea.

ACETAS Cupri in crystallos concretus. — Crystalli Veneris.

Acetate de Cuivre crystallisé. — Verdet ou Crystaux de Vénus.

Paratur ex Acetate Cupri crudo Aceto soluto, et concreto in crystallos bacillis in ipso liquore suspensis cohaerentes, forma pyramidis quadrangula, apice trunco,

primum obscure et intense virides, aëris deinde contactu pallidiores et caerulescentes, aqua omnino solubiles.

ACETAS Plumbi in crystallos concretus. — Sal *vel* Saccharum Saturni.

ACETATE de Plomb crystallisé. — Sel ou *Sucre de Saturne.*

In officinis, magna sub mole, in artium usus, apparatur. Aqua solvitur, colore albo, sapore subdulci, quasi Sacchari, sed styptico.

Acidum Arseniosum. *Vide* OXIDUM Arsenici.

ACIDUM Muriaticum. — Spiritus Salis. — Acidum Hydro-Chloricum. N. R. (1).

ACIDE Muriatique. — Esprit de Sel. — Acide Hydro-Chlorique.

In officinis majoribus paratur; liquidum est, colore flavo, fumos emittens, nec sincerum sic habetur, multos tamen in usus aptum satis, nec ad usus ipsius Pharmaceutices ineptum, si pro externis tantum praeparandis adhibeatur.

Densitas ipsius subsistit inter 2, 17 et 1, 21.

ACIDUM Nitricum. — Spiritus Nitri.

ACIDE Nitrique. — Esprit de Nitre.

Liquidum est, et colore carens si purum, fumosque emittit albicantes; densitate inter 1, 30 et 1, 37 subsistente. Cutem et organicas materies flavo colore inficit. Ex Nitrate Potassae elicitur, mediante Argilla, aut etiam Acido Sulfurico.

ACIDUM Sulfuricum (2). — Oleum Vitrioli.

ACIDE Sulfurique. — Huile de Vitriol.

Oleum lentore mentitur, colore caret. Densitas est 1, 842. Organicae materies eo instillato nigrescunt. Elicitur e Sulfure combusto, admixto Nitrate Potassae.

---

(1) Scilicet nomenclatura recentiori.

(2) Cum *Sulfur* aut *Sulphur* aequali veterum auctorum gravitate scribere liceat, neque haec vox e Graeco fonte deducta sit, in ipso formularum Codice inscribere plerumque praetulimus *Sulfur*, *Sulfuricus*, *Sulfuretum*, etc.

Aerugo. *Vide* ACETAS Cupri Crudus.
Alumen. *Vide* SULFAS Acidus Aluminae.
Antimonium Crudum. *Vide* SULFURETUM Stibii.
Antimonium Regulinum. *Vide* STIBIUM.
AQUA. — Oxidum Hydrogenii.
Eau. — Oxide d'Hydrogène.

Constat ponderibus Oxygenii et Hydrogenii quibus habetur Oxygenii ratio o ,88 Hydrogenii vero o ,12.

Varios, pro ipsius origine et soli unde scaturit natura, prae se fert sinceritatis gradus. Sequentes praecipue annotari merentur Aquae.

AQUA Fontana.
Eau de Fontaine.

Pro terrarum quas permeat varietate, varias quoque materies secum trahit et solvit. Saepius oneratur Carbonate et Sulfate Calcis.

Id ipsi commune cum aliis est, ut quo plus aëris ex atmosphaera soluti ipsi inhaeserit, eo sentiatur gustu suavior, et alimentorum digestioni faveat melius.

AQUA Pluvialis.
Eau de Pluie.

Si post tempus aliquod elapsum ab imbris initio, in vasis siliceis fictilibus, aut faventinis, aut vitreis, ab ipsa atmosphaera, decidua excipiatur pluvialis Aqua, tectis et colliciis non mediantibus, aëre satura habebitur et invenietur omnium fere purissima.

AQUA Fluviatilis.
Eau de Rivière.

Ut ex terris unde scaturit fontana, ita et ex alveorum per quos decurrit constitutione naturam mutuatur suam Fluviatilis Aqua. Sequanensis, antequam Parisios alluat, inter purissimas numeratur; quamvis Sulfatis Calcis aliquantulum teneat, et Materiae ex Vegetantibus solutae.

AQUA Mineralis.
Eau Minérale.

Hoc nomine insigniuntur Aquae, quas ex ipsis scaturiginibus inficiunt materiae; quarum vis aliquam mutationem corpori in quod ingeruntur afferre valet.

Variis quoque distinguuntur nominibus, pro natura et vi solutorum varia.

Sic habentur quas dicunt Acidulas, Alkalinas, Salinas, Sulfuratas, Ferrugineas seu Martiales.

AQUA ipsa in GLACIEM concreta, sive medicos ad usus, sive in Pharmaceuticis operibus utiliter adhibetur.

ARGENTUM.

ARGENT.

Metallum album, splendidum, facile ductile, patiens mallei, fusile; in oxidum sola ignis vi non vertitur. Ponderis ad aquam ratio aequat 10,474.

ARGILLA.

ARGILLE.

Terris constat silicea, aluminea, et Aqua simul varia ratione unitis; quibus saepe accedit, causa coloris, oxidum ferri.

In usu apud Medicos quondam fuit duplex Argillae varietas,

1°. ARGILLA Ferruginea rubra. — Bolus Armeniae.

ARGILLE Ochreuse rouge (Hauy). — *Bol d'Arménie.*

Colore rubro intensiori; majori oxidi ferrei ratione ipsi commixta, concreta in Massas densiores, ponderosiores; Aquae si tantummodo ipsam immerseris, non facile diluitur.

2°. ARGILLA Ferruginea pallidior. — Terra Sigillata.

ARGILLE Ochreuse pâle. — Terre Sigillée.

Cujus albedo roseo leviter colore inficitur. Jam antequam venalis asportetur Aqua diluta fuit, et compacta in cylindros orbiculosve complanatos, et sigillatos.

Arsenicum album. *Vide* OXIDUM Arsenici.

Arsenicum Luteum. *Vide* SULFURETUM Arsenici Luteum.

ASPHALUM. — BITUMEN Judaïcum.

ASPHALTE. — Bitume de Judée.

Solidum, fragile, nigrum, nitens; confrictum electricam vim exerit; si incalescat odorem proprium spargit;

dum vero comburitur fumum exhalat densissimum odore intenso, acerrimo.

Auripigmentum. *Vide* SULFURETUM Arsenici Luteum.

AURUM.

Or.

Metallum flavescens, splendidum, maxime ductile, et mallei patientissimum. Fusile Argento minus, neque fusum ignis vi immutatur. Ponderis ratio habetur. 19,257.

BISMUTHUM. — Wismuthum.

Bismuth.

Metallum ex albo flavescens, fragile, lamellis coagmentatum, maxime fusile, in oxidum igne vertitur. Ponderis autem ratio est 9,822.

Nota. Ex eo Bismuthi paratur quod vocant *Album*, sive *Pigmentum album* ad fucandam cutem, *Magisterium* quoque dictum *Bismuthi* aut *Bismuthi oxidum.*

BITUMEN.

Bitume.

Sic vocantur quaecumque ex minerali regno, e vegetabili tamen ortum ducentes, ignem alere natae sunt Materiae. Quas inter *Asphaltum*, *Gagatem*, *Naphtham*, *Petroleum*, *Electrumque* seu *Succinum* numerant, e quibus Medicamenta aut eliciebantur olim, aut apud nos etiamnum parantur.

Bitumen Judaïcum. *Vide* ASPHALTUM.

Bolus Armeniae. *Vide* ARGILLA.

BORAS (Sub) Sodae. — Borax.

Sous-Borate de Soude. — Borax.

Salem hunc mittunt India et Sinarum regio. Expurgant Europaei; et inde parant crystallos albas, disjunctas, forma plerumque abnormi, superficie opacas, sapore salis alkalino. Igne intumescit primo, deinde liquatur Borax, et in vitri speciem frigescendo concrescit.

Borax. *Vide* BORAS Sodae.

CALX. — Oxidum Calcii. N. R.

Chaux. — Oxide de Calcium.

Alkalium praefert caracteres. Eruitur ex carbonate cal-

cis nativo, quem lapidem calcarium nominant, igne exusto, acido, dum exuritur, evanescente; massas constituit albicantes, aut aliquantulum cineritias, primo duras; aëris contactu deinde deteritur, et solvitur in pulverem. Aquae immersa calx, dum in partes resolvitur, dat sibila, vapores emittit aquosos, et magnopere incalescit. Aegre tamen Aqua solvitur.

CARBONAS (Sub) Calcis.
Sous-Carbonate de Chaux.

Sal Aqua minime solubile: ex eo nascuntur *Creta* et *Marmor;* quae Chymicis operibus inserviunt plurimis. Acidis mineralibus affusis vivide fervet hic Sub-Carbonas, salesque suppeditat Aqua solubiles, et quantacumque aquae copia solvantur, facile agnoscendos, ubi aguntur praecipites affuso ammoniae oxalate.

CARBONAS (Sub) Magnesiae. — Magnesia alba.
Sous-Carbonate de Magnésie. — Magnésie blanche.

Sal aqua vix solubile, prodit ex mutua elementorum permutatione inter Magnesiae sulfatem et carbonates Alkalinos aqua solutos. Arte cogitur aut in cubos aut in parallelipipeda; Candidissimum, levissimum, friabile.

Violarum caeruleum colorem viridi commutat; acidis dum solvitur effervescit.

CARBONAS (Sub-) Plumbi.
Sous-Carbonate de Plomb.

Sal album aqua insolubile. Non uno paratur modo. Aliquando habetur squamarum forma duarum et densissimarum, et plumbum album dicitur (*Blanc de Plomb*), alias in placentas concrescit friabiles et vocatur Cerussa (*Céruse*). Has autem formas induit prout aut Sal praeceps agitur quod dissolutum erat, aut terendo, aqua mediante, paratum fuit.

Acidis dum dissolvitur vivide effervescit; calamo fusorio in metallum verditur.

CARBONAS (Sub) Potassae.
Sous-Carbonate de Potasse.

E combustis vegetabilibus nascitur; formas praefert

varias, varios et sinceritatis gradus; pro regione e qua advehitur, modoque parandi variis distinguitur nominibus.

1°. *Potassam* dicunt *Americanam* (*Potasse dure d'Amérique*) eam, quae venit massarum forma, igne fusarum, lapidea specie et duritie. Saepius rubro colore inficitur; humorem in se contrahit aëreum, sapore urente caustico, alkalinis partibus praedives.

2°. *Potassa Perlassa* (*Potasse Perlasse*). America quoque advehitur, albissima, glomerata. Multi aestimatur, praepotente alkalina parte.

3°. Proxime accedunt *Russica*, *Dantiscana*, *Rhenana* et aliae. Omnibus, praeter ipsam Potassam et ipsius Sub-Carbonatem, inest Sulfas quoque et Murias, et siliceum argillaceumque aqua non solubile sedimentum.

4°. *Cineres Clavellati* (*Cendres gravelées*). Parantur combustis vini faecibus; iisdem quibus Potassae praedictae abundant salibus.

5°. *Sal Tartari* (*Sel de Tartre*). Fit e combusto tartaro, sive crudo, sive puro. Solutum aut semel, aut bis si fuerit, evadit purum. Constat Sub-carbonate fere puro Potassae; sed saepius quod venale est, mixto Potassae sulfate adulteratur. Eligendum est album, et quod plene et facile aquae frigidae mediocri copia solvi queat.

CARBONAS (Sub) Sodae.

Sous-Carbonate de Soude.

Nativus habetur ex lacubus in Aegypto et Hungaria, aqua solis et aëris vi in vapores diffusa. *Natrum* (*Natron*) vulgo vocatur. Verumtamen nostra in Gallia obtinetur ex cineribus herbarum ex ipso mari, aut juxta maris oras collectarum, vel etiam chymica arte eruitur ex Sodae Sulfate. Qui venumdatur, impurus, vocatur *Soda*, quae modo dicitur *Alicantina* (*Soude d'Alicante*), modo aliter, ducto scilicet nomine ab ipsa regione unde venit oriundus. Vocatur etiam *Soda arte facta*.

Verum ut multis tunc inficitur heterogeneis aqua solvi et in crystallos deduci indiget, ut purior evadat; et tunc Sal Sodae seu Sodae Sub-Carbonas merito nuncupatur.

Albus tunc esse debet; crystallorum intima pars pellucet, extima aëris contactu in pulverem fatiscens opaca fit; liquescit, et sic, amisso quod humoris inest, fit bis tertia parte minor. Alkalium sapit, violarum colorem in viridem mutat, acidis admixtus effervescit.

Cerussa. *Vide* CARBONAS Plumbi.

CHALCITIS.

Le Chalcitis.

Hoc nomine quondam innotuit inter Mineralia quoddam mixtum sulfate et oxido ferri rubro. Hujus hodie obsolevit usus, ob incertam utriusque oxidi et sulfatis rationem, modo uno, modo alio plus minusve superante; atque insuper admixto quoque fere semper Cupri Sulfate. In ipsius locum, Sulfas Ferri purus, igne exsiccatus, bene subjicitur.

Chloruretnm Sodii. *Vide* MURIAS Sodae.
Cineres Clavellati. *Vide* CARBONAS Potassae.
Cinnabari et Cinnabaris. *Vide* SULFURETUM Hydrargyri.
Colcothar. *Vide* OXIDUM Ferri rubrum.
Creta alba. *Vide* CARBONAS Calcis.
Crocus Metallorum. *Vide* OXIDUM Stibii Sulfuratum semi-vitreum.

CUPRUM.

Cuivre.

Metallum ex rubro roseum, mallei patiens, igne fusile, et ipsius vi in oxidum facile mutabile. Ponderis ratio habetur 8,895.

Electrum. *Vide* SUCCINUM.

EERRUM.

Fer.

Metallum ex cinereo caerulescens; ductile, durum, tenacissimum, fibris, granulis, aut lamellis, pro varia methodo qua cuditur, compactum. Ponderis ratio aequat 7,788. Magnetum sequitur.

GAGATES.

Jayet. — Jais.

Bitumen nigrum, durum, fragile; expolitum nitorem indubit splendidum, quaedam hujus frustula produnt saepe structuram organicam, ligneae originis non obscurum indicium. Oleum acidumque ignis vi destillando suppeditat.

Gypsum. *Vide* SULFAS Calcis.
Haematites. *Vide* OXIDUM Ferri rubrum.
HYDRARGYRUM. — Mercurius.
MERCURE. — Vif-Argent.

Metallum album, argenti nitorem praeferens; liquidum habetur vulgo; nec concrescit nisi sub frigore 39 centig. Bullit autem, si incaluerit ad gradum 350; igne destillat in excipula purum et interematum.

Hydrochloras Ammoniae. *Vide* MURIAS Ammoniae.
Karabe. *Vide* SUCCINUM.
LAPIS Armenus.

Antiquis in formulis non rarus; nunc nullius usus: nec vacabat omni periculo, etenim fere omnino constat Carbonate Cupri.

Lapis Calaminaris. *Vide* OXIDUM Zinci.
Lithargyrum. *Vide* OXIDUM Plumbi fusum.
Magnes. *Vide* OXIDULUM Ferri magneticum.
Magnesia alba. *Vide* CARBONAS Magnesiae.
Magnesia nigra. *Vide* OXIDUM Manganesii.
Marmor. *Vide* CARBONAS Calcis.
Mercurius. *Vide* HYDRARGYRUM.
Minium. *Vide* OXIDUM Plumbi rubrum.
MURIAS Ammoniae. — Sal Ammoniacum. — Hydrochloras Ammoniae. N. R.
MURIATE d'Ammoniaque. — Sel Ammoniac. — Hydrochlorate d'Ammoniaque.

Olim asportabatur ex Aegypto, nunc in Gallia ipsa conficitur. Prostat placentarum forma rotunda, convexa superius, inferius concava, specie quasi glaciei.

Sal est sapore pungens, volatile, aqua solubile, cui si affundatur Argenti Nitras, Murias argenti praeceps agitur; affusis autem fixis Alcalibus, expeditur et emanat Ammonia.

MURIAS Sodae. — Chloruretum Sodii. N. R.
MURIATE de Soude. — Chlorure de Sodium.

Compactum in enormes massas, propriis fodinis extrahitur album Sal et pellucidum; nonnunquam ab Oxidis

metallicis colores mutuatur varios; in cubos dividitur, et nomen habet *Sal gemmae.*

Praeterea multis in fontibus, lacubus, sed praecipue Mari aqua solutum excipitur; unde vel sponte vel artificiis variis, vaporante Aqua, concrescit; et dicitur tunc *Culinare Sal, Sal Marinum.*

Sapor ex eo percipitur pure Salinus, notissimus; pars una aquae frigidae partibus solvitur tribus; nec aqua bulliens ipsius majorem multo solvere valet copiam. Affuso Argenti Nitrate, Murias Argenti praeceps agitur multus; ab affuso autem Platinae Muriate non immutatur.

NAPHTHA.

Naphthe.

Inter Bitumina purissimum, liquidissimum, facillime diffluens, colore fere carens, maxime volatile, odore penetranti nec ingrato.

Natrum. *Vide* CARBONAS Sodae.

NITRAS Potassae. — Nitrum. — Sal nitrum.

Nitrate de Potasse. — Nitre. — Salpêtre.

Quibusdam in regionibus terrae superficiei innascitur; gignitur in locis humidis humilibusque, quos inhabitant animalia. Apud nos saepius ex detritis murorum ruderibus lixivia facta extrahitur; liquori deinde additur soluta Potassa; inde dissociato Nitratis Calcis et Magnesiae Acido, augetur copia Potassae Nitratis; qui, deductis expurgatisque non semel crystallis, purus demum obtinetur.

Hujus crystalli formantur in prismata longiora, canaliculata, varie translucida; quorum sapore lingua pungitur et perfunditur frigore non ingrato; Prunis injectus lucide deflagrat Potassae Nitras.

Nitrum. *Vide* NITRAS Potassae.

OXIDUM Arsenici album. — Arsenicum album, hodie, Acidum Arseniosum.

Oxide blanc d'Arsénic. — Arsénic blanc.

In fodinis Cobalti Arsenicalis, dum ustulatur Cobaltum, in transversum camini spiraculum concrescit, venundatur in massas concretum superficie opacas, intus, si rumpantur, pellucidas, fractura quasi vitrea. Ponderis ratio 5,000, teste de BORN. Caloris vi in fumos albicantes

solvitur, àlii odore; aqua parce solvitur; indeque, addito Hydrogenio Sulfurato, seu Acido Hydrosulfurico, praeceps agitur flavo colore. Caeteris Oxidis Acidorum more jungitur, et ideo Acidi Arseniosi nomine insignitum hodie fuit.

OXIDULUM Ferri Magneticum. — Magnes.
Oxidule de Fer magnétique. — Aimant.

In massas concretum habetur solidas, graves, aut sub nigras, aut fuscas, aut cinericias, vi Ferrum trahente bipolari; ipsique Acui Magnetice paribus respondens polis, sive oppositis appetat, sive similibus repellat: ad probandam Ferri Scobem inservit Magnetica vis.

OXIDUM Ferri rubrum. — Colchotar. — Lapis Haematites.
Colchotar du commerce, et Oxide de Fer Hématite, etc.

Colchotar a majoribus officinis olim sufficiebatur; Lapis, fibris veluti compactus, e ferreis fodinis effosus, in pulverem tritus sanguinem colore aemulatur. Hodie Oxidis rubris arte certa paratis, et quorum naturá optime nota est, longe praestat uti. (*V.* Sect. VII, III n°. 5, p. 214.

OXIDUM Manganesii nigrum. — Magnesia nigra.
Oxide noire de Manganèse. — Magnésie noire.

Concretum in massas glomeratas, graves, crystallinas, intus metallico Ferri nitore; differt ab Antimonii Sulfureto, quod igne non liquetur, et quod, Acido Hydrochlorico affuso, Chlorum inde, seu Acidum Muriaticum Oxygenatum, expediatur.

OXIDUM Plumbi fusum. — Lithargyrum.
Oxide de Plomb fondu. — Litharge.

Gignitur in catino *docimastico*, dum probatur Argentum Plumbo commixtum. Concrescit in micas splendidas aut ex flavo rubras, Acido Nitrico solubiles. Asportatur ex Anglia et Germania. Germanicum autem, cum Ferro et Cupro adulteretur, non admittitur ad ea conficienda quae ad Chymicam artem pertinent.

OXIDUM Plumbi rubrum. — Minium.

Oxide rouge de Plomb. — Minium.

Habetur pulverulentum, grave, colore rubro, aurantiaco, splendido; gignitur cauta et protracta Plumbi ustione; si vero calorem ferat violentiorem, discedente oxygenio, liquatur et in Lithargyrum immutatur. Calamo si probetur fusorio, in globum metallicum vertitur.

OXIDUM Stibii Sulfuratum semivitreum.

Oxide d'Antimoine Sulfuré demi-vitreux.

Constat Oxido Stibii cum Stibii Sulfureti copia majore quam ut gignatur Oxidum Stibii Sulfuratum vitreum.

Tunc obtinetur cum, ustulato Stibii Sulfureto, Oxidum Sulfuratum cinericium, quod inde prodit, crucibulo fusum liquatur. Massas constituit opacas, fragiles, fuscas, metallico splendore nitentes.

Apud Pharmacopolas inscribitur antiquo nomine *Croci metallorum* (*Safran des métaux*), et in locum hujus praeparati, quod jam nunc obsolevit, vulgo sufficitur.

OXIDUM Sulfuratum Stibii vitreum. — Vitrum Antimonii.

Oxide d'Antimoine sulfuré, vitreux. — Verre d'Antimoine.

Specie vitri complanati, rubri, pellucidi, hyacinthino colore, constat Oxido Stibii et sulfureto simul fusis: eodem quo praedictum Oxidum paratur modo, verum majori igni ignis vi liquatur, fusumque in tabulas planas nitentes non ante affunditur quam perfecte demum pellucere videatur. Praeter Oxidum Sulfuretumque Stibii, quo constat, accedit ipsi et Oxidum ferri, ex ferri sulfureto, semper sulfureto stibii admixto, et Silicis aliquantulum ex ipsis mutuatum crucibulis. Quidam arbitrantur hanc silicem non nihil ad ipsius Oxidi pelluciditatem conferre.

OXIDUM Zinci nativum. — Lapis Calaminaris.

Oxide de Zinc natif. — Pierre Calaminaire.

Oxido Zinci aqua in hydratem verso, Silice et saepe etiam Oxido Ferri admixtis, cum Calcis Carbonate et Alumina, non constanti singulorum ratione, constat haec materies, quam lapidem dixere Calaminarem. Massas constituit forma abnormi, graves, aut albicantes, aut ci-

nericias, aut etiam subrubras, fractura minutis particulis aspera. Acido Sulfurico dilutiori ex parte solvitur, et abit in crystallos Sulfati Zinci proprias.

Quibusdam unguentis admixtum fuit.

PETROLEUM.

Petrole.

Bitumen liquidum, fuscum, lentore vario, odore intenso, ex parte volatile. Igne admoto facile inflammatur. Eo utitur ars veterinaria.

PLUMBUM sive Saturnus.

Plomb.

Metallum cinericium caerulescens, mallei patientissimum, molle, nulla vi elastica. Ponderis ratio habetur 11,36. Igne cito fusile est; sub ignis vi in Oxidum vertitur.

PUMEX.

Pierre-Ponce.

Vulcania materies, levis, spongiae instar poris patens multis; dura, tactu aspera, filis vitreis glomeratis compacta; Sub calamo fusorio vertitur in encaustum vitreum albicans. Hujus substantia ex silice, alumina, oxido ferri et soda unitis constat; in dentrificiis usurpatur.

Sal Ammoniacum.
Armoniacum. } *Vide* MURIAS Ammoniae.

Sal Catharticum amarum.
Epshamense, vel potius
Ebshamense. } *Vide* SULFAS Magnesiae.

Sal Gemmae.
Marinum. } *Vide* MURIAS Sodae.

Sal Sedlitzense. *Vide* SULFAS Magnesiae.

SAPO communis.

Savon du commerce.

Paratur in officinis majoribus ex alkalibus et oleo unitis. Medicinis in rebus admittitur saponis species venalis duplex.

1°. *Sapo albus Massiliensis (Savon blanc de Marseille).*

Gignitur ex Soda Olivo unita; albus est, unguinosus; Aqua plura plene solvitur.

2°. *Sapo viridis nigrescens* (*Savon vert* ou *noirâtre*). Potassa conficitur et crassioribus oleis, quae exprimuntur in Gallia septentrionali ex seminibus brassicarum (*rabette*, *colsa*), aut ex cannabinis (*chenevis*); paratur etiam cum ipsis olivi faecibus in Gallia meridionali.

Mollis est, unguento similis, obscure virescit. Alkalina vi praepollet.

Soda. *Vide* CARBONAS Sodae.

STANNUM.

ETAIN.

Metallum album, mallei patiens, cujus ponderis ratio aequat 7 ,296. Facillime fusile, igne in oxidum vertitur, quod acido nitrico solvi nequit.

STIBIUM. — Regulus Antimonii.

ANTIMOINE. — Régule d'Antimoine.

Metallum ex albo coerulescens, fragile, lamellis compactum, cujus ponderis ratio habetur 6 ,702. Igne facile funditur, et ubi refrigescit, in crystallos concrescit.

SUCCINUM. — Karabe. — Electrum.

SUCCIN. — Ambre jaune.

Bitumen solidum, durum, fragile, pellucidum plerumque, aliquoties opacum, colore flavo ut plurimum puroque, modo saturato, modo dilutiori; affrictum vim concipit electricam; igne funditur, et in flammam solvitur; ex destillato acidum prodit succinicum.

SULFAS Acidus Aluminae et Potassae. — Alumen.

SULFATE Acide d'Alumine et de Potasse. — — Alun.

Duplici connubio hoc in Sale acidum sulfuricum aluminae et Potassae unitur, sive naturae beneficio, sive artis industria. Concrescit in massas pellucidas, vitri aut glaciei instar; quarum ad superficiem octaëdrorum extant et facies et anguli. Sapore stypticus, solvitur aqua, cui si aut Potassam aut Ammoniam adjicias, praeceps subsidebit aluminea terra, quam Potassa insuper addita solves iterum.

Prae aliis olim pluris erat Romanum dictum Alumen (*Alun de Rome*), rubro colore tinctum, admixto ferri oxido. Gallicum hodie non minoris est praetii. Huic saepe inest aliquid Sulfatis Ammoniae, in Potassae Sulfatis locum.

SULFAS Barytae.

Sulfate de Baryte. — Spath pesant.

Sal Aqua non solubile; crystallos parit cinereo colore pellucidas, aut coëuntes in massas translucentes, quas inter lux reflexa splendide emicat. Ponderis ratio aequat 4,298 — 4,471. Hujus Prunis injecti superficies in pulverem non fatiscit.

Ex eo eruitur Baryta, ex qua varia Salia parantur, quae sibi adscivit medicina recentior.

SULFAS Calcis.

Sulfate de Chaux.

Aegre admodum Aqua solvitur; magna copia reperitur, modo in crystallos pellucidas, laminis superspositis compactus, lapis dictus specularis; *Selenitem*, quoque dixere; modo concretus habetur in massas opacas alienis plus minusve remixtas, *Gypsum* dicunt. Ponderis ratio 2,264 — 2,312. Prunis injectus in pulverem solvitur.

SULFAS Cupri. — Vitriolum caeruleum.

Sulfate de Cuivre. — Vitriol bleu.

Concrescit in crystallos caeruleas, sapore subacri et perquam ingrato; Aqua facile solvitur; cui si prussiatem Potassae injicias, rubrum ponet sedimentum; posito autem ab injecta Ammonia sedimento, hanc si addideris ita ut superet, sedimentum resolvitur et vividissime caerulescit. Si soluto Cupri Sulfati Ferrum immerseris, hujus superficies metallico Cupri nitore contegetur.

SULFAS Ferri. — Vitriolum viride.

Sulfate de Fer. — Vitriol vert.

Crystallos parit smaragdinas, stypticas, subdulces, Aqua solubiles; ex quibus praeceps agitur pulvis cinereus, in nigrum admixtis alkalibus convertendus; in caeruleum autem, si admisceas prussiates alkalinos; si demum sub aëris contactu infuso gallarum remisceatur, violaceum colorem non nihil caerulescentem induet.

Saepius hic Sulfas cupri Sulfate remixtus invenitur;

quo liberabitur, si scobe ferri sub ipso aqua soluto macerata, ipsum deinde in crystallos solidescere curaveris.

SULFAS Magnesiae. — Sal Ebshamense. — Sedlitzense. — Catharticum amarum.

Sulfate de Magnésie. — Sel d'Epsom. — Sel de Sedlitz. — Sel Cathartique amer.

Ex aquis fontium quorumdam mineralium vaporando extrahitur albus, in minutas crystallos coactus, amarus, facile admodum aqua solubilis; admixtis autem sub-carbonatibus alkalinis pulverem album praecipitem subsidere sinit.

SULFAS Sodae. — Sal Glauberi.

Sulfate de Soude. — Sel de Glauber.

Ex Fontibus Lotharingiae salinis extrahitur, aut etiam in artium variarum officinis paratur; in crystallos minutas vulgo concretus speciem praefert Magnesiae Sulfatis; et non est amarus aeque; linguam autem frigore perfundit impositus, et si aqua soluto admiscueris alkalinos subcarbonates, nullum pulverem praecipitem agit.

SULFAS Zinci. — Vitriolum album.

Sulfate de Zinc. — Vitriol blanc.

Post sulfuretum Zinci igne prius ustulatum, lixivia facta, vaporando extrahitur. Cogitur in massas, prismatum forma, albas, crystallis compactas nullo ordine confertis, sacchari instar; semper parte aliqua sulfatis ferri inquinatur unde sub aëris contactu ferrugine tingitur. Aqua facile solvitur, sapore asper styptico. Addita Ammonia, pulverem album praecipitem agit, qui aucta Ammoniae quantitate iterum solvitur.

SULPHUR aut Sulfur.

Soufre.

Materies simplex, solida, flavescens, fragilis, flammam suscipere valens, cujus ponderis ratio est 1,99. Vim electricam affricta concipit, qualem resinae solent. Igne Sulfur facile liquatur, et sublime fertur. Dum uritur flamma lambitur caerulea, et Sulfurosum parit acidum, pulmoni inimicum, cujus vi suffocatur spiritus.

Nativum inveniunt Sulfur in massas concretum, cry-

stallis inordinate compactis, modo heterogeneis inquinatum. Dicitur tunc *vivum sulfur* (*Soufre vif*).

Idem si liquetur aut sublimetur, parum evadit, et venale sic prostat aut cylindrorum forma, *Soufre en canons*, aut in leves lamellulas tenuatum, *Flores* dicunt *Sulfuris*. Hi vero flores, acido sulfurico mixti, facile sub aëris contactu humescunt; adeoque sollicite eluendi sunt, ut omni acido careant.

SULFURETUN Arsenici luteum. — Auripigmentum.

Sulfure d'Arsénic jaune. — Orpiment.

Solidum, flavum, in lamellas concretum flexiles; aliquoties tamen compactum et fragile reperitur; exustum, oderem spargit alliaceum acidi sulfurosi vapore mixtum.

SULFURETUM Hydrargyri rubrum. — Cinnabari et Cinnabaris.

Sulfure rouge de Mercure. — Cinnabre.

Nativum invenitur, et ex eo hydrargyrum extrahitur. Quod venale est, vulgoa rte paratum fuit mixtis atque unitis Hydrargyro et Sulfure. Tunc in placentas formatur aciculis compactas, metallico nitore, ex cinereo violaceas, qui color in splendide rubrum vertitur, si duro corpori affricetur Cinnabaris, aut in pulverem teratur. Ponderis ratio est 10,218. Injectum prunis sublime avolat, hujusque vapor, frigidis corporibus haerens, concrescit in globulos Hydrargyri liquidi metallicos.

SULFURETUM Stibii. — Antimonium crudum.

Sulfure d'Antimoine. — Antimoine cru.

E terra effoditur; dum igne liquatur purum fit. Hujus massae aciculis coagmentatur parallelis, metalli splendore, colore caerulescente murino. Ponderis ratio inter 4,133 et 4,516 subsistit. Ad cerei flammam si admoveas, funditur; in prunas si conjicias, Acidi sulfurosi odorem spargit; si Acidum Hydrochloricum affuderis, Hydrosulfuricum olet.

Terra sigillata. *Vide* ARGILLA.

TUTHIA.

Tuthie.

Mixtis constat oxido Zinci, metalloque; spiraculis inhaeret caminorum quibus liquatur gleba Zinci, ut in ori-

chalcum mutetur. Tuthiae, praeter Oxidum Zinci, accedit et Terrae non nihil, et aliquoties Oxidum cupri aliquod. Crustas constituit, qua parte camino non inhaerent, in glomulos concretas, colore cinereo, modo diluto, modo saturatiori.

Viride Aeris. *Vide* ACETAS Cupri crudus.
Vitriolum album. *Vide* SULFAS Zinci.
Vitriolum Caeruleum. *Vide* SULFAS Cupri.
Vitriolum viride. *Vide* SULFAS Ferri.

ZINCUM.

ZINC.

Metallum album, sub-caeruleum, mallei patiens, cujus ponderis ratio est 7, 190, facile fusile, et, ubi igne rubescit, in flammas erumpens; solubile Acidis aqua dilutioribus; soluti liquor colore caret.

II. MATERIAE

E VEGETANTIBUS DESUMPTAE.

Abelmoschus. *Vid.* HIBISCUS ABELMOSCHUS.

ABIES Taxifolia. — A. Taxi folio, fructu sursum spectante. I. R. H. — Pinus Picea. L.

Le SAPIN ordinaire.

Ex ea fluit Terebinthina dicta Argentoratensis, *la Térébenthine de Strasbourg.*

ABIES Balsamea. — A. Taxi folio, odore Balsami Gileadensis. Rai. — Pinus Balsamea. L.

Le BAUMIER du Canada, ou *le faux Baumier de Giléad.*

Terebinthinae fundit speciem quae Balsamum est Canadense, *Baume du Canada.* Balsami Gileadensis odorem spirat, et ipsius apud Anglos supplet vicem.

ABIES Picea. — A. tenuiore folio, fructu deorsum inflexo. I. R. H. — Pinus Abies. L.

La PESSE ou *l'Epicia.*

Ex ea Pix alba defluit.

ABIES Canadensis. — A. minor, pectinatis foliis, Virginiana, conis parvis subrotundis. Pluk. — Pinus Canadensis Ait.

La SAPINETTE du Canada.

Ex hac prodit Balsamum aliud Canadense, praedicto vero communius. Gemmae in cerevisia antiscorbutica apud Anglos sunt humuli loco.

ABIES Larix. — Larix folio deciduo conifera. J. B.; I. R. H. — Pinus Larix. L.

Le MELÈZE.

Ex ea exsudat tum prope Brigantium Manna ideo Brigantina dicta, *la Manne de Briançon*, tum succus resinosus qui Terebinthina Laricis, Terebinthina Veneta, *la Térébenthine de Venise*.

Abrotanum mas. *Vide* ARTEMISIA ABROTANUM.

Abrotanum campestre. *Vide* ARTEMISIA CAMPESTRIS.

Abrotanum foemina. *Vide* SANTOLINA CHAMAECYPARISSUS.

Absinthium. *Vide* ARTEMISIA.

ACACIA Vera Off. J. B.; I. R. H.; L. W. — Mimosa Nilotica. L.

L'Acacia du Levant.

E fructibus seu leguminibus immaturis contritis et aqua conspersis exprimitur succus Acaciae verus, *le suc d'Acacia*, vaporatione condensandus in extractum fuscum astringens, nunc in officinis deficiens aut rarissimus, cui vulgo substituitur *succus Acaciae nostras* ex immaturo Pruni sylvestris fructu elicitus. Praeterea, ad mentem quorundam, ex hujus Acaciae cortice intacto aut inciso fluit Gummi dictum Arabicum, *Gomme Arabique*, ex Arabia et Aegypto advectum, cujus duplex qualitas venundatur nomine *Gummi Jaddae* et *Gummi Thuraei*. Succus est gummosus, concretus in massas subrotundas albidas aut lutescentes, extus inaequales, in fragmentis nitidas, inodoras, sapore fatuas, aqua omnino solubiles.

ACACIA Senegalensis. L. W. — Mimosa Senegalensis. L.

L'Acacia du Sénégal.

Ex ejus cortice intacto aut inciso exsudat Gummi Senegalense, *la Gomme du Sénégal*, usu receptum simul cum Gummi Arabico, ex eadem, ut credunt quidam, specie oriundum; paulo tamen durius, et aqua non ita facile solvendum.

ACACIA Catechu L. W. — Mimosa Cathecu. L. F.

L'Acacia au Cachou.

Ex ejus fructu (an potius ex stirpe?) succus elicitur mox concrescens in massas orbiculatas siccas, fuscas, fragiles, sapore primum astringentes, demum suaves ac quasi saccharatas, dictus Cate seu Cathecu, gallice *Cachou*.

Compar fere sed minus abundans ex Arecae fructu aliisque nonnullis succus extrahitur.

Acacia Spuria. *Vid.* ROBINIA.
Acacia Germanica seu nostras. *Vid.* PRUNUS.
Acaciae Succus. *Vid.* ACACIA vera.
Le Suc d'Acacia.
Acaju, Acaju Gummi. *Vid.* CASSUVIUM Occidentale.
ACANTHUS Mollis. L. — Acanthus sativus vel mollis Virgilii. C. B. P.; I. R. H. — Branca ursina off.
L'ACANTE ou la Branche-Ursine.

Radix. Folia.

Acetosa et Acetosella. *Vid.* RUMEX et OXALIS.
ACETUM Vini.
Le VINAIGRE.

Ex Vino fermentatione in Acidum verso; colore, ut vinum ipsum, distinguitur in album et rubrum.

ACHILLEA Ageratum. L. — Ptarmica lutea suaveolens, I. R. H. Ageratum Off.
L'EUPATOIRE de Mesué.

Herba. Flores.

ACHILLEA Millefollium. L. — Millefolium vulgare album. C. B. P.; I. R. H.
La MILLEFEUILLE.

Folia. Summitates florentes.

ACHILLEA moschata. L. W. — A. Genepi. Murr. App.
ACHILLEA atrata. L. — Matricaria alpina Chamaemeli foliis. C. B. P.
ACHILLEA nana. L. — Millefolium alpinum incanum flore specioso. C. B. P.; I. R. H.

Triplex haec species suppeditat veram herbam *Genepi* vulnerariam, praecipue prima, teste Hallero.

ACHILLEA Ptarmica. L. — Ptarmica vulgaris, folio longo serrato, flore albo, J. B.; I. R. H.
La PTARMIQUE, ou l'Herbe à éternuer.

Radix. Herba.

Acmella Mauritiana, Persoon. *Vide* SPILANTHUS ACMELLA. L.

ACONITUM Anthora. L. — Aconitum Salutiferum, seu Anthora. C. B. P.; I. R. H.

L'ANTHORA.

Radix.

ACONITUM Cammarum. L. — A. caeruleo-purpureum, seu Napellus quartus. C. B. P.; I. R. H.

Le CAMARON.

ACONITUM Napellus. L. — Aconitum caeruleum, seu Napellus primus. C. B. P.; I. R. H.

Le NAPEL, ou l'Aconit Napel.

Utriusque herba.

ACORUS Calamus. L. — Acorus verus, sive Calamus aromaticus officinarum. C. B. P.

L'ACORE odorant, ou Calamus aromaticus des boutiques.

Ex Hollandia advehitur hujus radix, longa, digiti crassitie, levis, articulata, intus ex albo-rosea, extus dilute fulva, odore suavis.

Acorus adulterinus, seu palustris. *Vide* IRIS Pseudo-Acorus.

ACTAEA spicata. L. — Christophoriana vulgaris nostras racemosa et ramosa. Moris.; I. R. H.

L'ACTÉE, ou Herbe de Saint Christophe.

Radix pro Helleboro nigro a quibusdam falso habita; utilior in arte veterinaria, pro fonticulis usurpatur.

Actes grana. *Vide* SAMBUCUS.

ADIANTUM capillus Veneris. L. — Adiantum foliis Coriandri C. B. P.; I. R. H. — Capillus Veneris Officinarum.

Le CAPILLAIRE de Montpellier.

Herba.

ADIANTUM pedatum. L. — Adiantum Americanum. I. R. H.

Le Capillaire du Canada.

Herba.

Adiantum album. *Vide* Aspidium.

Adiantum Aureum. *Vide* Polytrichum.

Adiantum nigrum. *Vide* Asplenium Adiantum nigrum.

AESCULUS Hippocastanum. L. — Hippocastanum vulgare. I. R. H.

Le Maronier d'Inde.

Cortex febrifugus, Cinchonam quandoque supplet, non aequa virtute.

AETHUSA Cynapium. L. — Cicuta minor Petroselino similis. C. B. P.; I. R. H.

La Petite Cigue.

Herba pro Cicuta vulgari interdum usurpata minus feliciter. Saepe in hortis oleraceis Chaerophylli socia, ab eo caute secernenda. *V.* Chaerophyllum.

AETUSA Meum. — Meum foliis Anethi. C. B. P.; I. R. H. — Meum Athamanticum Officinarum.

Le Meum.

Radix aromatica.

Agallochum. *Vide* Aloes lignum.

Agaricus. *Vide* Boletus.

AGATHOPHYLLUM aromaticum. Poir. — Ravensara aromatica. Sonner. — Evodia Ravensara. Goertn.

Le Ravensara.

Hujus fructus et folia summe aromatica, pro condimentis apud Madagascarienses usurpata. Fructus fere sphaericus, ex fusco niger, constat drupa arida, parum crassa et cocco ligneo, sui inest semen oleosum in sex lobos divisum. Ambigitur an Cassia Caryophyllata (*la Cannelle Giroflée*) ex eadem arbore desumatur.

Ageratum. *Vide* Achillea Ageratum.

Agnus castus. *Vide* Vitex-Agnus castus.

Agresta. *Vide* Vitis vinifera.

Agrifolium. *Vide* Ilex Aquifolium.

AGRIMONIA Eupatoria. L. — Agrimonia officina-

rum. I. R. H. — Eupatorium veterum seu Agrimonia. C. B. P.

L'Aigremoine.

Herba.

Agripalma. *Vide* Leonurus.

AJUGA Chamaepitys. Schreb. Willd. — Teucrium Chamaepitys. L. — Chamaepitys lutea vulgaris, sive folio trifido. C. B. P.; I. R. H. — Iva Arthritica Off.

L'Ivette.

AJUGA Genevensis. L. — Bugula sylvestris villosa. I. R. H. — Consolida media Genevensis. J. B.

La Bugle velue.

Utriusque herba.

AJUGA? Iva. Schreb. Willd. — Teucrium Iva. L. — Chamaepytis moschata foliis serratis. C. B. P.; I. R. H.

L'Ivette musquée.

AJUGA reptans. L. — Bugula Dodonaei. I. R. H. — Consolida media, quibusdam Bugula. J. B.

La Bugle rampante.

Utriusque herba.

Alcanna vera. *Vide* Lawsonia.

Alcanna spuria. *Vide* Anchusa.

Alcea. *Vide* Althaea rosea.

ALCHIMILLA vulgaris. C. B. F.; I. R. H.; L.

L'alchimille, le Pied de Lion.

Herba.

Alkekengi. *Vide* Physalis Alkekengi.

Alcool vini. *Vide* Vitis.

L'Alcool de Vin.

Ex Vino destillando elicitur. Pro diversa aquae, una cum Alcoole destillantis et ipsi commixtae, copia, varia est Alcoolis et densitas et vis; varia quoque sortitur apud vulgum nomina. Videlicet si gradus in scala D. Baumé notet 18 ad 30, nomen habet Aqua vitae aut Vitis,

Eau de vie; si superet gradum 30 ejusdem scalae, dicitur SPIRITUS VINI, *Esprit de vin.* Aquae vitae praeterea ut plurimum colore inficitur subflavo.

Alliaria. *Vide* ERYSIMUM Alliaria.

ALLIUM sativum. C. B. P.; I. R. H.; L.

L'AIL.

Bulbus.

ALLIUM Scorodoprasum. L. — Allium sativum alterum, sive Allioprasum caulis summo circumvoluto. C. B. P.; I. R. H. — Scorodoprasum. Clusii.

La ROCAMBOLE.

ALLIUM Victorialis. — Allium montanum. C. B. P.; I. R. H.

Le SPICANARD faux.

Bulbus Spicam Nardi mentitur et supplet, sed debilior.

ALLIUM Cepa. L. — Cepa vulgaris floribus et tunicis candidis, vel purpurascentibus. C. B. P.; I. R. H.

L'OIGNON.

Bulbus.

ALNUS glutinosa. Willd. — Betula Alnus. L. — Alnus rotundifolia glutinosa viridis. C. B. P.; I. R. H.

L'AUNE.

Folia, cortex. Hic Cinchonae supplet aliquatenus vicem in intermittentibus.

ALOE perfoliata. L.

ALOE elongata. Murr.

ALOE Spicata. Thunb.

ALOE linguiformis. Thunb.

L'ALOÈS.

Ex diversis Aloës speciebus, praecipue ex quadruplicis supra memoratae foliis excisis extrahitur SUCCUS ALOES dictus, cujus triplex designatur in officinis qualitas, nempe Aloë Soccotrina, hepatica, caballina, ex diversis elicitae speciebus, ut quidam credunt, aut ex eadem, mutato tantum extrahendi modo, ut alii asserunt. Ut ut

sit, sua sunt unicuique signa propria. Aloë *Soccotrina*, caeteris purior, in massas concrescit fragiles; colorem induit ex viridi et fusco rubrum: ejus fragmenta sunt nitentia pellucida, luminae tenues rubrae, pulvis aureus, odor aromaticus non insuavis, sapor exquisite amarus. Aloës *hepaticae* firmior compages, color obscurior hepaticus, fragmenta minus splendentia, minus pellucida, pulvis luteo-rubens, odor ingratus, sapor amarus nauseosus, usus tantum apud Veterinarios. Aloën *caballinam* impuram foetentem, colore obscuriorem, sordibus inquinatam, e plerisque officinis exulem supplent praecedentium reliquiae, quae in Veterinariis pariter adhibentur.

ALOES lignum.

Bois d'Aloès.

Triplex hoc nomine indigitatur ligni species, quarum alteram alteri, propter analogiam, subrogant mercatores. Prior quam specialius vocant lignum Aloës, Agallochum, lignum Cambac, vel Cambouc aut Calambac et Calambouc, si quibusdam fides, habetur ex arbore *Excaecaria Agallocho* L., *Aloexylo Agallocho* Loureiro; advehitur ex Cochinchina, rarum apud Europoeos; lignum grave est, resinosum, colore obscuro venis leucophaeis distincto, sapore amaro resinoso; primo vix odorum est, sed ubi incaluit, aromaticum suavemque odorem spargit. — Species altera vulgatior et minoris pretii dicitur *Bois d'Aigle*, *Lignum Aquilinum*; deberi creditur *Aquilariae ovatae* Cavanilles, quae in Cochinchina quoque crescit; grave lignum, flavescens, resinosum, sapore resinae non amaro, odore fere nullo, qui tamen et ipsa caloris vi expediri valet. — Species tertia, *Lignum Aspalathi*, discrepat ab ipso ligno Aloës colore tantum obscure rubro, in marmoris speciem variaegato; haec originis incertae in officinis nunc deficit.

ALPINIA? Galanga. Willd. — Galanga major et minor. C. B. P.; Rumph. — Maranta Galanga. L.; Murr.

Le Galanga.

Duplex hujus radicis species aut varietas, altera major, altera minor, utraque quasi articulata et contorta, extus fusca, lineis albidis distincta, intus rubens, odore suavis, sapore acris, aromatica. Minor majori praeponitur.

ALSINE Media. C. B. P.; I. R. H.; L.

La MORGELINE.

ALTHAEA officinalis. L. — Althaea Dioscoridis et Plinii. C. P. P.; I. R. H.

La GUIMAUVE.

Radix. Folia. Flores.

ALTHAEA rosea. Cav.; Willd. — Malva rosea folio subrotundo. I. R. H. — Alcea rosea. L.

La ROSE *Tremière.*

Flores. Radix.

Alypum. *Vide* GLOBULARIA Alypum.

Amaracus. *Vide* ORIGANUM.

Ambulua. *Vide* CISSAMPELOS.

Ammi Verum Off. *Vide* SISON Ammi.

AMMONIACUM Gummi.

GOMME *Ammoniaque.*

Gummi-Resina originis incertae, forsan ex umbellifera. Illam constituunt Guttae distinctae aut glomeratae, extus luteae, intus lacteae, quarum odor gravis, sapor acris amarus.

AMOMUM Cardamomum. L.

Le CARDAMOME.

Triplex fructuum varietas (an ex diversis speciebus, an ex una eademque prodiens?), parva, media, et major. Parvae fructus est trigonus 3—6 lineas longus, substantia quasi papyraceus, albo-luteus, seminibus praegnans minutis, forma variis, fuscis, sapore acri quasi Terebinthinae, aliis usitatior. Mediae fructus major et longior. Majoris fructus pollicaris aut sesqui-pollicaris, ex fusco cinereus, utroque fine contractior, cujus semina rubentia, parum sapida parumque odora, vix usitata sunt.

AMOMUM Grana Paradisi. L.

La MANIGUETTE *ou la Graine du Paradis.*

Semina parva, trigona, fusca, camphoram redolentia, Cardamomo minori fere similia.

AMOMUM Racemosum. L.

L'Amome en grappes.

Fructus Cardamomo minori similis, sapore et odore pari; sed crassior et rotundior.

AMOMUM? Zerumbet. L. — Zingiber latifolium sylvestre. Herm. — Zerumbet officinarum. Dalech.

Le Zerumbet.

Radix. Quae venundatur vulgo, est-ne *Zerumbet*? Hoc nomine Lemery *rotundam* indicat *Zedoariam.*

AMOMUM Zedoaria. Berg. Willd. — Zedoaria longa. C. B. P.

La Zedoaire longue.

Radix longitudine aut pollicaris aut sesqui-pollicaris, semi-pollicari diametro, densa, extus cinerea, intus colore saturatiori, sapore acri subamaro camphorato; abrupte frangitur.

Amomum Zingiber. L. *Vide Zingiber.*

Amurca. *Vide* Oleum.

AMYGDALUS Communis. L.

L'Amandier.

Amygdalus dulcis. J. B. — Amygdalus sativa fructu majore. C. B. P.; I. R. H.

L'Amandier à fruit doux.

Amygdalus amara. J. B.; C. B. P.; I. R. H.

L'Amandier à fruit amer.

Utriusque semina.

AMYGDALUS Persica. L. — Persica molli carne et vulgaris. C. B. P.; I. R. H.

Le Pêcher.

Folia. Flores.

AMYLUM Cereale.

L'Amidon.

E seminibus *Hordei vulgaris*, et *Tritici hyberni* aut *aestivi*, praecipue extrahitur ea materies, in officinis majoribus.

Concreta venit in acidulas quadrangulas, candidissimas,

sapore nullo; si sincera est, digitos prementes crepitu quodam sollicitat.

AMYLUM Solani tuberosi.

L'Amidon ou la Fécule de Pommes de Terre.

Pulverulentum prostat, partibus non adeo subtilibus ac in Amylo triticeo.

AMYRIS Elemifera. L. — Icicariba. Marcgr.

Ex ea fluit Resina Elemi.

AMYRIS Opobalsamum. L. — Opobalsamum off. Geoffr.

Balsamea Meccanensis, Gled.

AMYRIS Gileadensis. L. — Amyris Opobalsamum. Forsk.

Ex harum una specie, forte ex ambabus prodit, inciso cortice aut decoctis recentibus ramis, Resina Meccanensis fluida seu Meccanense Balsamum, *Baume de la Mecque*, Opobalsamum offic., albidum, turbidum, odore Citri et Rosmarini, temporis tractu spissescens et tunc subluteum ac semi-pellucidum. Idem est ac Balsamum Judaïcum, *le Baume de Judée*, et forte Balsamum Gileadense verum, officinis jamdiu exulans, cujus nomen usurpavit Balsamum aliud ex Abiete Gileadensis fluens. Amyridis Opobalsami lignum est *Xylobalsamum* offic., et hujus fructus *Carpobalsamum* offic.

Anacampseros. *Vide* SEDUM Telephium.

Anacardium Occidentale. L. *Vide* CASSUVIUM Occidentale.

ANACARDIUM Orientale. Off. Jonst; Murr. — Semecarpus Anacardium. L. F. Willd.

L'ANACARDE.

Fructus drupaceus cordiformis; pedunculo insidens brevi, crasso, rugoso; cortice vestitus fusco, laevi, elastico, coriaceo; sub eodem numerosis excavatus alveolis succum recondentibus oleosum, viscosum, nigrum, odorum, acrem; tegunt alveoli coccum membranaceum fetum nucleo albo dulci, pellicula rubente tecto.

ANAGALLIS phoenicea. Lam. — Anagallis arvensis P. L. — Anagallis phoeniceo flore. C. B. P.; I. R. H.

Le Mouron *rouge.*

ANAGALLIS coerulea. Lam. — Anagallis arvensis *a.* L. — Anagallis coeruleo flore. C. B. P.; I. R. H.

Le Mouron *bleu.*

Anagallis aquatica. *Vide* Veronica.

ANCHUSA Officinalis. L. — Buglosum angustifolium majus. C. B. P.; I. R. H.

La Buglosse.

In hujus locum substituuntur indiscriminatim Anchusa Italica et Anchusa angustifolia. L.

Herba. Flores.

ANCHUSA tinctoria. L. — Buglossum radice rubra, sive Anchusa vulgatior. C. B. P.; I. R. H.

*L'*Orcanette.

Radix crassitie digiti, rugosissima, extus saturate rubra, intus alba, inodora, fere insipida, cujus rubore inficiuntur alcool, olea, cera et adipes.

ANDROPOGON Nardus. L. — Calamus odoratus. Matth. — Nardus Indica vulgaris. J. B.

Le Spicanard *ou Nard indien.*

Plantam ex India missam constituit radix capillacea, fusca, gracilis, ex qua prodit caulis aut scapus duplex triplexve radicis forma, pilis asperatus fuscis foliorum caducorum reliquiis, supra productus in folia fasciculata longa, plana, fibrosa, lutescentia. Hujus odor terreus, sapor fere nullus.

ANDROPOGON Schoenanthus. L. — Juncus odoratus aromaticus. C. B. P.

Le Schenante *ou Jonc odorant.*

Herba. Flores.

Androsaemum. *Vide* Hypericum.

ANEMONE nemorosa. L. — Anemone nemorosa flore majore. C. B. P. — Ranunculus phragmites albus vernus. I. R. H. — Ranunculus albus. Off. Murr.

La Sylvie.

Herba. Flores.

ANEMONE Pulsatilla. L. — Pulsatilla folio crassiore et majore flore. C. B. P.; I. R. H.

La PULSATILLE ou Coquelourde.

Folia. Flores.

ANEMONE pratensis. L. — Pulsatilla flore minore nigricante. C. B. P.; I. R. H. — Pulsatilla nigricans. Stoerk. Murr.

L'ANÉMONE des prés.

Haec experimentis Stoerkii celebris est: paratur extractum ex herba florente.

ANEMONE Hepatica. L. — Ranunculus tridentatus vernus. C. B. P.; I. R. H. — Hepatica nobilis. Murr.

L'HÉPATIQUE des Jardins.

ANETHUM Feniculum. L. — Feniculum dulce. C. B. P. — Feniculum dulce majore et albo semine. J. B.; I. R. H.

b. Feniculum vulgare Germanicum. C. B. P; I. R. H.

c. Feniculum vulgare Italicum semine oblongo, gustu acuto. C. B. P. — Feniculum vulgare acriore et nigriore semine. J. B.; I. R. H.

Le FENOUIL.

Radix. Semina.

ANETHUM graveolens. L. — Anethum hortense. C. B. P.; I. R. H.

L'ANET.

Semina. Herba.

ANGELICA Archangelica. L. — Angelica sativa. C. B. P. — Imperatoria sativa. I. R. H.

Radix, caulis, Semina.

Radix Angelicae Parisiis in horto Regio culta, summa cum cura nuper exsiccata, similis omnino inventa fuit

radici ex Bohemia allatae, et virtute praecellens, nedum inferior huic videretur.

ANGELICA sylvestris. L. — Angelica sylvestris major. C. B. P. — Imperatoria pratensis major. I. R. H.

L'Angélique Sauvage.

Angelica Paludapii folio. *Vide* Ligusticum Levisticum.

Angusturae cortex. *Vide* Cusparia.

Angustura spuria. *Vide* Brucea.

Anime Resina. *Vide* Hymenaea.

Anisum stellatum. *Vide* Illicium anisatum.

Anisum vulgare. *Vide* Pimpinella Anisum.

Anonis. *Vide* Ononis spinosa.

Anserina. *Vide* Potentilla Anserina.

ANTHEMIS Cotula. L. — Chamaemelum fetidum. C. B. P.; I. R. H. — Cotula fetida. J. B.; Off. Murr.

La Marroute ou Camomille puante.

Herba.

ANTHEMIS nobilis. L. — Chamaemelum nobile, sive Leucanthemum odoratius. C. B. P.; I. R. H. — Chamomilla Romana. Off. Murr.

La Camomille Romaine.

Herba. Flores.

ANTHEMIS Pyrethrum. L. — Pyrethrum flore Bellidis. C. B. P. — Pyrethrum. Off. Murr.

La Pyrètre.

Radix.

ANTHEMIS tinctoria. L. — Buphthalmum Tanaceti minoris folio. C. B. P.; I. R. H.

L'Oeil de Boeuf.

Anthophylli. *Vide* Caryophyllus aromaticus.

Anthora. *Vide* Aconitum Anthora.

Anthos. *Vide* Rosmarinus officinalis.

ANTIRRHINUM majus. L. — Antirrhinum vulgare. C. B. P.; I. R. H.

Le MUFFLIER *ou Muffle de veau.*

Antirrhinum Linaria. L. *Vide* LINARIA vulgaris.

Antirrhinum spurium. *Vide* LINARIA spuria.

Aparine. *Vide* GALIUM. ASPERULA.

Apiastrum. *Vide* MEMISSA officinalis.

APIUM graveolens. L. — Apium palustre et Apium officinarum. C. B. P.; I. R. H.

*L'*ACHE.

Radix. Herba. Semina.

APIUM graveolens. L. — Apium dulce, Celeri Italorum. C. B. P.; I. R. H.

Le CÉLERI.

APIUM Petroselinum. L. — Apium hortense seu Petroselinum vulgo. C. B. P.; I. R. H. — Petroselinum off. Murr.

Le PERSIL.

Radix. Herba. Flores.

Apium Macedonicum. *Vide* BUBON Macedonicum.

Aqua vitae, aut potius vitis. (*Baccius, de vinis Italiae*). *Vide* ALCOOL.

*L'*EAU-DE-VIE.

Aquifolium. *Vide* ILEX Aquifolium.

AQUILEGIA vulgaris. L. — Aquilegia sylvestris. C. B. P.; I. R. H.

*L'*ANCOLIE.

Herba. Flores. Semina.

Arabicum Gummi. *Vide* ACACIA.

ARBUTUS uva-ursi. L. — Uva-Ursi. Clus.; off. I. R. H.

La BUSSEROLE *ou le raisin d'Ours.*

Folia.

Archangelica. *Vide* ANGELICA Archangelica.

Arctium Lappa. *Vide* LAPPA major.

ARECA Cathecu. L. — Palma cujus fructus sessilis dicitur Faufel. C. B. P.

L'Areque.

Ex Arecae fructu extractum Cathecu off. parari prius credebatur, nunc illud ex *Acacia Catheca* extrahi certius constat.

ARISTOLOCHIA Clematitis. L. — Aristolochia Clematitis recta. C. B. P.; I. R. H. — Aristolochia off. Murr.

L'Aristoloche Clematite.

Radix.

ARISTOLOCHIA longa. — Aristolochia longa vera. C. B. P.; I. R. H.

L'Aristoloche longue.

ARISTOLOCHIA rotunda. L. — Aristolochia rotunda, flore ex purpura nigro. C. B. P.; I. R. H.

L'Aristoloche ronde.

Utriusque Radix.

ARISTOLOCHIA Serpentaria. L. — Aristolochia Pistolochia, seu Serpentaria Virginiana, caule nodoso. Pluk; I. R. H. — Viperina seu Serpentaria Virginiana. Off.

La Serpentaire de Virginie.

Radix capillacea, cinericia, Camphorae odore, sapore amaro et acri.

ARISTOLOCHIA Pistolochia. L. — Aristolochia Pistolochia tenuis. Off.

L'Aristoloche menue.

Radix.

Armoracia. *Vide* COCHLEARIA Armoracia.

ARNICA montana. L. — Doronicum Plantaginis folio alterum. C. B. P.; I. R. H. — Arnica seu Doronicum Germanicum. Off. Murr.

L'Arnica.

Radix. Flores.

ARTEMISIA vulgaris. L. — Artemisia vulgaris major. C. B. P.; I. R. H.

L'Armoise.

Folia. Summitates.

ARTEMISIA Chinensis. L.

L'Armoise de la Chine.

Ex foliis exsiccatis et contusis fit *moxa* Sinensium.

ARTEMISIA Abrotanum. L. — Abrotanum mas angustifolium maximum. C. B. P.; I. R. H. — Abrotanum vulgare. J. B.

L'Aurone ou la Citronelle.

Herba. Summitates.

ARTEMISIA procera. Willd. — Abrotanum mas angustifolium majus. C. B. P.; I. R. H.

Praecedentis succedanea.

ARTEMISIA campestris. L. — Abrotanum campestre cauliculis albicantibus aut rubentibus. C. B. P.; I. R. H.

L'Aurone des Champs.

Praecedentium succedanea.

ARTEMISIA Dracunculus. L. — Dracunculus hortensis. C. B. P. Off. — Abrotanum Lini folio acriori et odorato. I. R. H.

L'Estragon.

Herba culinaris.

ARTEMISIA Absinthium. L. — Absinthium Ponticum seu Romanum officinarum seu Dioscoridis. C. B. P.; I. R. H. — Absinthium vulgare majus. J. B.

L'Absinthe, ou la grande Absinthe.

Herba. Summitates.

ARTEMISIA Pontica. L. — Absinthium Ponticum tenuifolium incanum. C. B. P.; I. R. H.

L'Absinthe Pontique ou *la petite Absinthe.*

Herba. Summitates.

ARTEMISIA maritima. L. — Absinthium Seriphium Belgicum. C. B. P.; I. R. H.

L'Absinthe maritime.

Herba. Summitates.

ARTEMISIA Judaïca. L. — Absinthium Santonicum Judaïcum. C. B. P. — Santonicum seu Cina off. Murr. — Sementina, Semen sanctum, Semen contra off., Scheha Arabum. Dalech.

La Barbotine ou *Sementine.*

ARTEMISIA contra. L.

Duplicis speciei et praecipue *Artemisiae Judaïcae* calyx, nondum expansus, pro semine simplici male habitus, dicitur *Semen contra vermes*, aut *Semen contra* off., summe anthelminticus.

ARTEMISIA rupestris. L. All. Absinthium Alpinum incanum. C. B. P.; I. R. H. — Artemisia mutellina. Villar; Willd. — Artemisia umbelliformis. Lam. — Genipi album off. Murr.

Le Genepi blanc.

In cujus locum substitui potest triplex sequens species.

ARTEMISIA glacialis. L. — Absinthium Alpinum candidum humile. C. B. P.; I. R. H.

ARTEMISIA spicata. Murr.; Willd.

Le Génepi noir.

ARTEMISIA Vallesiana. Lam. — Absinthium Seriphium montanum candidum. C. B. P.; I. R. H.

Arthanita. *Vide* Cyclamen Europaeum.

Arthritica Iva. *Vide* Ajuga.

ARUM vulgare. Lam. — Arum maculatum. L. — Arum vulgare maculatum et non maculatum. C. B. P.; I. R. H.

Le Gouet ou *Pied de Veau.*

Radicis frusta forma varia, intus alba, extus lutescentia, sapore acria, turgentia amylo seu faecula amylacea.

ARUM Dracunculus. — Dracunculus polyphyllus. C. B. P.; I. R. H. Dracuntium sive Serpentaria off.

La Serpentaire.

ARUNDO Donax. L. — Arundo sativa quae Donax Dioscoridis et Theophrasti. C. B. P.; I. R. H.

Le Roseau ou *la Canne.*

Radix.

ARUNDO Phragmites. — Arundo vulgaris, sive Phragmites Dioscoridis. C. B. P.; I. R. H.

Le Roseau à balais.

Radix.

Arundo saccharifera. *Vide* SACCHARUM officinarum.

Asa quibusdam Assa-fetida. *Vide* FERULA.

Asa vel Assa dulcis. *Vide* BENZOINUM.

ASARUM Europaeum. L. — Asarum Dodonaei. J. B.; I. R. H.

L'Asaret ou *Cabaret.*

Radix. Folia.

ASCLEPIAS Vincetoxicum. L. — Asclepias albo flore. C. B. P.; I. R. H. — Hirundinaria seu Vincetoxicum off. Murr.

Le Dompte-Venin.

Radix.

Aspalathi lignum. *Vide* ALOES lignum.

ASPARAGUS officinalis. L.

L'Asperge.

a. Asparagus maritima crassiore folio. C. B. P; I. R. H.

b. Asparagus sylvestris tenuissimo folio. C. B. P.; I. R. H.

c. Asparagus sativa. C. B. P.; I. R. H.

f *

Radix. Turiones.

ASPERULA odorata. — Aparine latifolia humilior montana. I. R. H. — Matrisylva off. Murr. — Hepatica stellata. Tab.

L'Aspérule odorante ou *le Muguet des bois.*

ASPIDIUM Filix mas. Sw. Willd. — Polypodium Filix mas. L. Filix non ramosa dentata. C. B. P.; I. R. H. — Filix mas. Dod. off. Murr.

La Fougère mâle.

Radix.

ASPIDIUM Rhoeticum. Sw. Willd. — Polypodium Rhoeticum. L. — Filicula fontana major, sive Adiantum album, Filicis folio. C. B. P.; I. R. H.

Le Capillaire blanc.

ASPLENIUM Adiantum nigrum. L. — Filicula quae Adiantum nigrum officinarum pinnulis obtusioribus. I. R. H. — Adiantum nigrum off. J. B.

Le Capillaire noir.

Asplenium Ceterach. L. *Vide* CETERACH offic.

ASPLENIUM Ruta muraria. L. — Ruta muraria. C. B. P.; I. R. H.

La Sauvevie, la Rue des murailles.

Asplenium Scolopendrium. *Vide* SCOLOPENDRIUM officinarum.

ASPLENIUM Trichomanes. L. — Trichomanes seu Polytrichum officinarum. C. B. P.; I. R. H.

Le Politric.

Assa vel melius Asa-fetida. *Vide* FERULA.

Assa vel Asa dulcis. *Vide* BENZOINUM.

ASTRAGALUS exscapus. L.

Radix in Hungaria et Germania morbos venereos sanare creditur.

ASTRAGALUS Creticus. Lam.; Willd. — Tragacan-

tha Cretica incana, flore parvo lineis purpureis striato. I. R. H.

ASTRAGALUS Tragacantha. L. — Tragacantha. C. B. P. — Tragacantha Massiliensis. J. B.; I. R. H.

Ex utraque specie in insula Creta manat Gummi Tragacanthae, *la Gomme Adragant*, cujus guttulae vermiformes aut complanatae, albae, inodorae, insipidae, in ore et aqua turgescentes, in mucaginem spissam ac tenacem convertuntur.

ASTRANTIA major. L. — Astrantia major corona floris purpurascente. I. R. H.

L'Astrance.

Sola, nullius est usus; in vulnerariis Helveticis commixta invenitur.

ATHAMANTHA Cretensis. L. — Daucus foliis Feniculi tenuissimis. C. B. P. — Daucus Creticus. Tab.; off. Murr.

Le Daucus de Crête.

Semina.

ATHAMANTHA Oreoselinum. L. — Apium montanum folio ampliore. C. B. P. — Oreoselinum Apii folio minus. I. R. H. — Oreoselinum off. Murr.

Le Persil de montagne.

Semina.

Athanasia maritima. *Vide* Diotis.

Atractylis lutea. *Vide* Carthamus tinctorius.

ATRIPLEX hortensis. L. — Atriplex hortensis alba sive pallide virens. C. B. P.; I. R. H.

L'Arroche cultivée, la Follette ou *la bonne Dame.*

Atriplex fetida. *Vide* Chenopodium vulvaria.

ATROPA Belladona. L. — Solanum maniacum. J. B. — Belladona seu Solanum furiosum. off. Murr.

La Belladone.

Radix. Folia. Fructus.

Atropa Mandragora. L. *Vide* MANDRAGORA officinalis.
Avellana. *Vide* CORYLUS Avellana.
AVENA sativa. L. — Avena nigra. C. B. P.; I. R. H.
B. Avena vulgaris sive alba. C. B. P.; I. R. H.

L'Avoine.

Hujus semen decorticatum et contritum, apud infimae latinitatis authores dicitur *Grutellum*, le *Gruau.*

Aurantium. *Vide* CITRUS Aurantium.
Auricula Judae. *Vide* PEZIZA Auricula.
Auricula Muris. *Vide* HIERACIUM Pilosella.

B.

BALANITES Aegyptiaca. Del. Desf. — Myrobalanus Chebula off. Murr.

Balanitis fructus esse falso creditur, duce Veslingio, Myrobalanus Chebula, *le Myrobolan Chebule,* incertae originis; hujus varietates sunt Myrocalanus Indica et Myrobalanus citrina ex Gaertn.

Balanus Myrepsica. *Vide* MORINGA Zeylanica.
Balaustium. *Vide* PUNICA Granatum.
BALLOTA nigra. L. — Ballota. Matth. I. R. H. — Marrubium nigrum sive Ballote. J. B.

La Ballote ou le Marrube noir.

Marrubio vulgari facile substituitur.

BALSAMITA suaveolens Desf. — Tanacetum Balsamita. L — Tanacetum hortense foliis et odore Menthae. I. R. H. — Balsamita seu Costus hortensis off. Murr.

Le Coq des Jardins,

Folia.

Balsamum Copahu. — B. Brasiliense. *Vide* COPAIFERA.
Balsamum Carpathicum. — B. Hungaricum. *Vide* PINUS.

Balsamum Canadense. *Vide* ABIES.
Balsamum Gileadense. B. Meccanense. B. Judaïcum. *V.* AMYRIS.
Balsamum Peruvianum. — B. Indicum nigrum. *V.* MYROXYLUM.
Balsamum Tolutanum. *Vide* TOLUIFERA.
Balsamum Mariae seu viride. *Vide* CALOPHYLLUM.
Barba Hirci. *Vide* TRAGOPOGON pratense.
Barbarea. *Vide* ERYSIMUM Barbarea.
Bardana. *Vide* LAPPA major.
Basilicum. *Vide* OCIMUM Basilicum.
BDELLIUM Gummi-Resina.

Le BDELLIUM.

Gummi-Resina Orientalis et Indica, ex incerta arbore an ex Palmae, an ex Amyridis specie? Affertur ex Persia et Arabia mixta Myrrhae et Gummi Arabico. Hujus frusta subrotunda ex fusco cinericia, in fragmentis pallentia, quasi cerca, semi-pellucida, odore et sapore Myrrhae sed utroque debiliori praedita.

Beccabunga. *Vide* VERONICA Beccabunga.
Bechium. *Vide* TUSSILAGO Farfara.
Behen album. *Vide* RHAPONTICUM Behen.
Behen album nostras. *Vide* CUCUBALUS Behen.
Behen rubrum. *Vide* STATICE Limonium.
Belladona. *Vide* ATROPA Belladona.
BELLIS perennis. L. — Bellis sylvestris minor. C. B. P.; I. R. H. — Consolida minor quorundam. Off. Lob.

La PAQUERETTE.

Bellis major. *Vide* CHRYSANTHEMUM Leucanthemum.
Benzoïnum Balsamum. *Vide* STYRAX Benzoe.
BERBERIS vulgaris. L. — Berberis dumetorum. C. B. P.; I. R. H.

L'EPINE-VINETTE, ou le Vinettier.

Fructus acidi et semina.

Berula. *Vide* VERONICA, SIUM.

BETA Cycla. L. Beta alba vel pallescens quae Cycla officinarum. C. B. P.; I. R. H.

La Bette ou Poirée.

BETA vulgaris. L.

La Bette-Rave.

A. Beta rubra vulgaris. C. B. P; I. R. H.

B. Beta rubra, radice Rapae. C. B. P.; I. R. H.

Hujus radix magna, crassa, fusiformis, carnosa, esculenta, succo turget saccharato facile extrahendo et in verum saccharum convertendo.

BETONICA officinalis. L. — Betonica purpurea. C. B. P.; I. R. H.

La Betoine.

Folia.

Betonica aquatica. *Vide* SCROPHULARIA aquatica.

BETULA alba. L. — Betula Dodonae. J. B.; I. R. H.

Le Bouleau.

Folia juniora.

Bismalva. *Vide* ALTHAEA officinalis.

Bistorta. *Vide* POLYGONUM Bistorta.

BOLETUS ungulatus. Bull. Cand. — An Boletus igniarius L.? — Agaricus pedis equini facie. I. R. H.

L'Agaric de Chêne l'Amadouvier.

Impenditur in oeconomia pro fomite ignis, in chirurgia pro sistendis haemorrhagiis.

BOLETUS Laricis. L. — Agaricus sive fungus Laricis. C. B. P.; I. R. H.

L'Agaric blanc.

BOLETUS suaveolens. L.; Bull.; Cand. — Agaricus Salicis. off. Murr.

Bonus Henricus. *Vide* CHENOPODIUM Bonus Henricus.

BORRAGO officinalis. L. — Borrago floribus caeruleis. J. B.; I. R. H.

La Bourrache.

Botrys. *Vide* CHENOPODIUM Botrys.
Bovista. *Vide* LYCOPERDON Bovista.
Branca ursina. *Vide* ACANTHUS mollis.
Branca ursina spuria. *Vide* HERACLEUM.
BRASSICA Eruca. L. — Eruca latifolia alba sativa. C. B. P.; I. R. H.

La ROQUETTE des Jardins.

Ea utuntur indiscriminatim et Sisymbrio tenuifolio. L.

BRASSICA oleracea. L.

Le CHOU.

A. Brassica capitata rubra. C. B. P.; I. R. H.
B. Brassica capitata alba. C. B. P.; I. R. H.

BRASSICA Napus. L.

Le NAVET.

A. Napus sylvestris. C. B. P.; I. R. H. — Napus seu Bunias off.

Semina in officinis usitata; ac praeterea ab iis exprimitur Napi oleum, *huile de navette*, in lucernis comburendum.

B. Napus sativa radice alba. C. B. P.; I. R. H.

Radix saccharata in officinis et in culinis usitata.

BRASSICA Rapa. L. — Rapa sativa rotunda, radice candida. C. B. P.; I. R. H.

La RAVE, le TURNEPS.

Brassica maritima. *Vide* CONVOLVULUS Soldanella.
Brasilianum lignum. *Vide* CAESALPINIA.
Britannica herba. *Vide* RUMEX aquaticus.
BRUCEA antidysenterica. Mill.

La FAUSSE ANGUSTURA.

Angusturae spuriae cortex crassus, densus, in fractura granosus cinereus, cuticula tectus nunc spissa et solida, cinerea lutescente, punctis albis conspersa, nunc laevi, fungosa, rubiginosa. Ab Angustura vera discrepat odore fere nullo, sapore amariore et tenaciore.

BRUNELLA vulgaris. Lam. Cand. — Prunella vulgaris. L. — Brunella major, folio non dissecto. C. B. P.; I. R. H.

La BRUNELLE.

Bruscus. *Vide* RUSCUS aculeatus.

BRYONIA dioïca. Jacq. Willd. — Vitis alba sive Bryonia Dod. Bryonia aspera, sive alba, baccis rubris. C. B. P.; I. R. H.

La BRYONE *ou Couleuvrée ou Vigne blanche.*

Radix, faecula.

BUBON Galbanum. L. — Ferula Africana Galbanifera, folio et facie Ligustici. Herm.

Ex eo educitur gummi-resina *Galbanum* dicta, quam constituunt massae forma variae, molles, rufulae, semipellucidae, guttulis conspersae albidis, graveolentes non alliaceae, sapore acres et amarae.

BUBON Macedonicum. — Apium Macedonicum. C. B. P.; I. R. H. — Petroselinum Macedonicum Dod. off. Murr.

Le PERSIL *de Macédoine.*

Fructus.

Buglossum. *Vide* ANCHUSA officinalis.
Bugula. *Vide* AJUGA.
Bunias. *Vide* BRASSICA Napus.
Buphthalmum. *Vide* ANTHEMIS tinctoria.

BUPLEVRUM rotundifolium. L. — Buplevrum perfoliatum rotundifolium annuum. I. R. H. — Perfoliata. Dod.; Off. Murr.

Le BUPLÈVRE *ou la Percefeuille.*

Bursa Pastoris. *Vide* THLASPI Bursa Pastoris.
Butua. *Vide* CISSAMPELOS Pareira.

BUXUS sempervirens. L. — Buxus arborescens. C. B. P.; I. R. H.

Le BUIS *ou Bouis.*

C.

Cacao. *Vide* THEOBROMA Cacao.

CACTUS Opuntia. L.

Le NOPAL *ou la Raquette.*

Super hac specie et affinibus alitur, crescit et colligitur Coccus infectorius, *la Cochenille.*

Cahutchuc. *Vide* SIPHONIA.

CAESALPINIA echinata. L.

Bois de Brésil.

Cujus lignum tincturae communi rubrae inservit.

Caieput. *Vide* MELALEUCA Leucadendron.

CALAGUALA.

Radix incertae originis, certo ex Filicum ordine; an ex Polypodii specie?

Calambac. *Vide* ALOES lignum.

Calamintha. *Vide* MELISSA Calamintha.

Calamintha humilior. *Vide* GLECOMA hederacea.

Calamus aromaticus. *Vide* ACORUS Calamus.

CALAMUS Draco. Willd. — Palmi-Juncus Draco. Rumph.

Una esse creditur ex arboribus fundentibus resinam, quam dicunt *sanguis Draconis.*

Vide SANGUIS Draconis.

Calcatrippa. *Vide* DELPHINIUM consolida.

CALCITRAPA stellata. Lam. — Centaurea Calcitrapa. L. — Carduus stellatus, sive Calcitrapa. J. B.; I. R. H.

La CHAUSSE-TRAPE, *le Chardon étoilé.*

CALENDULA arvensis. L. — Caltha arvensis. C. B. P.; I. R. H.

Le SOUCI *des vignes.*

CALENDULA officinalis. L. — Caltha vulgaris. C. B. P.; I. R. H.

Le SOUCI *des Jardins.*

Callicocca. *Vide* CEPHAELIS.

CALOPHYLLUM Inophyllum. L.

Le TACAMAHACA *de l'île de Bourbon.*

Ex hac arbore fluit *resina* viridis dicta *Balsamum Mariae*, aliis *Tacamahaca.*

Caltha. *Vide* CALENDULA.

CAMBOGIA Gutta. L.

Le GUTTIER.

Ex ea manat non vera Gummi-Resina *Gutta*, ex Guttaefera oriunda, teste Koenigio, sed spuria.

Campechianum lignum. *Vide* HAEMATOXYLUM.
Camphora. *Vide* LAURUS Camphora.
Camphorata. *Vide* CAMPHOROSMA.

CAMPHOROSMA Monspeliensis. L. — Camphorata hirsuta. C. B. P.

La CAMPHRÉE *de Montpellier.*

CANADENSIS Resina fluida, vel Balsamum Canadense. *Vide* ABIES Balsamea.

La RÉSINE *fluide* ou *le Baume du Canada.*

CANELLA alba. Murr. — Winterania Canella. L. — Canella alba seu cortex Winteranus spurius, seu Costus corticosus off.

La CANELLE *blanche* ou *la Fausse Ecorce de Winter.*

Cortex extus rasus et ex albo-lutescens, intus albus, in cylindrum convolutus, lineam aut semi-lineam crassus, aromatico simul et amaro praeditus Piperis et Caryophylli sapore, candidior vero cortice Winterano ex Wintera oriundo, minus densus minusque convolutus.

Canella Malabarica. *Vide* LAURUS Cassia.

CANNABIS sativa. L. — Cannabis erratica. C. B. P.; I. R. H.

Le CHANVRE *et son fruit le Chenevis.*

Oleum e seminibus exprimitur.

Caphura. *Vide* CAMPHORA.

Capillus Veneris. *Vide* ADIANTUM Capillus Veneris.

CAPPARIS spinosa. L. — Capparis spinosa fructu minore, folio rotundo. C. B. P.; I. R. H.

Le Caprier.

Cortex radicis, Gemmulae florum aceto conditae pro condimentis usurpatae.

CAPRIFOLIUM Germanicum. Dod. I. R. H. — Lonicera Periclymenum. L.

Le Chèvrefeuille des bois.

CAPSICUM annuum. L. — Capsicum siliquis longis propendentibus. I. R. H. — Piper Indicum vulgatissimum. C. B. P. Off.

Le Piment ou Poivre d'Inde.

Condimentum e fructibus immaturis acerrimis.

CARANNA Gummi-Resina.

La Gomme-résine Caragne.

Incertae originis.

Carannae massae laeves, forma variae, passim tectae fractis Junci aut Arundinis foliis, ex viridi nigrescentes extus, intus pallidiores et in marmoris speciem variegatae, siccae, fragiles aut tenaciores, ob oleum contentum aromaticae.

Cardamindum. *Vide* TROPAEOLUM majus.

CARDAMINE pratensis. L. — Cardamine pratensis magno flore. I. R. H.

Le Cresson des prés.

Cardamomum. *Vide* AMOMUM Cardamomum.

Cardiaca. *Vide* LEONURUS.

Carduus benedictus. *Vide* CNICUS benedictus.

Carduus marianus. L. *Vide* SILYBUM.

Carduus arvensis seu haemorrhoïdalis. *Vide* CIRSIUM.

CAREX arenaria. L. — Sarsaparilla Germanica off. Murr.

Radix.

Carica. *Vide* FICUS Carica.
CARLINA acaulis. L. — Carlina acaulos magno flore. C. B. P.; I. R. H. — Chamaeleon albus. Clus. Off.

La CARLINE, le Chaméléon blanc.

CARLINA caulescens. Lam. — Carlina caulescens magno flore. C. B. P.; I. R. H.

La CARLINE noire.

Carpobalsamum. *Vide* AMYRIS Opobalsamum.
CARTHAMUS tinctorius. L. — Carthamus officinarum flore croceo. I. R. H.

Le CARTHAME ou *Safran bâtard.*

Flosculi, Crocum colore mentientes sed inodori, tincturam suppeditant pulchre roseam sed fugacem. Semina alba laevia, in officinis usitata.

CARTHAMUS lanatus. L. — Cnicus Atractylis lutea dictus. I. R. H.

Le CHARDON bénit des Parisiens.

Carvi. *Vide* CARUM Carvi.
CARUM Carvi. L. — Carvi Caesalp. I. R. H. — Cuminum pratense, Carvi officinarum. C. B. P.

Le CARVI.

Semina.

Caryophyllata. *Vide* GEUM urbanum.
CARYOPHYLLUS aromaticus. L.; C. B. P.

Le GÉROFLIER.

Calices immaturi, flore nondum aperto, sunt Caryophylli offic., *les clous de Gérofle*, claviformes, fusci, oleosi, suaviter ac summe odori, aromatici ex quibus oleum volatile copiosum, aqua gravius, destillatione extrahendum. Iidem, maturi et semine feti, fiunt Antophylli, *les clous matrices, les mères de Gérofles.*

Caryophyllus ruber. *Vide* DIANTHUS Caryophyllus.
Cascarilla. *Vide* CROTON Cascarilla.
CASSIA fistula L. — Cassia fistula Alexandrina. C. B. P.; I. R. H.

Le Canéficier.

Legumen longissimum, cylindricum, sub-ligneum, nigrescens, duplici exaratum sutura longitudinali, dictum Cassia fistula, *Casse en bâtons*, intus dissepimentis transversis in loculos partitum numerosos, quorum singuli laeve ac rubens semen recondunt, pulpa nigrescente involutum.

CASSIA Senna. Del. Aegypt. 13. — Cassia Senna, Lin. — Senna. Dodon. — Senna Italica foliis obtusis. C. B. P.; I. R. H.

Le Séné à larges feuilles.

Vulgatior: foliola subcuneato-obovalia, obtussima; legumina (*Folliculi* dicta), oblonga, lunata incurva.

CASSIA acutifolia. Del. ibid. — Cassia Senna, *A.* Lin. — Senna Alexandrina foliis acutis. C. B. P.; I. R. H.

Le Séné de la Palthe et ses fruits les follicules de Séné.

Praestantior: foliola sublanceolato-ovalia, acuta; legumina ovalia rectiuscula.

Hujusce foliis folia *Cynanchi Argel*, illis subsimilia, immixta haud raro reperiuntur: haec autem vere lanceolata, utrimque pariter in acutum angustata, lateribus baseos aequalibus (nec, uti Sennae, basi inaequilatera) et nervis non prominulis, facile distinguntur: paulo validius cathartica dicuntur.

Cassia lignea. *Vide* Laurus Cassia.

Cassia Caryophyllata. *Vide* Myrtus Caryophyllata.

CASSUVIUM occidentale. Lamark. — Anacardium occidentale. L.

Le Caju ou l'Acajou.

Drupa reniformis, dicta *Noix d'Acajou*, sub cortice coriaceo laevi alveolata, alveolis succo oleoso viscoso, nigro, acri et summe caustico turgidis; nux unilocularis, feta nucleo seu semine amygdalyno eduli, dulci. Pedunculus fructifer, in formam majoris Pomi Pyrive incrassatus, verum fructum mentitur; carne quidem non eduli, sed succo acerbo-acido turgida.

Ex arbusculae cortice fluit gummi (Acaju Gummi, *Gomme d'Acajou*), in stillas concretum longas, pellucidas, aureas, insipidas, dentibus adhaerentes, aqua solubiles. Saepe etiam in massas densatur informes.

CASTANEA sativa. C. B. P.; I. R. H. — Fagus Castanea. L.

Le CHATAIGNIER *ou Marronnier.*

Cataputia major. *Vide* RICINUS communis.
Cataputia minor. *Vide* EUPHORBIA Lathyris.
Cataria. *Vide* NEPETA Cataria.
Cathecu. *Vide* ACACIA Catechu.
Cauda Equina. *Vide* EQUISETUM limosum.
Cauda Porcina. *Vide* PEUCEDANUM officinale.
Cedrus. } *Vide* LARIX.
Cedrinum lignum. }
Centaurea Behen. L. *Vide* RHAPONTICUM Behen.
Centaurea benedicta. L. *Vide* CNICUS benedictus.
Centaurea Calcitrapa. L. *Vide* CALCITRAPA stellata.
CENTAUREA Centaurium. L. — Centaurium majus foliis in plures lacinias divisis. C. B. P.; I. R. H.

La GRANDE CENTAUREE.

Centaurea Cyanus. L. *Vide* CYANUS segetum.
Centaurea Jacea. L. *Vide* JACEA.
Centaurium majus. *Vide* CENTAUREA Centaurium.
Centaurium minus. *Vide* ERYTHRAEA Centaurium.
Centum-nodia seu Centinodia. *Vide* POLYGONUM Aviculare.
Cepa. *Vide* ALLIUM Cepa.
CEPHAELIS emetica. Pers. — Callicocca. Brot.

*L'*IPECACUANHA *gris.*

Incerta antehac Ipecacuanhae origo, modo adscripta speciei Paridis, modo Caprifolii, Euphorbii, Ionidii, nunc certius innotuit. Duplex habetur in officinis nostris hujus speciei, aut potius, ex notis recentioribus, varietas ejusdem radicis; Altera cinericia, altera fusca, utraque diametro calami scriptorii, cortice vestita crasso, extus rugoso, fissuris numerosis transversis quasi in annulos

breves secto, ligneum tegente meditullium, quod ab ipso facile disjungitur. Hujus radicis odor ingratus, sapor acris nauseosus, vis medica in cortice major, in ligno minima. Utraque Brasilianae Cephaeli debetur, et sola fere in usu medico apud nos recipitur. Alia praeterea radix est, quam Ipecacuanham quoque dicunt; hanc suppeditat *Psychotria emetica*, Mutis. De hac vide in Psychotria. *Vide* etiam Ionidium.

CERASUS domestica. — Prunus Cerasus. L.

Le Cerisier.

A. Cerasus sativa fructu rotundo, rubro et acido. C. B. P.; I. R. H.

La Cerise ordinaire.

B. Cerasus fructu acido serotino succi sanguinei. I. R. H.

La Cerise noire.

CERASUS Avium. Moench. Cand. — Prunus Avium. L. — Cerasus major ac sylvestris, fructu sub-dulci, nigro colore inficiente. C. B. P.; I. R. H.

Le Merisier.

CERASUS Mahaleb. Mill. Cand. — Prunus Mahaleb. L. — Cerasus sylvestris amara, Mahaleb putata. J. B.; I. R. H.

Le Mahaleb.

CERASUS Padus. Cand. — Prunus Padus. L. — Cerasus racemosa sylvestris, fructu non eduli. C. B. P.; I. R. H.

Le Putier, le Bois de Sainte-Lucie.

CERASUS Lauro-Cerasus. — Prunus Lauro-Cerasus. L. — Lauro-Cerasus. Clus.; J. B.; I. R. H.

Le Laurier-Cerise ou *Laurier amandé.*

Folia in usum Culinarem caute parceque et adhibenda. Destillatione oleum volatile fundunt, aqua ponderosius, quod vere quidem abundantius, autumno parce admodum elicitur.

CERATONIA Siliqua. L. — Siliqua edulis. C. B. P.; I. R. H.

Le CAROUBIER et son fruit, *le Carouge.*

Cerefolium. *Vide* CHAEROPHYLLUM sativum.

Cerevisia. *Vide* HORDEUM.

CETERACH officinarum. Willd.; C. B. P. — Asplenium Ceterach. L.

Le CETERACH.

Cevadilla. *Vide* VERATRUM Sabadilla.

Chacarilla. *Vide* CROTON Cascarilla.

CHAEROPHYLLUM sativum. C. B. P.; I. R. H.; Lam.; Cand. — Scandix Cerefolium L.

Le CERFEUIL *cultivé.*

Herba officinalis simul et culinaris, distinguenda ultimis foliorum divisuris tenuibus ovato-sinuatis, involucello florum brevissimo, 1-3-phyllo, fructibus oblongis cylindricis glabris; cui nonnunquam in culinis incaute juncta invenitur promiscue in hortis crescens *Aethusa cynapium* (*vide* AETHUSA). Haec, noxia, et vomitum ac tormina ciens, si ingesta sit, discrepat odore alliaceo, ultimis foliorum divisuris nitidioribus elongatis acutis, involucello triphyllo longo, dimidiato seu ad latus extimum rejecto, fructibus ovatis striatis.

CHAEROPHYLLUM temulum. L. — Chaerophyllum sylvestre. C. B. P. off. — Myrrhis annua semine striato laevi Mor.; I. R. H.

Le CERFEUIL *sauvage.*

Chamaeacte. *Vide* SAMBUCUS Ebulus.

Chamaedrys. *Vide* TEUCRIUM Chamaedrys.

Chamaeleon albus. *Vide* CARLINA acaulis.

Chamaemelum fetidum. *Vide* ANTHEMIS Cotula.

Chamaemelum nobile. *Vide* ANTHEMIS nobilis.

CHAMAEMELUM vulgare. Off. Dod. — Matricaria Chamomilla. L. — Chamaemelum vulgare seu Leucanthemum Dioscoridis. C. B. P.; I. R. H. — Chamomilla nostras. Off.

La CAMOMILLE *ordinaire.*

Flores.

Chamaepitys. *Vide* AJUGA Chamaepitys.
Chamomilla. *Vide* CHAMAEMELUM vulgare.
Chebula. *Vide* BALANITES.
CHEIRANTHUS Cheiri. L. — Leucoïum Luteum vulgare. C. B. P.; I. R. H.

Le VIOLIER ou Giroflier jaune.

Cheiri. *Vide* CHEIRANTHUS Cheiri.
CHELIDONIUM majus. L. — Chelidonium majus vulgare. C. B. P.; I. R. H.

La GRANDE CHÉLIDOINE ou 'lECLAIRE.

Chelidonium minus. *Vide* FICARIA.
CHENOPODIUM anthelminticum. L. — Chenopodium Lycopi folio perenne Dill.

L'ANSERINE anthelmintique.

CHENOPODIUM Ambrosioïdes. L. — Chenopodium Ambrosioïdes Mexicanum. I. R. H. — *Botrys* Mexicana. Off. Murr.

Le THÉ du Mexique.

CHENOPODIUM Botrys. L. — Chenopodium Ambrosioïdes folio sinuato. I. R. H. — Botrys. Dod.; Off.; Murr.

Le BOTRYS.

CHENOPODIUM Bonus-Henricus. L. — Chenopodium folio triangulo. I. R. H. — Bonus-Henricus. J. B.; Off.; Murr.

Le BON-HENRI.

CHENOPODIUM Vulvaria. L. — Chenopodium fetidum. I. R. H. — Atriplex fetida. C. B. P. — Vulvaria off. Murr.

La VULVAIRE ou l'Arroche puante.

CHIBOU Resina.

La RÉSINE CHIBOU ou CACHIBOU.

Resina lutea, pellucida, glutinosa, aromatica, in aëre libero siccescens, ex America advehitur foliis arboris Cachibou involuta, ex Bursera Gummifera fluens.

China-China cortex. *Vide* CINCHONA.
China radix. *Vide* SMILAX China.

CHRYSANTHEMUM Leucanthemum. L. — Leucanthemum vulgare. I. R. H. — Bellis major. Dod.; J. B.; Off.; Murr.

La GRANDE MARGUÉRITE.

Christophoriana. *Vide* ACTAEA spicata.

CICER arietinum. L. — Cicer sativum. C. B. P.; I. R. H.

Le Ciche ou Pois Chiche.

CICHORIUM Endivia. L. — Cichorium latifolium seu Endivia vulgaris. I. R. H.

La CHICORÉE Endive.

CICHORIUM Intybus. L. — Cichorium sylvestre sive officinarum. C. B. P.; I. R. H.

La CHICORÉE sauvage.

Utriusque radix, herba. Tostae radicis usus, Coffeae loco, apud vulgum et in Germania frequens.

Cicla. *Vide* BETA Cicla.

CICUTA major. Lam.; C. B. P.; I. R. H.; Off. — Conium maculatum. L.

La GRANDE CIGUE.

Herba.

Ab *Apio Petroselino* herba culinari sedulo distinguitur *Cicuta*, quoad habitum subsimilis, sed nullatenus alimentaria, atque etiam non sine quodam periculo ingerenda. Huic foliorum ultimae divisurae angustiores, saturatius virentes; caulis altior, nigris maculis conspersus; involucrum umbellarum polyphyllum breve; fructus subsphaericus striatus striis crispis; odor plantae gravis. Contra *Petroselino* odor non insuavis, color laete virens, fructus ovatus striatus non crispus, involucrum nullum, aut vix monophyllum minimum; foliorum divisurae latius dentatae, dentium acumine albido. Cicuta non nisi in paludosis habitat.

Cicuta minor. *Vide* AETHUSA Cynapium.

CICUTARIA aquatica. Lam. — Cicuta virosa. L. — Sium palustre alterum foliis serratis. I. R. H. — Cicuta aquatica. Off. Murr.

La Cigue d'eau.

CINARA Carduneulus. L. — Cinara spinosa cujus pediculi esitantur. C. B. P; I. R. H.

Le Cardon.

CINARA Scolymus. L.

L'Artichaut.

A. Cinara sylvestris latifolia. C. B. P.; I. R. H.

B. Cinara hortensis foliis non aculeatis. C. B. P.; I. R. H.

CINCHONA officinalis. L. — Cinchona Condaminea. Humb. Bonpl. — Cortex Peruvianus. Off. — Kinakina cinericia.

Le Quinquina gris de Loxa.

Cortex crassitie nunc calami scriptorii, nunc digiti, varius, tectus epidermide cinericia, rugosa, transversis fissuris et interdum lichene minimo deturpata; idem intus ex fulvo ferruginens, in fractura laevi fuscus ac quasi resinosus; astringens, amarus; non intermixto mucaginis sapore, et cujus amarities, non illico, verum ubi saliva subactus est, in ore evolvitur; odore sub-aromaticus.

CINCHONA ovalifolia. Mutis. — Cinchona macrocarpa. Vahl.

Le Quinquina blanc.

Cortex ut in officinali, pallidior tamen, extus magis cinericius, sapore saponaceo, summe amaro, non astringente.

CINCHONA lancifolia. Mutis. — Cinchona nitida. R. P.

Le Quinquina orangé.

Cortex latus, intus fulvus, epidermide tectus fusca, rugosa, fissuris transversis, sub-aromaticus, summe amarus, ad Cinchonae luteae saporem accedens.

CINCHONA cordifolia. Mutis. — Cinchona pubescens. Vahl. — Cinchona micrantha. R. P.

Le QUINQUINA *jaune* ou *Jaune royal* ou *Calisaya.*

Cortex latus complanatus aut varie convolutus, nunc tectus epidermide in laminas seu crustas solubili, nunc extus rasus et sulcis transversis exaratus, textura densus subfibratus, colore luteo-fulvus, sapore valde amarus et astringens, vix odorus.

CINCHONA oblongifolia. Mutis. — Cinchona magnifolia. R. P.

Le QUINQUINA *rouge.*

Cortex crassus, fibratus, plus minusve ruber, amarus, summe astringens, epidermide tectus crassa rugosa, fissuris in plurimos sensus distincta.

Cinchona Caribaea. *Vide* EXOSTEMA Caribaea.
Cinchona floribunda. *Vide* EXOSTEMA floribunda.
Cinnamomum. *Vide* LAURUS Cinnamomum.

CIRSIUM arvense. Lam. Cand. — Serratula arvensis. L. — Cirsium arvense Sonchi folio, radice repente. I. R. H.

Le CHARDON *hémorrhoïdal.*

CISSAMPELOS Pareira L. — Pareira-Brava, Ambutua, Butua. Off. Murr. (Forsan Abutae species.)

La PAREIRA-BRAVA ou *Butua.*

Radix lignea, fibrata, dura, tortuosa, extus fusca, intus ex cinereo lutescens, inodora, amara.

CISTUS Creticus. L. — Cistus Ladanifera Cretica. I. R. H. Cor. — Ladanum Creticum. Alp.

Le CISTE *de Crête.*

Ex nonnullis Cistis et praecipue ex Cisto Cretico exsudat in Creta Ladanum seu Labdanum, resina semisolida glutinosa nigra, odore suavis et aromatica.

Citrago. *Vide* MELISSA officinalis.
Citreum. *Vide* CITRUS medica.
Citrullus. *Vide* CUCURBITA Citrullus.

CITRUS Aurantium. L.

L'Oranger.

α. Aurantium acri medulla vulgare. I. R. H.
β. Aurantium Olyssiponense. Ferr.; I. R. H. — Malus Aurantia. C. B. P.
Sedum majus. *Vide* SEMPERVIVUM tectorum.

Semecarpus. *Vide* ANACARDIUM Orientale.

Sementina, semen contra. *Vide* ARTEMISIA contra.

SEMPERVIVUM tectorum. L. — Sedum majus vulgare. C. B. P.; I. R. H.

La JOUBARBE.

Folia recentia.

Senna. *Vide* CASSIA Senna.

SENECIO vulgaris. — Senecio minor vulgaris. C. B. P.; I. R. H.

Le SENÉÇON.

SENECIO Jacobaea. L. — Jacobaea vulgaris laciniata.

C. B. P.; I. R. H. — Senecio major sive flos Sancti Jacobi. Matth.

La JACOBÉE, *l'Herbe de Saint-Jacques.*

Senega. *Vide* POLYGALA Senega.

Serpentaria officinalis. *Vide* ARUM Dracunculus.

Serpentaria Virginiana. *Vide* ARISTOLOCHIA Serpentaria.

Serpentina radix. *Vide* OPHIORRHIZA Mungos.

Serpentinum lignum. *Vide* OPHIOXYLON.

Serpillum. *Vide* THYMUS Serpillum.

SESAMUM Orientale. L. — Digitalis Orientalis Sesamum dicta. I. R. H. — Sesamum. J. B.; Dod.

Le SESAME *ou la Jugeoline.*

SESELI tortuosum. L. — Seseli Massiliense Feniculi folio. C. B. P. — Feniculum tortuosum. J. B.; I. R. H.

Le SESELI *de Marseille.*

Seseli officinarum. *Vide* LASERPITIUM Siler.

Sigillum Salomonis. *Vide* POLYGONATUM.

Sigillum Mariae. *Vide* TAMUS communis.

Siler. *Vide* LASERPITIUM.

SILYBUM Marianum. Gaertn. — Carduus Marianus. L. — Carduus albis maculis notatus vulgaris. C. B. P.; I. R. H. — Carduus Mariae sive lacteis maculis notatus. J. B.

Le CHARDON-MARIE.

Siliqua. *Vide* CERATONIA Siliqua.

SIMARUBA amara. Aubl. — Quassia Simaruba. L. F.

Le SIMAROUBA.

Radicis cortex usitatissimus, longus, fibrosus, tenuis, levis, convolutus, cinericius, valde amarus; rarum est in officinis lignum, cujus scobes cortice amariores.

SINAPIS nigra. L. — Sinapi Rapi folio. C. B. P.; I. R. H.

La MOUTARDE, *le Senevé, la Sanve.*

Semen tritum.

SINAPIS alba. L. — Sinapi album siliqua hirsuta; semine albo et rufo. J. B.; I. R. H.

La Moutarde blanche.

SIPHONIA Cahuchu. Willd. — Jatropha elastica. L. — Hevea Guianensis. Aubl.

L'Arbre au Caout-Chouc ou à la Gomme élastique.

Ex ea extrahitur resina Guianensis elastica, vulgo gummi elasticum. Cahuchu seu *Caoutchouc* dictum; venundatur sub forma lagenarum elasticarum, nunc fuscarum semipellucentium, nunc nigrescentium; in specillis conficiendis utile. Materies similis ex aliis elicitur plantis, sed parcior.

SISON Ammi. L. — Ammi parvum foliis Feniculi. C. B. P. — Feniculum annuum Origani odore. I. R. H.

L'Ammi des Boutiques.

Semina.

SISON Amomum. L. — Sium aromaticum, Sison officinarum. I. R. H. — Sison quod amomum officinis nostris. C. B. P.

Le Faux Amome.

Semina.

SISYMBRIUM Nasturtium. L. — Sisymbrium aquaticum. Matth.; I. R. H. — Nasturtium aquaticum supinum. C. B. P.

Le Cresson de Fontaine.

Herba recens.

SISYMBRIUM Sophia. — Sisymbrium annuum Absinthii minoris folio. I. R. H. — Sophia chirurgorum. Lob.

Le Talictron.

SISYMBRIUM tenuifolium. L. — Eruca tenuifolia perennis, flore luteo. J. B.; I. R. H. — Eruca sylvestris vulgatior. Park.

La Roquette *sauvage.*

Sumitur indiscriminatim pro Brassica Eruca.

SIUM angustifolium. Jacq.; Willd. — Sium sive Apium palustre foliis oblongis. C. B. P.; I. R. H. — Berula officinarum. Chom.

La Berle.

SIUM latifolium. C. B. P.; I. R. H.; L.

La Berle.

Sumuntur indiscriminatim.

Sium aromaticum. *Vide* Sison Amomum.

SIUM Ninzi. L.

Le Ninzi *de la Chine.*

Radix.

SMILAX China. L. — China radix. C. B. P.; Off.

La Squine.

E China, India et America advehitur radix, cujus diameter vix aequat duos aut tres pollices, geniculata, extus fusco-rubens, intus pallidior, sapore quasi farinoso astringente.

SMILAX Sarsaparilla. — Smilax aspera Peruviana seu Salsaparilla. C. B. P.

La Salsepareille.

Radix Americana, cujus summa pars dura, lignea, crassa, diametro unius aut duorum pollicum, plures infra emittit angustiores radiculas cylindricas, calami scriptorii crassitie, longitudine pedum trium quatuorve et ultra; cortice extus fusco-cinereo, intus roseo albicante, meditullio ligneo albo, cylindrico, in longitudinem facile fissili: sapor est fatuus, mucosus, odor peculiaris quasi terreus.

Soda. *Vide* Salsola Soda.

SOLANUM Dulcamara. L. — Solanum scandens seu Dulcamara. C. B. P.; I. R. H.

La Douce-Amère.

Caules.

SOLANUM nigrum. L. — Solanum officinarum acinis nigricantibus. C. B. P.; I. R. H.

La MORELLE.

SOLANUM Lycopersicon. L. — Lycopersicon Galeni. Anguil.; I. R. H. — Solanum pomiferum fructu rotundo striato molli. C. B. P. (*Nunc habetur ut genus distinctum.* LYCOPERSICON.)

La TOMATE *ou la Pomme d'Amour.*

SOLANUM tuberosum. L. — Solanum tuberosum esculentum. C. B. P.; I. R. H.

La POMME DE TERRE.

Radix; Faecula.

Solanum maniacum. *Vide* ATROPA Belladona.
Solanum pomo spinoso. *Vide* DATURA Stramonium.
Solanum racemosum. *Vide* PHYTOLACCA decandra.
Soldanella. *Vide* CONVOLVULUS Soldanella.

SOLIDAGO Virga aurea. L. — Virga aurea vulgaris latifolia. C. B. P.; I. R. H.

La VERGE D'OR.

SONCHUS oleraceus. L. — Sonchus laevis laciniatus latifolius. C. B. P.; I. R. H.

Le LAITRON *ou Laceron.*

Sophia Chirurgorum. *Vide* SISYMBRIUM Sophia.

SORBUS domestica. L. — Sorbus sativa. C. B. P.; I. R. H.

Le SORBIER *ou Cormier.*

SPARTIUM junceum. L. — Genista juncea. J. B.; I. R. H.

Le GENÊT *d'Espagne.*

SPARTIUM Scoparium. L. — Genista angulosa et Scoparia. C. B. P. — Cytiso-Genista Scoparia vulgaris. I. R. H.

Le GENÊT *à balais.*

Summitates; Cineres fruticis.

Sphacelus. *Vide* SALVIA officinalis.
Sphondylium. *Vide* HERACLEUM Sphondylium.
Spica. *Vide* LAVANDULA Spica.
Spica Celtica. *Vide* VALERIANA Celtica.
Spica indica. } *Vide* ANDROPOGON nardus.
Spica nardi. }
Spica nardi spuria. *Vide* ALLIUM Victorialis.
SPIGELIA Anthelmia. L. — Anthelmintica quadrifolia, spicis terminalibus et e centro frondis. Brown.
La Brainvilliers.
SPIGELIA Marilandica. L.

Utriusque radix et herba.

SPILANTHUS oleracea. L.

Le Cresson de Para.

Herba. Flores saporis fervidi.

SPILANTHUS Acmella. L. — Chrysanthemum Bidens, seu Bidens Zeylanica flore luteo, Lamii folio, Acmella dicta Breyn. — Acmella Mauritiana Persoon.
Spina Cervina. *Vide* RHAMNUS catharticus.
Spina alba. *Vide* MESPILUS oxyacantha.
SPINACIA oleracea. L. — Spinacia vulgaris capsula seminis aculeata. I. R. H.

B. Spinacia vulgaris capsula seminis non aculeata. I. R. H.

L'Epinard.
SPIRAEA Filipendula. L. — Filipendula vulgaris an Molon Plinii. C. B. P.; I. R. H. — Saxifraga rubra. Ger.; Off. Murr.

La Filipendule.

SPIRAEA Ulmaria. L. — Ulmaria Clus.; I. R. H. — Regina prati. Dod.

La Reine-des-Prés.

Spongia Rosae. *Vide* ROSA canina.
Staphisagria. *Vide* DELPHINUM Staphisagria.
STATICE Limonium. L. — Limonium maritimum

majus. C. B. P.; I. R. H. — Limonium majus multis, aliis Behen rubrum. J. B.

Le Behen *rouge.*

Stoechas Arabica. *Vide* Lavandula Stoechas.
Stoechas citrina. *Vide* Gnaphalium Stoechas.
Storax balsamum. *Vide* Styrax officinale.
Stramonium. *Vide* Datura Stramonium.

STRYCHNOS colubrina. L. — Clematis indica spinosa foliis luteis. C. B. P. — Lignum colubrinum. Lob.; Off. Murr.

Le Bois *de Couleuvre.*

Radix.

STRYCHNOS Nux vomica. L. — Nux vomica officinarum. C. B. P.

Le Vomiquier avec son fruit, *la Noix vomique.*

Semina orbiculata depressa lentis instar, intus cornea, tegimen vestita cinereo quasi serico, sapore acri amaro.

STRYCHNOS Ignatii. Lam. — Ignatia amara. L.

Semina varie angulata, intus solida quasi cornea, extus cinerea, valde amara, dicta Fabae Sancti Ignatii, *Fèves de Saint-Ignace.*

STYRAX officinale. L.

Le Styrax *ou l'Alibousier.*

Ex eo inciso, praecipue in orientalibus plagis, fluit balsamum Storax, triplici modo prodiens. 1°. Storax granata, *Storax en grains*, rarissima, guttarum forma, purior, pellucida, alba, suaveolens, digito premente mollescens. 2°. Altera vesicis involuta, pretii non mediocris, tenacior, facile liquescens, colore intus variegato, Benzoini instar suaveolens, balsamica, frustis constans mole variis. 3°. Tertia communis, rufescens, digito premente friabilis, balsamum peruvianum redolens, amara, sordibus saepe inquinata, dicta falso *Storax calamites*, utpote quadantenus similis Storaci antiquorum calamiti, vix notae. Diversa est ab his omnibus Styrax liquida e Liquidambare defluens.

STYRAX Benzoïn. Dryand.

Le Benjoin.

Ex ea apud Sumatrenses indigena, non ex Lauro Bezoïn, teste Marsden et edente Dryandro, balsamum fluit Benzoë, seu benzoïnum verum, *le vrai Benjoin*, aliis Asa dulcis dictum. Hujus massae glomeratae ex cinereo rubentes, lacrymis conspersae sunt albis, instar amygdalarum transversim sectarum; inde ductum est nomen Benzoïni amygdalini, cujus odor suavis, sapor primum dulcis in acrem vergens.

Styrax liquida balsamum. *Vide* LIQUIDAMBAR.
Suber. *Vide* QUERCUS Suber.
Succisa. *Vide* SCABIOSA succisa.
Succus Acaciae. *Vide* ACACIA vera.
Sulfur vegetabile. *Vide* LYCOPODIUM clavatum.
SYMPHYTUM Consolida. L. — Symphytum Consolida major. C. B. P.; I. R. H.

La Grande Consoude.

Radix.

Symphytum Echii folio. *Vide* ONOSMA echioïdes.

T.

Tabacum. *Vide* NICOTIANA Tabacum.
Tacamahaca resina. *Vide* FAGARA.
Talictron. *Vide* SISYMBRIUM Sophia.
TAMARINDUS indica. L. — Tamarindus. Rai.; I. R. H. — Siliqua Arabica quae Tamarindus. C. B. P.

Le Tamarin.

Pulpa fructus ex fusco nigrescens, acido-dulcis subastringens, filamentis seu fibris intermixta, semina involvit.

TAMARIX Gallica. L. — Tamariscus Narbonensis. Lob.; I. R. H.

Le Tamaris.

Cortex.

TAMNUS communis. L. — Tamnus racemosa, flore minore luteo pallescente. I. R. H. — Tamnus baccifera, flore majore, albo. I. R. H.

Le T*AMINIER*, *le Sceau de Notre-Dame, la Racine vierge.*

TANACETUM vulgare. L. — Tanacetum vulgare luteum.

La T*ANAISIE.*

Herba. Flores.

Tanacetum Balsamita. L. *Vide* BALSAMITA suaveolens.

TARAXACUM Dens leonis. Desf. — Leontodon Taraxacum. L. — Dens leonis latiore folio. C. B. P.; I. R. H.

Le P*ISSENLIT.*

Radix et Herba.

Tartarum, Tartras Potassae. *Vide* VITIS vinifera.

Telephium. *Vide* SEDUM Telephium.

Terebinthus. *Vide* PISTACIA Terebinthus.

TEREBINTHINA.

La T*ÉRÉBENTHINE.*

Resina liquida, oleo volatili feta, cujus quadruplex distinguitur species. 1°. Usitatior ex Pino sylvestri fluens, advecta e Burdigalensi tractu, varie densa et opaca. 2°. Abietina ex Abiete taxifolia, dicta Argentoratensis, *Térébenthine de Strasbourg*, fluidior ac pellucidior, cujus oleum copiosius ac praestantius. 3°. Laricina ex Larice, dicta Veneta, *Térébenthine de Venise*, pariter pellucida ac fluidior, graveolens. 4°. Chia seu Cypria e Pistacia terebinthino, *la Térébenthine de Chio*, rarior, spissa, viscosa, pellucida, citrina, odore feniculi, pluris aestimata, cujus amarities et acrimonia mitiores quam laricinae. Possunt etiam nuncupari inter Terebinthinas tum balsamum Judaïcum seu Meccanense ab Amyride, tum balsamum Canadense ab Abiete balsamea suffectum.

Terra merita. *Vide* CURCUMA longa.

TEUCRIUM Chamaedrys. L. — Chamaedrys major repens. C. B. P.; I. R. H.

La G*ERMANDRÉE ou le Petit-Chêne.*

Herba.

TEUCRIUM Scordium. L. — Chamaedrys palustris canescens, seu Scordium officinarum. I. R.

Le SCORDIUM, *le Chamarras, la Germandrée d'eau.*

Herba Allium paulisper olens.

TEUCRIUM Scorodonia. L. — Chamaedrys fruticosa sylvestris, Melissae folio. I. R. H. — Scorodonia officinarum. Riv.

La SCORODONE ou *Sauge des bois.*

Substituitur interdum praecedenti.

TEUCRIUM Marum. L. — Chamaedrys maritima incana frutescens foliis lanceolatis. I. R. H. — Marum verum seu Marum Syriacum. Off. Murr.

Le MARUM ou *l'Herbe aux Chats.*

TEUCRIUM Creticum. L. — Rosmarinus Stoechadis facie. Alp. — Polium Creticum. Off. Murr.

A. Teucrium Polium. Willd.

B. Teucrium Polium. L. — Polium montanum album. C. B. P.; I. R. H.

TEUCRIUM aureum. Schreb.; Willd.

Teucrium Polium. *A. L.* L. — Polium montanum luteum. C. B. P.; I. R. H.

TEUCRIUM montanum. L. — Polium Lavandulae folio. C. B. P.; I. R. H.

TEUCRIUM capitatum. L. — Polium maritimum erectum Monspeliacum. C. B. P.; I. R. H.

Quinque praecedentes sumuntur indiscriminatim, aut, pro regione, altera alteri praeponitur.

THALICTRUM flavum. L. — Thalictrum majus, siliqua angulosa aut striata. C. B. P.; I. R. H.

Le PIGAMON, *la Rue des Prés.*

THEA bohea.

Le THÉ BOUY.

Usitatissima folia, parva, varie convoluta, obscure vi-

ridia, quandoque albicantia, odore suavi, sapore amaro et styptico.

THEA viridis. L.

Le Thé *vert, le Thé perlé, le Thé Heyswen.*

THEOBROMA Cacao. L.

Le Cacaoyer et son fruit, *le Cacao.*

Theobroma duplicem seminum speciem seu varietatem exhibet, nempe Antillanam, *le Cacao des Iles*, et Caraccensem aut Caracasanam, *le Cacao Caraque*, vel potius *de Caracas.* Antillanae semina compressa, tegmine papyraceo rubro vestiuntur, nucleum ambiente fuscum, pinguem, grate sapidum subacrem. Semina Caracasanae majora, subrotunda, tegmen habent ex fusco cinereum, cujus nucleus pallidior, friabilis, minus oleosus, sapidior; mucorem ideo saepe olens, quod aliquandiu semen fuit humo consepultum, ad mitigandam ipsius acrimoniam.

THLASPI arvense. L. — Thlaspi arvense siliquis latis. C. B. P.; I. R. H.

Le Thlaspi.

THLASPI campestre. L. — Thlaspi vulgatius. C. B. P.; I. R. H.

Sumuntur indiscriminatim.

THLASPI Bursa pastoris. L. — Bursa pastoris major, folio sinuato. C. B. P.; I. R. H.

Le Tabouret, *la Bourse à Berger.*

Thus. *Vide* Juniperus lycia.

Thymbra. *Vide* Satureia Thymbra.

Thymelea. *Vide* Daphne.

THYMUS Serpillum. L. — Serpillum vulgare minus. C. B. P.; I. R. H.

B. Serpillum vulgare majus. C. B. P.; I. R. H.

Le Serpolet.

Summitates florentes.

THYMUS vulgaris. C. B. P.; I. R. H.; L.

Le Thym.

Herba. Flores.

Thymus capitatus seu Creticus. *Vide* SATUREIA capitata.

Tiglia grana. *Vide* CROTON Tiglium.

TILIA Europaea. L. — Tilia femina folio majore. C. B. P.; I. R. H.

B. Tilia femina folio minore. C. B. P.; I. R. H.

Le TILLEUL *ou* *Tillau.*

Tithymalus. *Vide* EUPHORBIA.

TOLUIFERA Balsamum. L. — Balsamum tolutanum foliis Ceratiae similibus. C. B. P.

Ex ea arbore stillare dicitur balsamum tolutanum, *le Baume de Tolu*, in cucurbitis aut in urnulis silicinis allatum ex America, picis instar mollescens aut liquescens, laete fulvum, dein rubens, odore suavissimum, sapore grate amarum, acido turgens benzoïco aqua solubili.

Tolutanum balsamum. *Vide* TOLUÏFERA.

TORMENTILLA erecta. L. — Tormentilla sylvestris. C. B. P.; I. R. H.

La TORMENTILLE.

Radix.

Toxicodendrum. *Vide* RHUS Toxicodendrum.

Tragacantha. *Vide* ASTRAGALUS Creticus.

Tragacanthae gummi. *Vide* ASTRAGALUS Creticus.

TRAGOPOGON pratense. L. — Tragopogon pratense luteum majus. C. B. P.; I. R. H.

Le CERCIFI, *la Barbe de Bouc.*

Tragoselinum. *Vide* PIMPINELLA magna.

Trichomanes. *Vide* ASPLENIUM Trichomanes.

TRIFOLIUM pratense. L. — Trifolium pratense purpureum. C. B. P. — Trifolium pratense flore monopetalo. I. R. H.

Le TRÈFLE *des Prés.*

Trifolium Melitotus. *Vide* MELILOTUS officinalis.

Trifolium fibrinum. *Vide* MENYANTHES trifoliata.

Trifolium acetosum. *Vide* OXALIS Acetosella.

TRIGONELLA Fenum graecum. L. — Fenum graecum sativum. C. B. P.; I. R. H.

Le Fenu grec.

Semina.

TRITICUM hybernum. L. — Triticum hybernum aristis carens. C. B. P.; I. R. H.

Le Blé, le Froment.

TRITICUM aestivum. C. B. P.; L.

Le Tremois.

Utriusque speciei semen molitum dat furfurem *le Son*, et farinam, *la Farine;* haec glutine imprimis et amylo constat, unde panis conficitur.

TRITICUM repens. L. — Gramen loliaceum, radice repente, sive Gramon officinarum. I. R. H.

Le Chiendent des Boutiques.

TROPAEOLUM majus. L. — Cardamindum ampliore folio et majori flore. I. R. H. — Nasturtium indicum. Lob.

La Grande Capucine.

TROPAEOLUM minus. L. — Cardamindum minus et vulgare. I. R. H.

La Petite Capucine.

Tunica. *Vide* DIANTHUS Caryophyllus.

Turpethum. *Vide* CONVOLVULUS Turpethum.

TUSSILAGO Farfara. L. — Tussilago vulgaris. C. B. P.; I. R. H. — Bechium sive Farfara. Dod.

Le Tussilage, le Pas-d'Ane.

Flores.

TUSSILAGO Petasites. L. — Petasites major et vulgaris. C. B. P.; I. R. H. (*Petasites nunc genus est distinctum.*)

La Petasite ou l'Herbe aux Teigneux.

U.

Ulmaria. *Vide* SPIRAEA Ulmaria.

ULMUS campestris. L. — Ulmus campestris et Theophrasti. C. B. P.; I. R. H.

L'ORME.

Umbilicus Veneris. *Vide* COTYLEDON Umbilicus.

URTICA dioïca. L. — Urtica urens maxima. C. B. P.; I. R. H.

La Grande ORTIE.

URTICA urens. L. — Urtica urens minor. C. B. P.; I. R. H.

L'ORTIE grièche.

Sumuntur indiscriminatim.

Urtica iners. *Vide* LAMIUM album.
Usnea. *Vide* LICHEN plicatus.
Uva, Uvae passae. *Vide* VIVIS vinifera.
Uva crispa. *Vide* RIBES Uva crispa.
Uva ursi. *Vide* ARBUTUS Uva ursi. (*Quae nunc habetur a quibusdam ut novum genus, ARCTOSTAPHYLOS.*)
Uvularia. *Vide* RUSCUS Hypoglossum.

V.

VACCINIUM Vitis Idaea. L. — Vitis Idaea foliis subrotundis, non crenatis, baccis rubris. C. B. P.; I. R. H. — Vaccinia rubra. Lob.

VACCINIUM Myrtillus. L. — Vitis Idaea foliis oblongis crenatis, fructu nigricante. C. B. P.; I. R. H. — Vitis Idaea, sive Myrtillus. Tab.

Le MYRTILLE ou l'Airelle.

VACCINIUM Oxycoccus. L. — Oxycoccus, sive Vaccinia pallustris. J. B.; I. R. H.

La CANNEBERGE.

VALANTIA Cruciata. L. — Cruciata hirsuta. C. B. P.; I. R. H.

La CROISSETTE *velue.*

VALERIANA officinalis. L. — Valeriana sylvestris (et palustris) major. C. B. P.; I. R. H.

La VALÉRIANE *sauvage.*

VALERIANA Phu. L. — Valeriana hortensis, Phu, folio Olusatri Dioscoridis. C. B. P.; I. R. H.

La Grande VALÉRIANE.

Radix.

VALERIANA Celtica. L. — Nardus Celtica Dioscoridis. C. B. P. — Spica Celtica. Off. Murr.

La VALÉRIANE *Celtique* ou *Nard Celtique.*

Valeriana Locusta. L. } *Vide* VALERIANELLA.
Valeriana olitoria. α. L. }

VALERIANELLA olitoria. Juss. — Valeriana olitoria. α. L. — Valerianella arvensis praecox humilis, semine compresso. Mor.; I. R. H.

La MACHE.

VANILLA aromatica. Sw. Willd. — Epidendrum Vanilla. L. — Vanilla flore viridi et albo, fructu nigricante. Plum.

La VANILLE.

Capsulae, vulgo Siliquae dictae, sunt compressae, fere semipedales, calami scriptorii majoris crassitie, colore atro fusco, sapore aromatico, odore fragrante, quae pulpam cum minutissimis seminibus pinguem continent. Ex diversis Vanillae speciebus leguntur. Earum superficies saepe micat aciculis acidum Benzoïcum prodentibus.

Varec. *Vide* FUCUS Vesiculosus.

VATERIA Indica. L. — Elaeocarpus Copalliferus. Retz.; Willd.

Ex ea, teste Retzio, non ex Rhoe Copallino, fluit resina Asiatica dicta vulgo gummi Copal, *Gomme Copal*, solida, durissima, levis, pellucida, plus minus lutea, in-

odora, solubilis aethere, volatilibus oleis, oleo Lini, non vero alcoole; in conficiendis vernicibus praecipue utilis.

VERATRUM album. L. — Veratrum flore subviridi. I. R. H. — Helleborus albus, flore subviridi. C. B. P.

Le VARAIRE, *l'Ellebore blanc.*

Radix.

VERATRUM nigrum. L. — Veratrum flore atro rubente. I. R. H. — Helleborus albus, flore atrorubente. C. B. P.

*L'*ELLÉBORE *blanc à fleurs noires.*

VERATRUM Sabadilla. Retz.

La SÉVADILLE *ou* SÉBADILLE.

Fructum constituit capsula levis, sicca, tenuis, trivalvis, trilocularis, loculis dispermis, seminibus amaris, acribus et fervidis.

VERBASCUM Thapsus. L. — Verbascum mas latifolium luteum. C. B. P.; I. R. H.

La MOLÈNE, *le Bouillon blanc.*

Folia. Flores.

VERBASCUM Phlomoïdes. L. — Verbascum femina, flore luteo magno. C. B. P.; I. R. H.

VERBASCUM nigrum. L. — Verbascum nigrum, flore ex luteo purpurascente. C. B. P.; I. R. H.

VERBENA officinalis. L. — Verbena communis, flore caeruleo. C. B. P.; I. R. H.

La VERVEINE.

VERBENA triphylla l'Her. — nunc Aloysia citriodora Ortega.

La VERVEINE *odorante.*

Folia odore citreum referentia.

Vermicularis. *Vide* SEDUM acre.

VERONICA officinalis. L. — Veronica mas supina et vulgatissima. C. B. P.; I. R. H.

La VÉRONIQUE *mâle, le Thé d'Europe.*

Herba.

VERONICA Teucrium. L. — Veronica supina, facie Teucrii pratensis. Lob.; I. R. H.

Substituitur praecedenti ut et sequens.

VERONICA Chamaedrys. L. — Veronica minor, foliis imis rotundioribus. Mor.; I. R. H. — Chamaedrys spuria latifolia. J. B.

VERONICA Beccabunga. L. — Veronica aquatica major, folio subrotundo. I. R. H. — Berula seu Anagallis aquatica. Tab. Off.

Le Grand BECCABUNGA.

Herba recens. Sumitur indiscriminatim cum sequenti.

VERONICA Anagallis. L. — Veronica aquatica major, folio oblongo. Mor.; I. R. H. — Berula minor. Tab. — Anagallis aquatica major, folio oblongo. C. B. P.

Le Petit BECCABUNGA.

Veronica femina. *Vide* LINARIA spuria.

Verrucaria. *Vide* HELIOTROPIUM Europaeum.

VICIA sativa. L. — Vicia sativa vulgaris, semine nigro. C. B. P.; I. R. H. — Vicia sativa alba. C. B. P.; I. R. H.

La VESCE.

Victorialis. *Vide* ALLIUM Victorialis.

VINCA major. L. — Pervinca vulgaris latifolia. I. R. H.

La Grande PERVENCHE.

VINCA minor. L. — Pervinca vulgaris angustifolia. I. R. H.

La Petite PERVENCHE.

Vincetoxicum. *Vide* ASCLEPIAS Vincetoxicum.

VIOLA odorata. L. — Viola martia purpurea, flore simplici odoro. C. B. P.; I. R. H.

La VIOLETTE *odorante.*

Flores.

VIOLA canina. L. — Viola martia inodora sylvestris. C. B. P.; I. R. H.

La VIOLETTE *inodore.*

VIOLA tricolor. L. — Viola tricolor arvensis. C. B. P.; I. R. H.

B. Viola tricolor hortensis repens. C. B. P.; I. R. H. — Jacea tricolor sive Trinitatis flos. J. B.

La PENSÉE.

Herba.

Viola Ipecacuanha. *Vide* IONIDIUM.

Virga aurea. *Vide* SOLIDAGO Virga aurea.

Virga pastoris. *Vide* DIPSACUS sylvestris.

VISCUM album. L. — Viscum baccis albis. C. B. P.; I. R. H.

Le GUI.

Vitalba. *Vide* CLEMATIS Vitalba.

VITEX Agnus castus. L. — Vitex foliis angustioribus Cannabis modo dispositis. C. B. P.; I. R. H.

*L'*AGNUS-CASTUS.

VITIS Vinifera. C. B. P.; L.

La VIGNE.

B. Vitis apyrena (scilicet bacca seminibus carente) seu Corinthiaca. J. B.; I. R. H.

Ex hujus et aliarum congenerum fructibus, seu Uvis (*les Raisins*), succus exprimitur Mustum dictus (*le Moust*), fermentatione primo in Vinum convertendus (*le Vin*), et posthac alia fermentatione in Acetum (*le Vinaigre*). Ex vino elicitur destillatione Alcool primo dilutior, aqua vitae dictus (*l'Eau-de-Vie*), et ex aqua vitae alcool meracior, seu Spiritus vini (*l'Esprit-de-Vin*). Uvae maturae sole siccatae, *passae* seu *passulae* dicuntur, praecipue ex varietate Corinthiaca aut Damascena paratae. Uvae nondum maturae, quas *Agrestas* dicunt, succum pressae emittunt acerbum, Omphacium dictum (*le Verjus*).

In vino solutus exstat Tartras potassae acidulus, *le Tartre* ou *Tartrate acidule de Potasse*, temporis lapsu sen-

sim concrescens et ad ligneos haerens doliorum parietes, mixtis tartrate calcis aliquantulo et materia, quae colorem cuique vino proprium conciliat. Triplex hujus habetur species.

1°. Tartarum Rubrum, Tartre rouge, e vinis rubris concrescit in crustas duras, subrubras, glomeratas, vini sapore acidoque proprio dignoscendas.

2°. Tartarum album, Tartre blanc, e doliis detrahitur vino albo plenis; a priori differt colore tantum.

3°. Tartarum purgatum, cremor tartari, *Tartre purifié ou crème de Tartre.* Soluto tartaro alienisque sic expurgato, in crystallos cohaerentes, acutas concrescit *tartari cremor.* Dente pressus sat durus percipitur, sapore acidulo non ingrato. Aqua lente et parce solvitur.

Vitis Idaea. *Vide* Vaccinium Vitis Idaea.
Vitis alba. *Vide* Bryonia alba.
Vulvaria. *Vide* Chenopodium Vulvaria.

W.

WINTERA aromatica. Soland.; Murr. — Drymis Winteri. Forst.

Hujus cortex est Cortex Winteranus off., *l'écorce de Winter*, crassitie varius, convolutus; extus sordidus, ex cinereo rubens; intus vero interdum colore simili, interdum nigrescens; in fractura densus ac quasi bicolor, sapore acris et urens, odorem spargens, ubi contunditur, terebinthinae affinem. Pulvis colore Cinchonam mentitur.

X.

XANTHIUM strumarium. L. — Xanthium. Dod.; I. R. H. — Lappa minor. Xanthium Dioscoridis. C. B. P.

La Lampourde, la petite Bardane.

Xylo-Aloes. *Vide* Aloes lignum.
Xylo-Balsamum. *Vide* Amyris Opobalsamum.
Xylon. *Vide* Gossypium herbaceum.
Xyris. *Vide* Iris fetidissima.

Z.

Zarzaparilla. *Vide* SMILAX Sarsaparilla.

ZEA Mays. L. — Mays granis aureis. I. R. H. — Frumentum Turcicum. Dod.

Le MAïs, *le Blé de Turquie.*

Zedoaria longa. *Vide* AMOMUM Zedoaria.

Zedoaria rotunda. *Vide* KAEMPFERIA rotunda.

Zerumbet. *Vide* AMOMUM Zerumbet. (*Zingiberis species.*)

ZINGIBER officinale. — Amomum Zingiber. L.

Le GINGEMBRE.

Radix crassitie digitum aequans, alba si recens, siccatione contrahitur, extus cinerea, intus fusca et quasi cornea, sapore acri amaro.

ZIZIPHUS vulgaris. Willd. — Rhamnus Ziziphus. Dod.; I. R. H.

Le JUJUBIER.

Fructum rubrum drupaceum constituit pulpa lutescens, sapore dulci mucoso, adhaerens nuci biloculari, quae abortu vertitur in unilocularem monospermam.

AUTORUM NOMINA

QUAE PAUCIS TANTUM LITTERIS INDICATA SUNT.

Act. Gall.	Acta Gallicae scientiarum academiae.
Ald.	Aldinus.
All.	Allioni.
Alp.	Prosper Alpinus.
Ait.	Aiton.
Anguill.	Anguillara.
Aubl.	Aublet.
Berg.	Bergius materia medica.
Bompl.	Bompland.
Breyn.	Breynius.
Brot.	Brotero.
Brown.	Patrice Browne.
	Rob. Brown.
Brunsf.	Brunsfelsius.
Bull.	Bulliard.
C. B. P.	Caspari Bauhini Pinax.
Cand.	de Candolle.
Cates.	Catesby.
Cav.	Cavanillès.
Cesal.	Cesalpinus.
Chom.	Chomel plantes usuelles.
Clus.	Clusius vel *l'Ecluse.*
Cod. Par.	Codex Parisiensis.
Commel.	Commelinus.
Cord.	Cordus.
Dalech.	Dalechamps.
Del.	Delile.
Desf.	Desfontaines.
Dill.	Dillenius.
Diosc.	Dioscorides.

Ponae.	Pona.
Plum.	Plumier.
Pluck.	Pluckenet.
Ray.	Ray.
Retz.	Retzius.
Rich.	Richard.
Riv.	Rivinus.
R. P. Ruiz. Pav.	Ruiz et Pavon.
Rumph.	Rumphius herbarinm Amboinense.
Schreb.	Schreber.
Scop.	Scopoli.
Sm.	Smith.
Soland.	Solander.
Steph.	Car. Stephanus vel *Ch. Etienne* Seminarium.
Sw.	Swartz.
Tab.	Tabernae - Montanus.
Tourr.	La Tourrette.
Thumb.	Thumberg.
Vahl.	Vahl.
Vaill.	Vaillant.
Willd.	Willdenow.

III. MATERIAE

EX ANIMALIBUS DESUMPTAE.

ADEPS, seu pinguedo.

La Graisse.

Praecipue *Porcina* in usu est, *Arvinam* dixere Latini; vulgo *Axungia* dicitur, minus bene aptato nomine; praefertur autem pinguedo abdominalis Suis scrofae, quam Gallice diximus *Saindoux.* Eligitur libera partibus cellularum membranaceis, in quibus recondita fuit, nec non recens, coloris albi, odoris expers.

ALBUM Ceti; dixere veteres *Ceti Sperma.*

Blanc de Baleine ou *Adipocire.*

Materies est oleorum naturae affinis, solida, alba; plerumque coagmentata laminis quandoque crystallorum speciem atque ordinem referentibus; tactu lubrica, dulcis gustu, si recens; olfactu injucunde inodora; concrescit in oleo Ceti cujusdam, cui nomen *Physeter macrocephalus*, in pluribus ossium cranii cavis totiusque corporis, teste Anderson, spatiisque cutis cellulosis concluditur, molle tunc et pellucidum, unde ubi diffluendo exclusum est, concrescit. Similem suppeditare possunt et alia quoque Cete, sed multo minori copia.

Illi non absimilis credebatur illa materies, in quam putrescendo sub aqua verti videntur materiae multae ex animalibus desumptae.

AMBRA Cinerea.

L'Ambre gris.

Concrementum mari innatans, praesertim Africam et Asiam meridionalem alluenti, incertae originis; an excrementum Physeteris macrecephali? Ambra levis est,

coloris cinerei, maculis et striis nigrantibus notata. Ferro candenti calefacta gratum edit odorem: solvitur praesertim Aethere sulfurico, Alcoole et Oleis.

ASELLUS. *Vide* ONISCUS Asellus.

Le CLOPORTE.

BOMBIX Mori.

Le VER *A SOIE*.

Numeratur inter insecta lepidoptera, squamis scilicet alarum splendentibus. Folliculum texit ovatum, flavum albumve; praestare creditur quod flavum est.

Sal volatile ex destillato filo serico, seu Subcarbonas Ammoniae pyrogenaeus oleosus animalis, in guttis Anglicis cephalicis admittebatur.

BUTYRUM.

Le BEURRE.

Unguedo a cremore lactis vaccini multa agitatione secedens. Eligatur recens, odoris expers, sapore dulcis.

CANCER Astacus.

*L'*ECREVISSE.

Inter crustacea animalia numeratur (*decapodes*, *macroures*, Cuvier), capite et thorace unitis; quini utrimque pedes; antici seu Chelae forcipis forma; cauda in articulos divisa. Flumina incolit.

Utuntur carne et concrementis *lapides* dictis.

CANCRORUM concrementa vel Calculi.

Pierres d'Ecrevisse; vulgo *Yeux d'Ecrevisse*.

Calculi sunt ventriculo *Cancri Astaci* utrimque adhaerentes; carbonate calcis multo, cum aliquo calcis phosphate constantes; duri, albi orbiculati, una parte compressi et excavati, altera convexi. Adulterati autem a genuinis, qui lamellis superpositis compinguntur, facile dignosci possunt.

CANTHARIS vesicatoria. Geoff. — Meloe vesicatorius. Linn. — Lytta vesicatoria. Fabr.

La CANTHARIDE.

Insectum coleopterum oblongum, colore ex viridi aureo, nitorem metallicum mentiente; odore acri, veluti

piceo, sapore acerrimo. Non ejusdem semper est magnitudinis; praefertur vero lineas octo vel novem longum, necnon et recens et integrum; mensibus junio et julio, dum fraxinum, syringam et ligustrum depascitur colligendum est.

CAPRA Ibex.

Le Bouquetain.

Inter ruminantia, ad Caprarum refertur genus; ejus olim sanguis multi aestimabatur; in vesiculis concretus inter merces asportabatur. Hodie nullius est usus.

CASTOREUM.

Le Castoreum.

Hoc nomine designantur duo folliculi qui prope genitalia *Castoris Fibri*, sub cute reperiuntur, ovi gallinacei magnitudine, inaequales, materiam resinosam continentes, odore gravi, nauseoso, ingrato; colore obscure rubro; sapore acri. Eligendum est Castoreum membranulis tenuioribus intertextum. Ex Siberia et America septentrionali advehitur.

CERA flava.

La Cire jaune.

Concreta materies, flavescens, ductilis ubi modice digitis incaluit; si frigida sit fragilis, odore non ingrato; habetur ex liquatis apium alveis, ubi mel exemptum est.

Cera flava aqua divisa, aëri exposita, flavo colore exuitur et fit *Cera alba.*

CERVUS Elaphus. — Os Cervi, dictum Cornu Cervi.

Corne ou *Bois de Cerf.*

Dicuntur Cornu Cervi exostoses illae fronti Cervi quotannis innascentes et quotannis deciduae. Gelatina iis inest multa, cum calcis carbonate et phosphate calcis.

Hic etiam notabimus *Cervum Alce* (Elan) similibus et ramosis exostosibus nobilem; cujus solea pedis inter medicamenta numerabatur, et adhucdum a nutricibus et mulierculis requiritur, ut ex ea monilia (Anglis *anodine necklace*) collo infantum circum ducantur.

COAGULUM.

La Presure.

Materies albescens, quae vituli ventriculo continetur, vere caseosa lactisque coagulum, odore casei gravi acescente.

COCCINELLA vel Coccus Cacti.

La Cochenille.

Insectum hemipterum, parvum, atro-purpureum, striis transversis notatum, pulvere quasi argenteo conspersum. In regno Mexicano Cacto Opuntiae inhaerens colligitur; eligendum est integrum et ponderosum.

Corallum rubrum. *Vide* Isis nobilis.

COCCUS Ilicis.

Le Kermès ou la Graine d'écarlate.

Inter hemiptera insecta numeratur. Femina foliis et cortici inhaeret Quercus coccifera; ova ponit, eaque contracto corpore involvit et contegit. Unde enascitur folliculus sphaericus, succo rubro plenus, ante eximendus quam ovis insecta exclusa sint. Idem exsiccatus grani speciem refert levis, subrubri, sapore acerbo, odore aromatico, debili.

Cornu Cervi. *Vide* Cervus.

ELEPHAS Capensis. — Ebur.

L'Ivoire.

Dentium Elephantis laniariorum substantia alba, densa, phosphate calcis et gelatina constans, Ebur suppeditat.

FEL Bovinum.

Le Fiel de Boeuf.

Ex vesicula fellea mactati *Bovis Tauri* recens colligitur. Colore flavescente, sapore amarissimo, ingrato et nauseoso. *Vitulinum* quoque in usu est.

HELIX Pomatia.

L'Escargot ou Colimaçon.

Locum habet inter mollusca testacea, concha univalvi in spiram convoluta. Vineta frequentat, ipsius substantiae inest sulfur. Recens habendus est.

HIRUDO medicinalis.

La Sangsue.

Inter Annelides branchiis destitutas, non setigeras (Cuv.) numerantur Hirudines. Oculis carentes, oblongae, rugis annulorum transversis, progrediendo in longitudinem productis; capite elongato, acuto, quo se figat quaerente; abdomine complanato maculis nigris et flavescentibus variegato; dorso convexo, nigricante, lineis a posterioribus ad anteriora quatuor flavis distincto. Os dente triplici instructum cutem indicit triquetro vulnere. Sanguinis autem copia, quam quaeque hirudo absumit, facto ex viginti hirudinibus vacuis, vivacibus, paucis exceptis inter se aequalibus, omnibus simul ante et post sanguinis missionem perpensis experimento, singularum capacitate ad calculum revocata, inventa fuit talis, quae aequaret grana circiter 60 (grammata 3) non habita ratione sanguinis post deciduas effluxuri.

ICHTHYOCOLLA.

Colle de Poisson ou Ichthyocolle.

Materies in gelatinam solubilis; sicca, alba, lamellis coagmentata, in lyrae formam vulgo contorta. Paratur ex membrana vesicae natatoriae interna *Acipenseris Husonis* (*le grand Esturgeon*). Ichthyocolla paratur quoque ex variis partibus piscium in septentrionalis Europae fluminibus natantium, aqua bulliendo decoctis.

ISIS nobilis vel Corallum.

Le Corail.

Zoophyti polypi domus, arboris in morem in ramusculos divisa, speciem extus praeferens porosi corticis, intus marmorea duritie.

Constat carbonate calcis et muco; rubor ex animali materie pendet.

Kermès. *Vide* Coccus Ilicis.

LAC.

Le Lait.

Liquor albus, opacus, sapore dulci, fugaci odore, secernitur in mammis animalium quae mammifera idcirco dicuntur. Lacte utimur vaccino, caprino, asinino, quandoque equino.

LUMBRICUS terrestris.

Le Ver de terre.

Inter Annelides branchiis carentes et setigeras numeratur, animal apodum, pennae anserinae plerumque crassitie, molle, cylindricum, corpore annulis distincto.

MEDULLA Bovina.

La Moelle de Boeuf.

Materies adiposa, unguinosa, ossibus inclusa Boum cylindricis. Habenda est quam recentissima.

MEL.

Le Miel.

Materies dulcis sapore saccharino, quam colligunt apes (*apis mellifica*) effunduntque suos in alveos. Mel, ubi recens est, sat firmiter consistit; color aut albus est aut flavescens; odor et sapor herbas refert ex quibus collectum est. Praestantius habetur quod inversis alveolis sponte defluit. Quod autem pressis alvearibus exprimitur, et quod aut igne aut aqua mediante elicitur, inferioris est notae. Ex meridionalibus Galliae provinciis aromaticum habetur. Vastiniense (*Miel du Gatinais*) album est, quandoque citrei coloris, dulcissimum. Quod ex Armorica Britannia advehitur, minoris est pretii.

Millepedes. *Vide* ONISCUS Asellus.

MOSCHUS.

Le Musc.

Materies granosa, pinguis et unguinosa, sanguini in grumos concreto fere similis, coloris sanguinei, sapore subacri, odore fragrantissimo; secernitur intra folliculum quod eminet prope umbilicum *Moschi Moschiferi*. Optimus censetur Moschus quem continent folliculi pilis flavescentibus cooperti, magnitudinem ovi gallinacei fere adaequantes.

Moschus quem folliculis expressum venditant, a pharmacopoeis rejici debet, plerumque scilicet adulteratus.

ONISCUS Asellus seu Millepedes.

Le Cloporte.

Insectum inter aptera numeratum vivipara, ex albo cinereum; dorso convexo, segminibus coagmentatum transversis, abdomine complanato, pedibus procedens septem paribus; ad contactum convolvitur in sphaeram. Rimas et loca inhabitat humida, umbrosa, nitro referta.

OSSA.

Les Os.

Pars in quadrupedum, avium, etc. corporibus dura, mollium fulcimen et retinaculum; phosphate calcis et gelatina praecipue constans.

Ex ossibus gelatina, calcis phosphas et phosphorus eruuntur.

OSTREA Edulis.

L'huître.

Inter mollusca testacea et edulia nobilis, bivalvis; ipsius concha, constans muco et calcis carbonate multo, nonnunquam in usu est.

OVUM Gallinaceum.

L'Oeuf de Poule.

Constat putamine albo, duro, fragili, calcareo; cui subjacet membranula tenuissima, tenax, semi-pellucida; quo continetur *albumen* viscosum, pellucidum; *vitellus*, in centro flavus, opacus, unguinosus; huic inhaeret germen aviculae rudimentum. Putamine, albumine et vitello in officinis utimur.

RANA Esculenta.

La Grenouille commune.

Inter batrachoïdea reptilia, in pratis et ad rivos frequentissimum animal. Cute glabra, laevi, viscoso humore obducta, capite complanato, ore magno, oculis eminentibus, dorso viridescente, lineis tribus flavescentibus distincto, abdomine subflavo nigris maculis consperso.

Muscosum liquorum fundit *sperma ranae* aut *sperniola* dictum. (*Frai de grenouille.*)

SEBUM seu Sevum.

Le Suif.

Adipis species alba, majori consistens soliditate; ex ruminantibus desumitur, ovibus praecipue (*Ovis Aries*). Sebum habeatur recens, album, fragile.

SEPIA officinalis.

La Sèche.

Inter Mollusca cephalopoda numeratur. Hujus cuti in-

est solidum et osseum tegmen, quod dicitur os Sepiae; maxima ex parte Calcareum, constans lamellis superpositis, multiplici tuborum ordine inter se cohaerentibus. Praecipue in dentifriciis usurpatur.

Sperma Ceti. *Vide* ALBUM Ceti.

Sperniola seu Sperma Ranarum. *Vide* RANA Esculenta.

SPONGIA officinalis.

L'Eponge.

Polypodum quorumdam domus mollis, elastica, rupibus inhaerens marinis, forma et magnitudine variis: multiplicibus pertusa foraminibus materie gelatinosa plenis, quae quo tenuiora sunt, eo habetur spongia praestantior.

TESTUDO Lutaria.

La Tortue bourbeuse.

Recensetur inter reptilia et chelonios, corpore brevi, duro, sus deque tegmine cooperto, superiori uno quod dixere *carapace*, inferiori altero, seu pectorali, quod *plastron* vocatum est.

Caro testudinis edulis inter medicamentosos cibos admittitur.

VIPERA seu Coluber Berus.

La Vipère.

Numeratur inter reptilia et ophidios, seu serpentia animalia. Duodecim aut quindecim pollices longa, cutis squamoso tegmine; colore dorsi ex nigro coeruleo, seu ardosiae affini, abdomine albescente, capite complanato triquetro; maxillis dentibus mobilibus instructis; superiore duobus praeterea armata dentibus longis uncinatis, canaliculatis, acutis, apice fissis, basi vesiculam venenato liquore refertam tenente; qui dentes arrecti, sub ipso animalis morsu, vulnus inflictum veneno inficiunt per fissuram emisso.

IV. DE STATUENDA

IN FORMULIS RATIONE MATERIERUM MEDICINALIUM.

1°. DE PONDERIBUS ET MENSURIS.

Ut omni tempore et loco constaret in conficiendis formulis mutua simplicium ratio, visum est numeros generales indicia hujus rationis singulis adscribere, denario ordine, in particulas minimas commode dividendos; quos non Gallicis magis quam exteris, non antiquis potius quam novis, sed omnibus aeque ponderum generibus aptare, et quos, si videbitur, in vulgares mensuras convertere facile liceat. Sic enim sua cuique justae compositionis vis et partium servari potest ubique proportio, nullusque errori datur locus.

In formulis tamen, quas magistrales nuncupare solent, ut a mensuris medicaminum huc usque in praxi maxime usitatis minime recederemus, numerorum generalium modos ita constituimus, ut et veteribus Galliae ponderibus, et novis hodiernis maxime vicini viderentur, atque opera non difficili, aut in grammata, aut in drachmas resolvi possint: quod tamen, ex denario in senarium aut octonarium ordinem fieri nequit, nisi fractis numeris et minimis neglectis plerumque mensurarum particulis.

Itaque primum grammata quatuor, drachmae vulgari proxima, numeris quatuor integris (4 ,0) significavimus. Inde factum est necessario ut unciam quamque, drachmis octonis constantem, numeris integris triginta duo (32 ,0), dimidiatam eamdem numero 16, cumulatas autem uncias numeris 64,96, 128, etc., referremus. Sic enim ratio inter pleraque naturalis bene servabatur.

Ubi vero ad selibram, libram bilibremque mensuram perventum est, ut eae mensurae liquidis solventibus ut plurimum impleri solent, quorum quantitates accurate definire non tanti

est, in locum 256, 512, 768, 1,024, numeros tantummodo 250, 500, 750, 1,000, etc., calculi expeditioris causa, nulloque periculo, substituere non dubitavimus.

Quod autem spectat minores ponderum particulas, eas quoque fractis juxta denarium ordinem numeris expressimus: ita ut numeri unius integri pars decima, scilicet 0,1 grana exprimat fere duo, simulque decigramma unum; 0,05 quinque centigrammata indicent, necnon ad granum unum propius accedant; ac demum 0,025 viginti quinque milligrammata cum aequent, significent quoque granum circiter semis. Atque in his, ut plerumque de medicamentis agitur magna vi pollentibus, paululum infra vulgarem mensuram substitisse praestabat, quam eamdem superasse. Nihilominus, quantumvis hacce methodo consuetudini et securitati sat bene consultum crederemus, instantibus tamen multis, in formulis compositis medicamentorum internorum, praecipue magistralium, atque etiam in externorum quibusdam, iis praesertim in quibus ab errore admisso grave aliquod incommodum impendere posset, numeris generalibus quos ubique notavimus, mensuras quoque antehac usitatas simul adscripsimus. Hujusque methodi initium fecimus a sectione quinta, scilicet a Solutionibus aquosis, plerisque magistralibus.

Sit igitur Pinacis loco sequens numerorum generalium, veterum Galliae ponderum, et eorumdem ad meridianae lineae mensuram exactorum conjuncta series.

Numeri generales nostro Codici ubique inscripti.		Pondera Galliae vetera.	Pondera eadem accurate ad meridianam mensuram exacta.
			gram.
0,025	grana	½	0,0265
0,05		1	0,0531
0,1		2	0,1062
0,5		10	0,531
1,0		20	1,062
2,50	drachmae	½ (grana 36)	1,91
4,0		1	3,82
8,0		2	7,6485
16,0	unciae	½ (drachmae 4)	15,2970
32,0		1	30,594
48,0		1 ½	45,89
64,0		2	61,188

96 ,0		3	91 ,782
128 ,0		4	122 ,376
250 ,0	librae	½	244 ,75
500 ,0		1	489 ,51
750 ,0		1 ½	734 ,26
1000 ,0		2	979 ,02

Grammata autem ipsa si in grana, drachmas, uncias, librasque veteres convertere placeat, habebitur series alia ad quam numeros generales aptare etiam licebit, et cujus rationes hic subjicere non inutile visum est.

Nova pondera juxta meridianam mensuram.		*Pondera eadem ad veterum Galliae ponderum mensuram deducta.*			
	gram.	lib.	unc.	drach.	gran.
Kilogramma	1000 ,0	2	0	5	55 ,15.
	750 ,0	1	8	4	8.
	500 ,0	1	0	2	53 ,57.
	250 ,0		8	1	27.
	200 ,0		6	4	22.
	125 ,0		4	0	49 ,5.
Hectogramma	100 ,0		3	2	11.
	50 ,0		1	5	5.
Decagramma	10 ,0			2	44.
	5 ,0			1	22.
Gramma	1 ,0				19.
	0 ,5				9 ,5.
Decigramma	0 ,1				1 ,9.
	0 ,05				0 ,95.
	0 ,025.				0 ,475.

Notandum tamen est rerum regni internarum administros DD. *Montalivet* et *Vaublanc*, annis 1812 et 1816, decrevisse ut in posterum,

Libra una	1	impleretur	500 grammatibus.
	½	(demi-livre).	250.
Unciae	4	(quarteron).	125.
	2	(demi-quarteron	62 ,5.
	1		31 ,2.
drachmae	4	(demi-once)	15 ,6.
	2		7 ,8.
	1		3 ,9, etc.

Quod tamen in ponderibus in re nostra usitatissimis fractorum numerorum difficultate certe non caret.

2° DE DENSITATIBUS ET AREOMETRO.

Ratio ponderis ad magnitudinem, quae densitatis mensura est, magni in rebus pharmaceuticis momenti, areometro indice nunciatur, praecipue quod liquida spectat, sive aqua ponderosiora sint, sive leviora.

Igitur ut habeatur, quo referri possit variarum densitatum mensura, computationis initium desumitur ex aqua ipsa destillata, barometri columna 76 gradus seu centimetra aequante, et sub caloris gradu ut plurimum 14°. (*V.* Brisson) aut 19 ,5centig.; aetheribus tamen exceptis, summe volatilibus, quorum densitas sub caloris gradu o generatim perspecta est.

Hac lege constitutum fuit D. Baumé areometrum quod plerumque apud nos in usu est; verum, quamvis utramque in partem areometri sui scalam aeque ab aqua sumpserit vir ille, sive eo demerso leviora notarentur liquida, sive graviora indicarentur eodem emergente, tamen non ab eadem nota inscripta utriusque scalae voluit oriri numerorum seriem, et dum primus descendendis seu graviorum scalae gradus inscripta nihili nota (o) insigniebatur, ascendens, seu leviorum, a numero 10°. initium duxit. Qua de causa admissa sit haec inter utramque differentia difficile dictu est. Adeoque Batavi in pharmaceutico areometro aquae lineam in utraque scala eadem nota, scilicet o, inscripta indicaverunt. Quod rationi videtur consentaneum magis.

At enim, ex areometro vulgari ad diversam altitudinem in liquidis subsistente, habemus certe densitatis variae indicium, minime vero ipsam densitatis mensuram. Haec igitur praeterea computando ad calculum deducenda, aut experiendo notanda est. Quod quidem cum intellexerint Batavi, scalam densitatum, scalae graduum areometri ex adverso adscripserunt. Horum exemplum secuti sumus, iis tamen admissis tantum numeris qui, aut experimentis respondent ad rem nostram utilibus, aut, intervallis cum distent aequalibus, crescentium in utraque scala densitatum, aut decrescentium rationem sat aperte indigitare valent, quos asterisco (*) notavimus.

Scala leviorum, sive ascendens.

Areometrorum notae, densitates, materiae et experimenta.

Scala Baumé.	Scala Batava.	Densitates.	
Extra Scalarum numeros		700	Acidum Hydrocyanicum purum (praesentissimum venenum) *Gay Lussac*.
66	56	715	Aether sulfuricus purissimus.
*60	50	742	*Idem* bonae notae.
*50	40	782	
48	38	792	Aether sulfuricus alcoolisatus, aequis Alcoolis et Aetheris partibus.
42	32	819	Alcool ad Pharmaciae usum purissimus.
*40	30	827	(idem)
36	26	847	Alcool purus. Naphtha.
33	23	863	Alcool venalis (3/6).
32	22	868	Oleum Terebinthinae volatile.
*30	20	878	
26	16	900	Acidum hydrocyanicum Scheelianum, et Acidum hydrocyanicum purum pari aquae quantitate remixtum (*Robiquet*).
25	15	906	Aether Aceticus.
23	13	915	(idem)
			Aether Nitricus.
Id.	*id.*	*id.*	— — Muriaticus.
22	12	923	Ammonia liquida.
			Oleum Olivarum.
Id.	*id.*	*id.*	Alcoole aquosi, *Aqua vitae* vulgo dicti.
*20	10	935	(idem)
18	8	948	(idem)
13	3	980	Vina Burgundum.
12	2	986	Vina
11	1	993	Vina Burdigalense.
*10	0	1000	Aqua stillata vulgaris.
Scala descendens.	1	1007 – 9	Acetum stillatitium, etc.

Scala graviorum sive descendens.

Areometrorum notae, densitates, materiae et experimenta.

Notae.	Densitates.	
*0	1000	Aqua stillata vulgaris.
1	1007	Acetum stillatitium.
	1009	(idem)
2	1014	Acetum vulgare.
4	1032	Lac vaccinum.
5		(idem)
5	1036	Acetas Ammoniae.
*10	1075	Acidum Aceticum densius.
12	1091	(idem)
*20	1161	
21	1180	Acidum Hydrochloricum liquidum.
25	1210	(idem)
*30	1261	Syrupus bulliens.
35	1321	Syrupus refrigeratus. Acidum nitricum vulgare.
*40	1384	Acidum Nitricum densius.
41	1398	(idem)
45	1454	(idem)
Id.	*id.*	Acidum Phosphoricum in medicos usus.
*50	1532	
*60	1714	
66	1847	Acidum Sulfuricum densissimum.
70	1946	Acidum Phosphoricum densissimum.

5°. DE CALORIS GRADU ET THERMOMETRO.

Utuntur apud nos, tum in pharmaceuticis rebus, tum in chymicis, thermometris quorum inter glaciei resolutionem et aquam bullientem scala gradus numerat aut 80, aut 100. Primum Reaumurio adscribunt, alterum, quod a Celsiano reapse non differt, centigradum vocaverunt.

Utriusque scalae numeros parallelos hoc in opere ubique simul notavimus; hic tamen utile visum est seriem adjicere ex utroque thermometro eorum graduum, quibus respondet calor sub quo variae perficiuntur pharmacopoeorum operationes; praesertim ubi gradus ipse proprio numero non indigitari, sed tantummodo intelligi solet ex operandi modo, cui calor idem speciatim et necessario aptus est; scalae utrique adscripsimus quoque numeros ex Fahrenheitiano thermometro respondentes.

Sit igitur tabula sequens.

Scala Reaumur.	Scala centigrada.	Scala Fahrenheit.	
84	105	221	Syrupus bulliens.
83	103,75	218 $\frac{3}{4}$	Aqua bulliens quae tenet Muriatis Sodae $\frac{2}{10}$.
82	102,50	216 $\frac{1}{2}$	Aqua bulliens quae tenet Muriatis Calcis $\frac{4}{10}$.
80	100,00	212	Aqua bulliens vulgaris pura.
Id.	*id.*	*id.*	Calor Aquae purae sub bulliente balneo maris, parato ex Aqua tenente Muriatis Sodae $\frac{2}{10}$.; adeoque notante gradus 83.
78	97,50	207 $\frac{1}{2}$	Calor Aquae purae sub bulliente balneo maris, ex Aqua pura parato. Idem fuit in eodem balneo calor Olei Olivarum, et Olei Ricini.
65	81,25	178 $\frac{1}{4}$	Gradus in balneo maris bullientis Alcoolis 12=22 Bé.
Id.	*id.*	*id.*	Idem notatur gradus cum ex Aqua nondum bulliente jam fremitus exauditur.
63	78,75	173 $\frac{3}{4}$	Gradus in balneo maris bullientis Alcoolis 20=30 Bé.
62 $\frac{1}{2}$	78,125	172 $\frac{5}{8}$	Gradus in balneo maris bullientis Alcoolis 26=36 Bé.
62	77,50	171 $\frac{1}{2}$	Gradus in balneo maris bullientis Alcoolis 30=40 Bé.

Scala Reaumur.	Scala centigrada.	Scala Fahrenheit.	
60	75,00	167	Gradus in balneo maris quo destillabit Aether purissimus.
35	43,75	110 $\frac{3}{4}$	Gradus quo thea et potus calidissimi sorberi solent. Pedes autem immerguntur vulgo non sine dolore in aquam ad gradum 38 calentem, nec eam ferre possunt nisi quieverint.
. . . .	. . . .	. . . .	Balnei arenae gradus adeo inconstans est, ut nequeat notari et definiri, nisi experiundo, et sub ipso opere.
40 20	50,00 25,00	122 77	Hos inter limites subsistunt varii caloris gradus, quibus exsiccari solent fructus, herbae, flores, et alia medicamina.
30 28	37,50 35,00	99 $\frac{1}{2}$ 95	Hi gradus ad digestiones praecipue aptantur. (V. *Tinct. Alcoolicas.*).
20 15	25,00 18,75	77 65 $\frac{3}{4}$	Hoc scalae spatio constituitur aëris temperies ad fermentationes promovendas aptior.
14	17,50	63 $\frac{1}{2}$	Temperies aëris ad densitatem liquorum areometro explorandam.
0	0,00	32	Gradus glaciei sese in aquam fluidam resolventis. *Idem* ad refrigeranda in destillationibus variis excipula; *idem* quoque ad liquores summe volatiles areometro explorandos adhibetur.

4°. DE PONDERIS AESTIMATIONE IN MATERIIS QUAS USU QUOTIDIANO GUTTATIM, COCHLEATIM, MANUUM AUT DIGITORUM CAPTU, etc., METIRI SOLENT.

Multa sunt quae, usu quotidiano, non habita ponderum ipsorum ratione, sed tantummodo aut ex rerum ipsarum numero, aut ex vasorum diversimode capacium mensura, aut aliis quibuslibet modis metiri solemus. Neque tamen inde sat accurate intelligitur quaenam sit eorum ad caetera ratio; quod in quibusdam periculo non vacat, praesertim in medicaminibus

non mediocris efficaciae variaeque densitatis, quorum idcirco ex iisdem mensuris pondera saepe obtinentur minime aequalia. Quorum hic aestimationem subjunximus experimentis ita deductam, ut ad caetera naturae consimilis secure et facili negotio aptari valeant.

Liquida quae *guttatim* praescribuntur, praecipue si maxime volatilia habeantur, ut alcool, aether, etc., sequenti artificio, ne ex facili jactura subreperet error, aestimavimus; lagunculam liquore implevimus, colli angustioris, verso extrorsum et complanato ostiolo. Liquidi simul et laguncuIae pondere ad lancem exacto, via ex ipso liquido per ostium ducta, inclinato vase, guttae lente stillantes numerabantur, ac demum perpendebatur vas liquorque residuus, atque amisso pondere in guttaram numerorum deducto, singulae guttae pondus facile exigebatur. Hac methodo sequentem tabulam, facta pro viginti singulorum guttis aequatione, constituimus.

Guttarum autem pondus, ut ex ipsarum magnitudine pendet, sic multo minus ex liquidi ipsius densitate quam ex partium cohaerentia et lentore deducendum est.

20 Guttae pendent	*Pond. vet.* grana.	*Nova pond.* gram.
Aetheris Sulfurici (56=66 Bé).	7	0,35.
Aetheris sulfurici Alcoolisati, seu liq. min. anod. Hoffm. ; Alcoolis purissimi (26=36 Bé) ; Alcoolati Melissae compositi	9	0,45.
Alcoolis, Potassa saturi ; Olei animalis Dippelii ; Tincturae Benzoïni Alcoolicae ; Tinctura Castorei Alcoolicae	10	0,50.
Olei Olivarum ; Olei Amygdalini	11	0,55.
Acidi Acetici densissimi (10 g.)	12	0,60.
Acidi Acetici communis, seu Aceti stillatitii ; Olei Menthae volatilis	13	0,65.
Olei de Petroleo volatilis, seu Naphthae ; Acidi Sulfurici Alcoolisati, seu Aquae *Rabellianae* ; AQUAE SIMPLICIS STILLATITIAE	14	0,70.

20 Guttae pendent	Pond. vet. grana.	Nova pond. gram.
Laudani liquidi Sydenhami	15	0,75.
Olei volatilis de Caryophyllis aromaticis	16	0,80.
Sodae causticae liquidae (grad. 36) . . } Aquae soluto Magnesiae Sulfate saturae	18	0,90.
Laudani quod dixere *Abb. Rousseau*	22	1,10.
Acidi Hydrocyamici (900 g.) . . .	23	1,15.
Acidi Sulfurici (66 g.) . . . . . . } Gummi Arabici Aqua soluti ad $\frac{1}{2}$ totius	24	1,20.
Syrupi de Saccharo (35 g.)	30	1,50.

Quod vasa spectat quibus saepe medicamina metimur liquida, *Cyatus*, seu scyphus quo in symposiis vulgo utimur, qualem uno haustu quivis exhaurire ut plurimum valet, facile capit *Cochlearia* octo *majora*, quae ad sorbenda cochleatim juscula inserviunt; *minora* vero *Cochlearia*, quibus theam aut coffaeam delibare solemus, non aequant ultra quartam Cochlearium majorum partem.

Aquae autem communis, trutina judice,

Cyatus excipit ultra uncias quinque, scilicet 160 gram.
Cochleare majus ultra drachmas quinque, scilicet . . . . 20.
Cochleare minus circiter dr. $\frac{1}{4}$, vel . . . . 5.

Non certe minoris pretii videbitur accuratius nosse quid pendant, quae manu comprehenduntur tota, aut quae digitorum trium tantummodo captu metimur. Verum haec pro rerum varietate admodum varia inveniuntur, et ex sequenti tabula bene innotescent.

Cum tamen multa aut laevia captum facile fugiant et elabantur, aut aspera mutuo contra cohaereant, aut tomentosa, quamvis extra prehensionem posita, manum sequantur, varia necessario hac methodo singulorum moles, pondusque diversum, sub eodem mensurae nomine debent intelligi. Ideoque exempla ex hac rerum varietate talia desumpsimus quae caeteris, pro quorumque natura facile, et minimo cum errore, aptari valeant.

Manipulus (*poignée*), seu quod captu manum implet, trutina expensus,

Seminum Hordei pependit . . .	101	,40	seu *unc.* tres et *drach.* duas et semis.
Lini .	47	,60	*unc.* unam et semis.
Farinae de Semine Lini	105	,00	*unc.* tres et *drach.* tres.
Foliorum Malvae.	43	,90	*unc.* unam et *drach.* tres.
Cichorii siccorum	30	,60	*unc.* unam.
Florum Tiliae . .	40	,10	*unc.* unam *drach.* duas et semis.

Pincée. Quod digitorum trium captu comprehendi solet.

Florum Anthemidis nobilis	7	,80	*drach.* duas.
Arnicae montanae	6	,20	*drach.* unam et *scrupulos* duos.
Trussilaginis Farfarae . .	*id.*		*id.*
Althaeae officinalis. . . .	5	,00	*drach.* unam et *scrup.* unum.
Malvae . . .	3	,20	*grana* sexaginta.
Seminum Anethi Feniculi	7	,00	*drach.* unam et *grana* sexaginta.
Pimpinellae Anisi . .	4	,40	*drachm.* unam et *scrup.* semis.

Quaedam praeterea addere non inutile visum est de iis quae numerando praescribuntur.

Ovum gallinaceum, recens enixum, magnitudine non ita mediocri.

Quod totum pendebat . .	2 unc.	2 dr.	0 gr.	= 68 gram.	,8
Dempto putamine pependit	2			= 61	,2
Albumen autem aequabat .	1	2	57	= 41	,3
Vitellus vero		5	15	= 19	,9

Amygdalarum, demptis putaminibus, unciae duae complectebantur amygdalas, n°. 53;

Quarum singula pendebat circiter .	grana 25	= 1 gram. ,15
Quae pelliculis nudatae pendent circiter	20	= 1.

Denique his omnibus subjunxisse convenit, quod ipse notarit expertissimus Baumé, quantum syrupi absumant varia quae in Electuariis, Opiatis, Bolisve magistralibus admittuntur

et syrupo mediante consociantur medicamina: cujus ratio, his tantum verbis, *quantum sufficit*, vulgo indicatur. Scilicet:

Pulverum e vegetantibus et aliis exsiccatis pars una, seu	1 absumet syrupi partes.	3.
e Gummi resinis . . .	1	1.
e Resinis	1	$\frac{3}{4}$.
e mineralibus plerisque aquae non ita cupidis, ut e Stibio, Calomelano, etc.	1	$\frac{1}{2}$.
e Salibus	1	$\frac{1}{2}$.
ex Alcalibus et Salibus quae sponte deliquescere solent	1	$\frac{1}{10}$.
Extracta et Electuaria officinalia		0.

Saepe vero ea quae consociata semel fuere, mutua actione, invicem, temporis lapsu, ita immutantur, ut aliquoties syrupo prius absumpto, novus deinceps sit addendus. Sic, conjunctis in una confectione Tartrate acidulo Potassae et Scobe Ferri purissima, pro parte utriusque una,

Duobus scilicet conjunctorum partibus,
Primo sufficit Syrupi pars una,
Altera die ejusdem pars altera requiritur,
Ac demum tribus elapsis diebus pars tertia admiscenda est ut servetur Electuario debita mollities.

Haec omnia definienda ante credidimus quam ad Codicis formulas exponendas et medicamentorum in iis rationes instituendas progrederemur.

CODICIS MEDICAMENTARII FORMULAE.

SECTIO PRIMA.

Praeparationes Medicamentorum simplicium, et cautelae pharmaceuticae.

DELECTUS, EXSICCATIO, ASSERVATIO ET RENOVATIO, PURGATIO ET MUNDATIO, DISPOSITIO ET APTATIO; IN PULVEREM RESOLUTIO.

Ut medicamenta simplicia ad usum medicum apta sint, sincera, integra, et optimae notae ea sibi comparare debet Pharmacopoeus, ita ut characteri quaeque suo plene respondeant.

Quorum quidem, in vulgo venalibus, delectus fiet certior propriis notis, quas in Materia medica, quantum licuit, indicavimus, et quae praesertim usu et rerum peritia unicuique melius innotescent.

Quod autem ea spectat quorum virtus pendet ex colligendi opportunitate, exsiccandi ratione, modo

asservandi, aliisque cautelis, qua cura istud Pharmacopoei munus adimpleri debeat, sequentibus exponere summatim voluimus.

DELECTUS ET COLLECTIO.

Tempus colligendis opportunum plantis, aut plantarum partibus, unde medicamina parari solent, pro singulis non mediocriter differt.

Quaenam generalius admittendae sint cautelae, hic afferre sufficiat; si quae vero singulariter observandae sunt, eas Pharmacopoeorum doctrinae et sedulitati permittimus; quarum notitia ex scriptis pharmacologicis haberi potest.

1°. *Radices* vulgo vere et autumno colligi solent. Quaedam tamen exceptione aliqua indigent, pro vegetationis vario progressu et periodis. Sic quarum vitae periodus est anni unius aut alterius, generatim autumno leguntur; quarum vita diuturnior, vere. At quaecumque fuerit temporum opportunitas, omnium istud fere commune est ut integrae, flexiles, plenae et succidae eligantur; nec intus lignea rigiditate solidescant, quod plerumque accidit aut annosis aut provectioribus.

Sunt quaedam tamen quae tunc tantum effodiri debent, cum lignea pars solidior evasit, quales illae sunt quarum tantummodo cortex in usu medico est. Hujus census sunt *Potentillae*, vulgo *Quinquefolii*, *Cynoglossi* et *Arctii Lappae* seu *Bardanae* radices, etc. . . . . Istae scilicet tunc tantum accipien-

dae sunt, cum ea corticis soliditas et crassities est, ut facile a lignea parte separari valeat.

2°. *Caules* et *folia*, in omnibus propemodum, tantum non explicatis floribus, foliis autem plene expansis, sicca tempestate, non diu post ortum solis, rore exhausto, decerpuntur; *turiones* et *gemmae* primo vere, ante folia explicata.

3°. *Cortices* quo tempore detrahere praestet, non adeo facile definiri potest. Id tamen pro constanti haberi debet, nec ab annosioribus petendos esse, aut arboribus, aut arborum ramis; neque eos justo crassiores, neque quorum extima superficies a vegetantis vita nimium aliena sit; neque morbo exesos legi debere. Autumno autem e fruticibus, adulta vero hyeme aut instante vere, ex arboribus deglubendi sunt.

4°. *Ligna*, antequam explicentur gemmae, aut etiam post deciduam frondem, excidenda. Sana et integra, nec a vetustioribus petenda sunt arboribus, demptisque cortice, libro et alburno, asservanda.

5°. *Flores* ut plurimum leguntur nondum plene evoluti; quidam adhucdum clausi, calyce vix dehiscente; sic *Rosa* illa, quam *Provinensem* dicunt, ruberrima. Comae autem florum, dum explicari flos incipit, decerpendae. Quarumdam tamen alia admodum virtus est prout ante explicatum florem, aut eo jam fere emarcescente colliguntur. Sic *Erythraea centaurium*, ubi emarcuere flores, potentiori amaritie pollet, et vi febrifuga, ut credunt, certiori.

6°. *Fructus*, si recentibus utendum sit, maturi, pleni, succidi, excipiendi sunt; si exsiccandi, maturescentes, nec plene maturi, et sicca tempestate detrahendi.

Eximuntur quoque de quibusdam fructibus extimi cortices, ut de *Citreis*, *Aurantiis dulcibus* aut *amaris*, *limonibus*, etc.. Verum, ut eorum summa tantum cuticula, quam *flavedinem* dicunt, usu requiritur, ista ope cultelli eximi debet curiosius, intacta, quae subjacet, alba corticis parte.

7°. *Semina omnia*, ea praecipue qnae dicuntur *emulsiva*, fructu pleno, perfecto, integro, absoluto maturitate, desumi debent.

8°. *Fungi*, *Boleti igniarii*, qui venales asportantur, eligantur flexiles, qui compressi cedant molliter, lente resiliant, nec facile distracti lacerentur.

EXSICCATIO.

Quidquid *exoticorum* est et inter exteras merces asportatur, mundari primum, deinde in rite clausis debet recondi vasis, et in siccissimo reponi.

Indigena vero ut conserventur, si quae exsicanda sunt, non uno modo, pro singulorum natura, ad siccitatem perducenda.

1°. *Herbae maxime succidae* siccae fiunt hacce indusria: scilicet, excisa omnino exemtaque radice, supra cancellos tela cannabina instructos reponuntur in aprico, sole sub ardente, vel in calidario, calore

ad. gr. primo 20 (25) temperato, dein ad 36 (45); sensim increscente; atque saepius invertuntur et convertuntur, ut nova subinde superficies in ambitum vaporet.

2°. *Minus succidae* minori caloris gradu indigent ut siccae habeantur.

4°. *Caules, summitates floridae*, in quibus parca admodum est humiditas, quales sunt *Hyssopi, Galii, Erythraeae centaurii*, etc., in umbra siccantur, in fasciculos minores divisa; sicca deinde, chartis involuta servantur.

4°. *Flores, caulibus exemptis*, aeque sub umbra, lentius quidem, si magis exsucci, celerius semper, si proprio humore turgidiores sint, desiccantur.

Rosarum Dianthique petala, abscissis unguiculis siccanda; *Violarum* autem arte peculiari a quibusdam parantur; scilicet, demptis calicibus staminibusque, supra telas sparsa suspenduntur. Affunditur imbris in modum fervens aqua, quae primo colore viridi infecta diffluit. Quod iterum si fiat, virescet adhuc aqua, sed pallidius. Si demum tertium affusa tantillum caerulescat, cessandum; atque illico ut caeteri flores Viola desiccanda est. Sic servatur intemeratus floris color, cum minima ipsius odoris jactura.

Hac methodo parati, prae caeteris, isti flores probandae liquorum aut acidae aut alkalinae naturae inservire possunt. At multis ad usus medicos satis esse videtur, si eosdem in calidario, calycibus, ut dictum est, staminibusque demptis, duplici chartae insertos, sub calore 30^g. R. (37, 5^cg.) exsiccaverint,

pyxidibus deinde recondendos, ut color maneat integer.

5°. *Semina* quae emulsionibus parandis apta sunt, et quae farina abundant, et alia quaecumque, cancellis tela canabina instructis imposita, in horreis, aëre liberius interfluente, vel in calidariis mediocriter tepentibus exponuntur; et subinde sedulo invertenda sunt, ut superficies aëri nova saepius objiciatur.

6°. *Fructus pulposi, Ficus* v. g., et *Pruna*, et *Cynorrhodon* vocantur *Rosae caninae fructus*, nunquam ita exsiccandi sunt, ut penitus arescant. Scilicet eximendus tantum superfluus humor; quod fit dum calore prius moderata tepescunt, dein, crescente paulatim, incalescunt, idque non una vice, sed pluries, donec in eam mollitiem devenerint quam ipsis conservandis aptam cognoscimus.

7°. *Radices*, et quae *fibrosae* sunt, et quae *ligneae*, facile exsiccantur, si fasciculatim in calidario funiculorum ope suspendantur.

Tuberosae, quae molliores sunt, quales aut *Solani tuberosi*, aut *Bryoniae*, etc., in taleolas tenuiores dissectae, trajectae filo, monilis in modum, in calidario suspensae exarescant.

Si quas servare praestet humore naturali turgidiores, quales sunt quibus siccatis exigua, recentibus multa virtus inest, ut *Armoraciae*, *Iridis*, *Ari*, *Bryoniae*, *Scillaeque* ipsius, etc., opportuna tempestate collectae, sabulo sicco reconditae serventur.

8°. Quod *Bulborum* est, et eorum omnium quae *squamis coagmentantur*: ut sunt *Scillae bulbi*,

etc., cuncta curari debent hocce modo: nimirum separatis et excussis tunicis quibus vestiuntur exteriora bulbi; excusso quoque scapo medio, squamae, neglectis iis quae meditullio propiores, molliores et albidiores sunt, caeterae separatim eximuntur, et quatenus earum fibrillae producuntur in longitudinem, in minutissimas dividuntur lacinias, sicque filo trajectae appenduntur in calidario, donec penitus aridae fiant.

9°. *Ramisculi, cauliculi, cortices,* ligna aeque in calidario siccantur, ita divisa, ut parva cum sit eorem moles, superficies, tamen quam maxima aëri exhibeatur.

10°. Quaecumque ex *animalibus* desumuntur eadem exsiccari debent cura, qua plantae et radices, habita tamen ratione indolis singulorum diversae.

Cantharides sparsim, non acervatim, supra telas cancellosque dispositae, in horreis aëre perflatis siccandae sunt. *Viperae*, detracta cute, capite intestinisque exemptis suspensae sigillatim, leni tepore sensim exsiccari debent.

ASSERVATIO ET RENOVATIO.

Exsiccata, quaecumquae sint, includenda sunt in capsis, aut vasis, in quae lumini non detur accessus, et siccissimo in loco reponenda, atque ita recondenda, ut nec ad ipsa pulvisculi advolitent, nec insecta permeare possint. Quibus inest aliquid fragrans aut volatile, et ea praesertim quae humorem in se ex atmosphaera contrahere solent, in vasis ser-

vari debent diligentius obturatis. Inspicere quoque saepius ipsa convenit, ut si quid temporis injuria vitii susceperint, id possit aut praecaveri, aut excludi celerius. Quorum virtus tracta temporis infirmatur, diu servari non debent; quae vero indigena sunt, quotannis colligi et siccari, rejectis omnibus quae praeter annum inveteraverunt.

PURGATIO ET MUNDATIO.

Medicamenta simplicia non pauca a variis sordibus aut heterogeneis admixtis purgari et mundari indigent. Talia sunt imprimis *adipes*, *gummi-resinae*, *opium*, *mel*, *sulfur sublimatum* quod acido nunquam non remixtum est, nisi eluatur.

1°. *Adipes.* Adeps colore, odore, densitate diversus est, et varie consistit pro animalis e quo desumitur genere aut specie et pro natura partis de qua detractus est. Melior est, si ex fortibus, vividis et sanis animalibus habeatur; suillus, seu porcinus, quem vulgo gallico idiomate *sain-doux*, latino *arvinam*, et vulgari, sed minus convenienti nomine, *axungiam* vocitamus, imprimis apud nos in usu est. Id praecipue curandum est, ut omni, quantum fieri potest, humore careat; quod efficitur, si balnei maris calore fusus expurgetur.

Ubi vel minimum rancescere percipitur, tunc ipsum a pharmacopoliis omnino facessere convenit.

℞. Adipis cujusvis recentis. . . . *quantum opus est.*
Crassioribus fibris et venulis exemptis, concisus

minutim, sub aqua purissima et frigida manibus pressus subactusque mollescat adeps.

Coque dein cum sufficienti quantitate aquae, donec totus liquescat; quo facto, aquam simul et liquefactum adipem cola per linteum densum; frigefactum, densatum, et supernatantem adipem separa. Liquetur denuo balneo maris, et ubi expurgatus fuerit, concretusque evaserit, ipsum exime, et serva ad usum.

Eodem modo parantur

Sevum ovillum;
Medulla bovina;
Et aliae Medullae.

2°. *Gummi - Resinae*, sepositis majoribus purioribusque lacrymis si quae siccissimae sint, totae si molliores fuerint impurioresque, pari quantitate alcoolis dilutioris (seu 12^{d}, aut 22^{d} B^{e}) emolliuntur, per linteum exprimendo percolantur, et vaporando in pristinam siccitatem reducuntur. *Gummi ammoniacum*, hoc paratum modo, adhibetur facilius ad unguenta conficienda; quod si in pulverem, ut vulgo praescribitur, tritum conjiceretur, facile in grumos concresceret, nec aequaliter satis toti massae commisceretur.

3°. *Opium*, dupla aquae quantitate emollitum et eadem methodo percolatum, denique vaporando inspissatum, et pro variis usibus, modo molle, modo ad duritiem usque addensatum, servatur purum et vocatur *Laudanum* seu *Opium expurgatum*.

4°. *Mel* quoque, si impurius videatur, igne supposito calefactum, ubi primum calore intumue-

rit, aqua frigida pauxilla injecta detumescet; spuma deinde abjecta, colatum, frigefactum, addito aquae calentis quantum sufficit ut ad debitam spissitudinem redeat (quod quartam scilicet Mellis ipsius partem non excedet), servabitur purum, et ad usus pharmaceuticos aptius; et dicitur *Mel despumatum.*

5°. *Sulphur sublimatum*, quod *flores sulphuris* dicere solent, semper aliqua acidi sulphurici portiuncula inficitur. *Aqua ergo bulliente* ipsum diluere, percolare, atque affusa insuper tamdiu eluere convenit, donec in aqua diffluente cartha caerulea, tincta praecipue ope Crotonis tinctorii (*Tournesol*), nullum acidi vestigium superesse indicaverit.

6°. *Terebinthina* etiam magna parte olei volatilis quo feta est, ignis ope, aqua mediante, spoliari solet sequenti modo, et tunc dicitur *Terebinthina cocta:*

℞. Terebinthinae, ... *quantum volueris.*
Conjiciatur in aquae bullientis sufficienti quantitate, tripla circiter: protrahatur ebullitio donec terebinthina in aquam frigidiorem projecta, in mollitiem solidescat; ex qua tunc globuli formantur pondere decigrammatum trium, seu granorum sex, sub aqua frigida servandi.

Simili arte Resinae omnes liquidiores, fragrantiores et acriores dulcescere et solidescere possunt.

DISPOSITIO ET APTATIO AD USUS MEDICOS.

CORTICIS DAPHNES GNIDII AUT MEZERAEI PRAEPARATIO.

℞. Ramorum Daphnes Gnidii . . *quantum opus est.*
Macerentur in aqua vel aceto donec facile cortex a ligno separari possit. Dividatur deinde cortex in sigmenta variae magnitudinis rite exsiccanda, dein asservanda in usum.

SPONGIAE PRAEPARATAE.

(Spongia usitatissima.)

Saepe ad *dilatanda ulcera* spongiis utuntur Chirurgi. Verum ut effectum praestent requisitum, convenienter ante praeparandae sunt, maximeque omnis humor ab iis excludendus. Duplici modo haecce conditio vulgo obtineri solet; is vero praestare videtur modus quo in praeparanda spongia cera non adhibetur.

SPONGIA PRAEPARATA CUM CERA.

℞. Spongias contextus tenuis *(éponges fines)*, exsiccatas, perfecte elotas et alienis omnibus repurgatas.
In ceram flavam igne liquatam immerge, et interpositas stanneis duobus laminis, in aqua bulliente calefactis, ut cera facilius a spongiis excludatur, praelo subjice; fortiter exprime; frigefactas exime.

SPONGIARUM ABSQUU CERA PRAEPARATIO.

℞. Spongias contextus tenuis puras et lotas:
Humidas adhuc funiculis circumductis constringe fortiter, gyris funiculi ita contiguis, ut nullus intersit spongiae exitus, omnisque ipsa contegatur eo-

dem fere modo quo Tabaci foliorum cylindri solent; nodoque utrimque funiculus teneatur facile solubili.

His ita dispositis exsiccanda est probe spongia, et in loco siccissimo asservanda.

Spongia sic praeparata, soluto ubi requiritur funiculo, forcipe aut cultello acutiori exsecari valet, et in omnes duci acuique formas.

IN PULVEREM RESOLUTIO.

Pulveres ex quibuslibet materiis desumantur non eodem modo parandi sunt. Materiae aliae terendae, aliae contundendae sunt; multae supra porphyriten levigandae: quaedam etiam praecipitatione chemica parandae, de quibus suo habebitur loco.

Quo quaevis materia paranda sit modo, ipsa ejusque et natura et status indigitant.

Saepius ut in pulverem corpora rite resolvantur, praevia aliqua operatione disponenda sunt; sic radices et ligna, modo in taleolas exilissimas resecanda sunt; modo lima, radula aut scobina sunt abradenda. At quocumque hunc ad finem aptentur modo, nullus bene parabitur pulvis, si ex iis cautelis quas vel materiae natura requirit, vel artis praecepta legitime indicant, aliquid aut oscitanter admittatur, aut omittatur negligenter.

A quibusdam autem medicamentis, dum teruntur, cavendum est ne, aut quod in iis tenuissimum et efficacius est disperdatur, aut acriores pulvisculi, oculis, gutturi, faciei, manibus varia minitentur incommoda. Quod ex *Ipecacuanha*, *Euphorbio*, *Cantharidibus*, *mineralibusque quibusdam mate-*

riis maxime metuendum est. Eas idcirco, dum in mortariis teruntur, cohibere necesse est aluta laxiori, cujus summa pars ad pistillum adnectitur, ima circa mortarii oras vinculo aptanda est strictiori. Incernicula quoque ipsa similiter contegi debent, dum manibus hinc inde versantur, ut iidem pulveres per textus sericeos setaceosve subtiliores exigantur.

Caeterum id praecipue notandum est, numquam magna copia parandos esse pulveres, etiam ex iis medicaminibus quae hac forma frequentius usurpantur. Omnia medicamina quaecumque sint, paucis inter mineralia praesertim exceptis, integra multo tutius asservantur, Neque ea certe quae volatilia sunt et fragrantia, aut subtilioris efficaciae, aut quae facilius humescunt, magna copia sub pulveris forma paranda sunt. Sic neque Ipecacuanhae, neque Rhei, neque Kinae diu pulveres bene asservantur, etiamsi vasa rite occlusa sint; istis scilicet frequentius adapertis magnum virtutis suae patiuntur detrimentum. Eamdem ob causam rite parati pulveres in vasis perfecte clausis asservandi sunt.

Colorem etiam, non praetereundum intemerati pulveris indicium, cum praesertim ex herbis paratur, purum servabunt, si pulveres in vasis contineantur luci imperviis; quae si vitrea sint, extus glutinata charta undique obtegenda sunt.

Quod autem incernicula attinet quibus, pro textus densitate varia, plus minusve subtiles pulveres secerni solent, alia quidem setaceo textu crasioribus, alia sericeo subtilioribus aptiora conficiuntur. Verumtamen ad quaedam certe melius, nisi pretium

obstaret, telae ex filis argenteis contextae adhiberentur. Mortaria quoque ipsa, pro natura aut duritie materiei terendae, varia esse debent; ferrea, marmorea, vitrea, etc. Pistillis etiam aut ligneis aut ferreis, aut vitreis, etc.

Tritus ubi prima vice per incerniculum tenuior secretus est pulvis; atque ubi deinde crassior qui restitit denuo tritus, novam subtilioris pulveris suppeditavit copiam; omnes sic ex eodem medicamine singulis vicibus parati pulveres commiscendi sunt, ut totius substantiae virtus omnis, per totam parati pulveris massam aequaliter dispertiatur.

1. PULVIS DE RADICE ALTHEAE.

(Althea officinalis.)

℞. Radicis altheae electae, cuticula excussa siccatae, et in taleolas tenues sectae. . . *quantum opus est.*
Contunde in mortario ferreo, et fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus, a parte fibrosa per incerniculum rite separandus,

Simili modo parantur pulveres:

de radice Glycyrrhizae,
et aliis radicibus.

2. PULVIS DE RADICE JALAPAE.

(Convolvulus Jalapa.)

℞. Radicis Jalapae electae in frustula divisae et exsiccatae. . . . . *quantum opus est.*
Contundatur in mortario ferreo, ut fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus, nulla fere parte residua.

Simili modo parari possunt pulveres de radicibus:

Rhei (*Rheum Palmatum*);
Gentianae (*Gentiana lutea*);
Helenii (*Inula Helenium*);
et aliis.

2. PULVIS DE RADICE IPECACUANHAE.

(*Cephaelis emetica.*)

℞. Radicis Ipecacuanhae electae et mundatae. . . . . *quantum opus est,*

Tere primum leviter in mortario ferreo usque dum pars exterior et resinosa radicis a parte lignea intima, seu meditullio separetur; hanc partem ligneam rejice, dein pars exterior resinosa denuo teratur et fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus.

4. PULVIS DE CORTICE KINAE KINAE.

(*Cinchona condaminea.*)

℞. Corticis Kinae Kinae cinereae electi. . . . . *quantum opus est.*

Contunde initio leviter in mortario ferreo, pulvisque primum sic acceptus rejiciatur ut inutilis: quo facto contundendo pergas donec cortex probe contritus in subtilissimum pollen fere omnis sit resolutus.

Simili arte parantur pulveres:

de aliis corticibus Kinae officinalibus;
de cortice Cascarillae (*Croton Cascarilla*)
etc.

5. PULVIS DE CORTICE CINNAMOMI.

(*Laurus Cinnamomum.*)

℞. Corticis Cinnamomi electi. . *quantum opus est.*

Contunde in mortario ferreo, et fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus.

Similiter parantur pulveres e corticibus:

Cassiae ligneae (*Laurus cassia*);
Winterae aromaticae.

6. PULVIS DE LIGNO GUAYACI.

(*Guayacum officinale.*)

℞. Ligni Guayaci electi et in scobem redacti. *quantum opus est.*

Contunde in mortario ferreo et fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus.

Simili modo parantur pulveres de lignis:

Aloës (*Aloëxylum verum*);
Santali citrini (*Santalum album*);
Santali rubri (*Pterocarpus Santalinus*);
Sassafras (*Laurus sassafras*);

7. PULVIS E PLANTARUM FOLIIS.

℞. Foliorum siccatorum cujuslibet herbae, caulibus abjectis. . . . . *quantum opus est.*

Contunde in mortario ferreo ut fiat, secundum artem, pulvis tenuissimus, a parte fibrosa accurate separandus,

8. PULVIS E RADICIBUS ORCHIDIS SALEP DICTUS.

℞. Bulborum Orchidis orientalium, quales venales vulgo prostant. . . . . . *quantum opus est.*

Aqua tepida ipsos ablue, citoque exsicca.

Contunde in mortario ferreo, pulveremque, qui primus abscedit, ope incerniculi abjice; perge deinde usque contundendo et pulverem per sericeum incerniculum trajice, qui erit pulvis salep.

Simili modo parabilis est:

Farina ex Oriza, quae tamen, antequam teri possit, modice humescere debet; alioquin elastice dissiliens, ictibus pistilli sese usque subduceret.

9. PULVIS DE VANILLAE FRUCTIBUS.
(Vanilla.)

℞. Fructuum Vanillae electorum. *quantum opus est.*
Sacchari purissimi et siccissimi. . . . . . *duplum;*

Fructus forficibus in minutissimas concide particulas, saccharoque commixtos tere in mortario ferreo, donec in tenuissimum pulverem sint redacti; per sericeum incerniculum trajice; crassiorem qui restitit pulvis fere denuo, donec ita subtilis evaserit, ut omnis omnino per sericeum transeat.

Serva in vase accurate clauso.

10. PULVIS DE CANTHARIDIBUS.
(Litta vesicatoria.)

℞. Cantharidum electarum et siccatarum. . . . . *quantum opus est.*

Contunde in mortario ferreo, aluta caute obtecto, et fiat, secundum artem, pulvis per setaceum incerniculum aut per sericeum, pro requisita pulveris tenuitate trajiciendum.

11. GUMMI TRAGACANTHAE IN PULVEREM RESOLUTIO.

℞. Gummi tragacanthae quam siccissimi. . . . . *quantum opus est.*

Teratur primo leviter in mortario ferreo calefacto; pulveremque qui primus abscedit rejice. Dein usque terendo perge et per incerniculum sericeum trajiee.

12. PULVERES MEDIANTE GUMMI TRAGACANTHAE FACILIUS CONTERENDI.

PULVIS E COLOCYNTHIDE.

(*Cucumis Colocynthis.*)

Colocynthis aliquando, ut facile conteratur, gummi tragacanthae ita consocianda est, ut, iis siccatis simul, siccus, tenax, et membranaceus Colocynthidis textus, pistillo aegre admodum dividendus, fragilitatis gummi particeps, tritu demum facilis evadat, dum ipsius simul hac ipsa methodo acrimonia retunditur; quod fiet facillime sequenti modo.

℞. Parenchymatis sicci Colocynthidis albae. *partes* 8.
Gummi tragacanthae. . . . . . . 1.

Sufficienti aquae quantitate intumescens gummi in mucaginem solvatur spissiorem, et cum parenchymate Colocynthidis in mortario pistilli ope misceatur, ut fiat massa in tabellas seu pastillos facile dividenda, probe exsiccanda, et postmodum pro necessitate terenda in pulverem tenuissimum, per sericeum incerniculum trajiciendum.

Non alius erat usus trochiscorum quos vocabant *Alhandal*, qui operosiori, sed non utiliori methodo parabantur.

Simili arte in pulverem teri possunt:

Agaricus albus, (*Boletus Laricis*);
Viperarum caro, (*Coluber vipera*);
Et alia quorum textus pistillo difficilius dividi potest.

13. RESINARUM IN PULVEREM RESOLUTIO.

Resinas in pulverem resolvunt terendo in mortario ferreo, vitreo, marmoreove. Quidam imum pistillum, fundumque mortarii aliquantulum oleo inungunt, ne resina ipsis adhaereat tenacius; verum hac in re periculum est ne oleum ipsum in resinam cedens, huic cohaereat ac brevi rancescat. Expedit igitur ut detergatur caute quod nimium est; aut potius ab hac methodo abstinendum. Caeterum, ut haec praecaveantur incommoda, praestat hanc praeparationem fieri tempore frigido.

Simili arte, sed oleo nequaquam adhibito, parari possunt:

Pulveres de Gummi-Resinis fere omnibus, saltem siccioribus.

14. CAMPHORAE IN PULVEREM RESOLUTIO.

℞. Camphorae purae . . . . . *quantum volueris.*

Conjice in mortarium marmoreum aut vitreum; instilla aliquantulum alcoolis purissimi, et tere leviter admodum.

15. PULVIS E CONCREMENTIS, VULGO LAPIDIBUS CANCRORUM.

(Astacus fluviatilis.)

℞. Lapidum Cancrorum. . . *quantum volueris.*

Aqua fluviatili calente, pluries de die renovata, ablue, donec fere nullus odor saporve deprehendatur.

Exsiccatos deinde tere in mortario ferreo, postea supra porphyritem leviga, instillando aquam commu-

2 *

nem, usque dum subaci sint in pultem levissimam de qua effingendi sunt trochisci in umbra siccandi.

Simili modo parari possunt:

Ovorum putamina;
Testae Ostreorum;
Coralla;
Cornu Cervi ad albedinem exustum.

16. PULVERES DE ARGILLACEIS, SCILICET BOLIS ET ALIIS SIMILIBUS.

℞. Terrae sigillatae optimae . . . . *partem* 1.
Humescat penitus et pressa manibus divisaque diluatur in aquae communis. . *partibus* 3.

Residat per duo aut tria horae minuta ut arenulae praecipites fundum petant; tunc aqua crassioribus arenis libera et adhuc turbida effundatur in setaceum incerniculum, quo trajecto, reponatur in loco tranquillo. Sensim sine sensu subsidet terra subtilior in fundo vasis, a liquore superfluo separanda. Dein ex ipsa effinguntur trochisci in umbra siccandi

17. PULVIS DE SULFURETO ANTIMONII.

℞. Sulfureti Antimonii puri et in mortario ferreo jam in pulverem redacti . . *quantum opus est.*

Supra porphyriten leviga: dein cum aqua multa permisce et agita; aquam, cum turbida evaserit, transfunde ut residat. Superstiti materiae, quam levigabis usque, aquam rursus affunde; idque toties iteretur, donec materiam tenuatam exhauseris totam. Tunc aquam toties sepositam, in qua resedit pulvis, omnem effunde. Sulfuretum in fundo vasis residuum exsicca, et serva.

Simili modo praeparatur

Sulfuretum Hydrargyri, etc.

18. PULVIS DE OXIDO PLUMBI QUOD VULGO DICUNT LITHARGYRUM.

Lithargyrum purum et in pulverem jam redactum cum aqua plurima tere in mortario ferreo, atque inde pulvis subtilior eluatur, ut praescriptum fuit in praeparatione sulfureti antimonii.

19. PULVIS DE SUBCARBONATE PLUMBI SEU CERUSSA.

℞. Cerussae albae et electae, . . . *quantum opus est*

Affricetur suspensa manu ad setaceum cribrum densius contextum, pulvisque trajectus charta excipiatur pura.

Simili modo parabatur vulgo:

Pulvis de agarico albo (*Boletus Laricis*).

Verum melius parabitur ut dictum est supra de Colocynthide.

20. FERRI IN PULVEREM RESOLUTIO.

℞. Scobis Ferri splendentis, nitidae et a sordibus perfecte mundatae. . . . . . *quantum opus est.*

Tempestate sicca, sicco in loco supra porphyriten (sine aqua) levigetur, donec redacta sit in pulverem tenuissimum, nigerrimum, nullatenus splendentem, vase perfecte obturato asservandum, a quo humidum omne summa cura arcendum est.

21. STANNI IN PULVEREM RESOLUTIO.

℞. Stanni purissimi. . . . . *quantum opus est.*

Igne fusum Stannum conjiciatur in pyxidem ferream, modice calentem, asperis intus parietibus, creta undique dealbatis; et sic junctis haemisphaeriis, metallum liquidum exagitetur assidue, atque ita continuato motu, dum frigescit, in tenuissimum

pulverem dividetur, per incerniculum densioris textus trajiciendum. Idem quoque ope pyxidis ligneae sat facile obtineri potest.

Simili arte parari possunt :

Pulveres de metallis modico calore fusilibus; Plumbo, etc.

22. SALIUM IN PULVEREM RESOLUTIO.

Sales quorum elementa dissociare non valet marmor, in marmoreis terendi mortariis; caeteri in vitreis vel in porcellaneis teri debent.

Sales qui tritu difficiliores sunt, supra porphyriten sine aqua levigandi, v. g. Murias Mercurii dulcis, Tartras Potassae stibiatus, Sulfas Potassae, etc.

23. CARBONUM IN PULVEREM RESOLUTIO.

℞. Carbonis Tiliacei aut Salicini aut Populei, aut de alio quovis leviori ligno, penitus exusti, levissimi, sonantis et puri. . . . . . *quantum opus est.*

Aquae tantum affunde quantum sufficiet, ut tantummodo humescat carbo. Contunde dein in mortario ferreo, aut molis subige, fiatque massa lente diffluens, quam sic intactam post aliquot dies telis impones, ut ab ipsa sensim stillando exhauriatur humor; inde effingantur orbiculares placentae, quas solaribus radiis expositas penitus sines exarescere.

Simili modo parabitur :

Carbo ex ossibus ustis.

N. B. Insolatione Carboni singularis additur efficacia, quam eidem in umbra siccato non aeque

conciliaveris; sic scilicet et color alienus et odor omnis facile et plenius absumuntur.

24. PULVIS DE SPONGIIS USTIS.

℞. Ustarum in crucibulo cooperto spongiarum. . . . . *quantum opus est.*

Terantur in mortario marmoreo, absque aqua, et per setaceum trajiciantur.

SECTIO SECUNDA.

Materiae e Simplicibus integris, elementis parum immutatis, depromtae.

SUCCI EXPRESSI, FAECULAE, OLEA EXPRESSA, PULPAE, SERUM LACTIS.

SUCCI EXPRESSI.

Cum quidquid vegetantium est, non aeque succo turgeat, cujusque herbae status et natura primo consideranda sunt, ut inde succus rite exprimi possit.

Herbae nonnullae, multo humore turgidae, non indigent nisi ut mundatae sedulo tundantur pistillo et praelo submittantur.

Hujus census sunt *Nasturtium* (Sisymbrium Nasturtium); *Cochlearia* (Cochlearia officinalis); *Acetosa* (Rumex acetosa); *Lactuca* (Lactuca sativa), etc.

Aliae parum succidae, vel viscidiores aliquantulum aquae requirunt; sed quae admisceatur ea tantum quantitate quae sufficiat ad succum facilius eliciendum; quo facto, contusae praelo subjiciuntur.

Sic tractanda sunt *Borrago* (Borrago officinalis); *Buglossum* (Anchusa officinalis), *Urtica* (Urtica dioïca), etc.

Alia vegetabilia, qualia sunt quaedam radices et fructus, in pultem prius sunt redigenda scobinae ope, videlicet *Dauci radix* (Daucus carota); *Fructus Cydoniae* (Cydonia vulgaris); *Mali* (Pyrus malus); *Pyri* (Pyrus communis), etc.

Denique nonnulla contusa, et in pultem redacta, quodam fermentationis motu prius subigenda sunt, antequam sub praelum veniant. Quo tractantur modo *Baccae Rhamni* (Rhamnus Catharticus); *Sambuci*, etc., *Fructus Citri* (Citrus medica); *Aurantii amari* (Citrus Aurantium amarum); *Aurantii dulcis*, (Citrus Aurantium), etc.

Quod attinet ad defaecandos expressos plantarum succos, praestat, quantum fieri potest, frigidos percolari, praecipue si aromate polleant, eos tantum balnei calore eliquari convenit, qui aut viscidiores aut spissiores sunt quam ut cola facilè permeare possint.

Succorum alii *magistrales* seu a Medicis praescribendi; alii *officinales* seu à Pharmacopoeis asservandi sunt.

Priores ea parantur hora qua praescribuntur.

Posteriores excipiuntur lagenis vitreis, angusti oris et colli; superficiei supernatet olei pauxillum, sive amygdalini, sive alius cujusvis quod non facile concrescat. Lagenae deinde tali munitae operculo, quo sordibus non pateant, sic in frigidario collocentur. Oleum identidem, exempto veteri, novum instilletur.

HERBARUM SUCCI.

SUCCI EXPRESSI DE SIMPLICIBUS SINGULATIM.

1. SUCCUS BORRAGINIS.

(*Borrago officinalis.*)

℞. Foliorum Borraginis mundatorum. 16

Contunde in mortario marmoreo paulatim addendo aquae communis. 1

Succum exprime, quem frigidum si spissior non fuerit, balneo calefactum si viscosiorem habueris, posito scilicet albumine, per chartam emporeticam percolando defaecabis.

Simili modo parantur succi:

Foliorum Buglossi (*Anchusa officinalis*);
Graminis herbae (*Cynodon dactylon*);
Pulmonariae (*P. officinalis*);
Urticae (*Urtica dioïca*);
Cichorii (*Cichorium intybus*);
Cicutae (*Cicuta officinalis*).

2. SUCCUS DAUCI RADICIS.

(*Daucus Carota.*)

℞. Radicum Dauci, abrasa cuticula mundatorum, 16

Ad scobinam affricentur et redigantur in pultem, quam modice dilues cum aquae communis. . . 2

Inde succus exprimatur et coletur.

3. SUCCUS BACCARUM RHAMNI.

(*Rhamnus catharticus.*)

℞. Rhamni Cathartici baccarum. *quantum opus est.*

Compressae manibus elidantur baccae, ne obteran-

tur simul semina. Dein massa per tres quatuorve dies fermentescat; tunc demum exprimatur succus et coletur. Succus iste, vel illico impendi potest, vel ad usum servari. Tunc autem lagenis excipiatur, et superficiei instilletur amygdalinum oleum, ut jam dictum est.

Simili modo paratur:

Succus de baccis Sambuci (*Sambucus nigra, Sambucus ebulus*).

4. SUCCUS DE FRUCTIBUS CITRI MEDICAE.

℞. Citreorum electorum et maxime succidorum. . . . . *quantum opus est.*

Summus qui flavus est cortex sedulo, et quod albi subest, seminaque simul omnino eximantur; accurate sic mundata citrea, manibus compressa elidantur, et intermixtis straminibus secalinis concisis tepidaque lotis, praelo committantur, ut expressus defluat succus, tunc tantum percolandus, cum faece sponte sua subsidente fuerit liberatus.

Succus iste per plures menses facile incorruptus servatur, si lagenis exceptus, oleo amygdalino instillato asservetur.

Simili modo praeparantur succi de fructibus:

Punicae Granati;
Citri Aurantii, dulcibus, amaris.

5. SUCCUS DE FRUCTIBUS CYDONIAE.

℞. Fructuum Cydoniae submaturorum. . . . . *quantum opus est.*

Radula in pultem redigantur quae statim, exclusis seminibus, intermixtis secalinis straminibus aqua tepida lotis concisisque, praelo submittatur; succus

expressus et in vase faventino vel vitreo exceptus, postquam sponte defaecatus erit, coletur. Hic quoque lagenis exceptus, oleo amygdalino instillato, facile asservatur. Notandum etiam optime hunc succum asservari, si lagenae quibus excipitur vapore ex Sulphure combusto prius inficiantur, ut mos est in doliolis pro conservando musto; aut si Sulfites Calcis ad grana aliquot (quindecim pro bilibri mensura) lagenae injiciatur et cum succo misceatur.

Simili modo parantur succi:

de Pyris (*Pyrus communis*);
de Malis, (*Pyrus malus*); etc.

. . . .

6. SUCCUS DE FRUCTIBUS RIBIS RUBRI.

℞. Acinorum Ribis, seu Grossulariae rubrae, non penitus maturorum, rhachidibus devulsis.
. . . . *quantum opus est*.

Compressi manibus elidantur, et seponantur in frigidario, donec liquor superne illimis appareat, quem tunc, una cum spissiore, praelo subjicies. Expressum deinde percolabis, et sic succus habebitur pulchre ruber et pellucidissimus.

N. B. Succus idem, admixta ribibus sexta parte Cerasorum rubrorum expeditius paratur et facilius eliquatur.

Parantur eodem modo succi de fructibus:

Mori (*Morus nigra*);
Fragariae (*Fragaria vesca*);
Berberidis (*Berberis vulgaris*);
Omphacium seu succus de uvis austeris.

7. SUCCUS DE PETALIS ROSARUM PALLIDARUM.

℞. Petalorum de Rosis pallidis recentium. *quantum opus est.*

Contunde in mortario marmoreo vel ligneo; exprime fortiter. Succus expressus, per chartam bibulam percolatus, subruber habebitur, egregie odorus, minime viscosus, non nihil acidulus, oleo instillato asservandus.

N. B. Ex petalorum. 64
Succi percolati quantitas erit circiter. . 24 ,5

SUCCI DE PLURIBUS COMMIXTIS.

1. SUCCI DICTI ANTISCORBUTICI.

℞. Foliorum Sisymbrii Nasturtii.
Cochleariae officinalis,
Menyanthis trifoliatae. . . āā *partes aequales.*

Haec mundata sedulo contunde in mortario marmoreo vel ligneo et exprime fortiter. Expressum succum per cartham bibulam infundibulo vitreo insertam trajice.

2. SUCCI DICTI TEMPERANTES ET DIURETICI.

℞. Foliorum Lactucae sativae,
Rumicis Acetosae;
Chaerophylli sativi,
Sempervivi tectorum, āā *partes aequales.*

Eodem modo quo praedicti parari debent.

FAECULAE.

PRAEPARATIO FAECULARUM.

Faecularum nomine olim significabantur faeces quaedam in succis expressis subsidentes, eaeque naturae non unius, imò diversae admodum. Hodie solum sic vocantur aut amylus, aut eae faeculae quae ipsi natura sunt omnino affines.

Pura et sincera *alibilis faecula* eadem semper et constans sibi materies est, ex quibuscumque vegetantium partibus depromta sit. At dum elicitur, saepius alia ex iisdem vegetabilibus adjuncta secum trahit elementa, undè et ipsi proprietates accedunt non suae, nisi peculiari artificio, repetitis scilicet lotionibus, ab alienis repurgetur.

Tales se praebent quae ex Bryoniae, Ari, Iridis radicibus, ex Hippocastani semine, etc., medicinales parantur faeculae; istae scilicet illotae, nec amylo simplici, nec faeculae è tuberibus Solani tuberosi, aut è cerealibus seminibus elicitae similes existimandae sunt.

1. FAECULA MEDICINALIS BRYONIAE.

(*Bryonia alba.*)

℞. Radicis Bryoniae recentis et accurate lotae . . . . *quantum opus est.*

Scobina ferrea radicem derade; scobem excipe sacco cannabino et praelo subjectam exprime. Succus sufficienti aquae quantitate dilutus, ut facilius diffluat, effusus in incerniculum rarioris textùs excipiatur vase faventino vel vitreo, et seponatur: sub-

sidet paulatim faecula, non jam eluenda, quae, liquore superfluo effuso, in frustula dissecta, supra chartam bibulam, in umbra, leni calore siccanda est; ac demum, siccata penitus, in pulverem redigenda erit, atque in vase clauso asservanda.

Simili arte parari possunt faeculae medicinales:

Radicum Ari (*Arum vulgare*);
Iridis (*Iris germanica*);
Seminum Hippocastani (*Aesculus Hippocastanum*).

2. FAECULA ALIBILIS SOLANI TUBEROSI.

℞. Tuberum radicis Solani tuberosi, pellicula exteriore sedulo mundatorum. . *quantum opus est.*

Redige in pultem ope scobinae ferreae. Hanc sufficienti aquae quantitate dilutam trajice per setaceum incerniculum, atque ita liquor turbidus excipiatur in vase vitreo vel faventino; inde cito subsidet faecula, quae repetitis lotionibus repurgata, in umbra, leni sub calore exsiccari debet.

OLEA EXPRESSA.

Olea aut Unguedines, quibus scatent vegetantia quedam multum inter se partium cohaerentia differunt. Quaedam ita facile diffluunt, ut succorum more aquosorum, pressione commode extrahi possint.

Alia, quantumvis natura fluida, ita mucosis substantiis cohaerentibus irretiuntur, ut aegre admodum expressioni cedant, neque sic elici sat facile queant.

Quaedam demum, Sebi instar, ita concreta inveniuntur ut nulla arte valeant extrahi, nisi ante, justo calore liquata, fiant ad diffluendum aptiora.

Ex tali singulorum naturae discrepantia facile intelligitur, pro cujusque vario statu et conditione, varias extrahendi rationes esse adhibendas.

In universum Unguedines et olea expressa, facillime cum rancescere soleant, renovari saepius indigent et in frigidariis asservari.

1. OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

(Amygdalus communis).

℞. Amygdalarum dulcium selectarum. . . . . *quantum opus est.*

Amygdalas siccas et sacco conclusas concute ut pulvisculus cuticulae adhaerens excutiatur cribroque secerni possit. Sic mundatas tunde in mortario marmoreo, pistillo ligneo; vel melius redige in farinam mola trusatili. Dein sacco cannabino inclusas torculari submitte: exprime fortiter, ut defluat oleum usui asservandum. Hoc etiam, si percoletur Oleum per chartam bibulam, limpidius habebitur, et diutius intemeratum asservabitur.

Simili modo parantur Olea:

Amygdalarum amararum (*Amygdalus communis*);
Nucum (*Juglans regia*);
Pistaciarum (*Pistatia trifolia*);
Quatuor seminum quae vulgo *frigida* dicuntur.

Olea Seminum Moringae *Ben* dictorum (*Moringa Zeylanica*);
Papaveris albi (*Papaver somniferum*);
etc.

2. OLEUM SEMINUM LINI.

℞. Seminum Lini mundatorum et contusorum. . . . . *quantum opus est.*

Supra cribrum inversum et coopertum, vapori aquae ferventis per horae semiquadrantem expone, ut penitus humescant; tunc tela densioris textus includantur et exprimantur illico et celeriter.

Eodem modo parantur Olea:

Seminum Anisi (*Pimpinella anisum*);
Carvi (*Carum carvi*);
Anethi (*Anethum graveolens*),
etc.

3. OLEUM EXPRESSUM VOLATILE DE AURANTIORUM CORTICIBUS.

℞. Fructuum Citri Aurantii. . *quantum opus erit.*

Radula extimum corticem seu *flavedinem* abrade, intacta, quantum fieri potest, albida quae ipsi subjacet ejusdem corticis parte. Hanc scobem, ubi collecta erit ea copia quae sufficere videbitur, sacculo inclusam praelo subjice; defluet intense coloratus liquor, qui vase exceptus cylindrico bifariam dividetur, olea supernatante; istud fistula aut siphunculo eximes, abjecto qui subest aquoso liquore. Oleum hoc lagunculis rite obturatis exceptum, temporis tractu, posita faece, fiet limpidissimum, et multo suavius, quantumvis intensius coloratum, quam quod ope ignis destillando paratum est.

Eadem arte Olea parari possunt e corticibus fructuum *Citri medicae* et aliorum id genus, quorum varietates nominibus *Cedra*, *Bergamotte*, *Bigarade* insignitae multi estimantur.

4. OLEUM EXPRESSUM SEMINUM RICINI VEL PALMAE CHRISTI.

(Ricinus communis).

℞. Seminum Ricini communis maturorum, et exteriori seminis tegumine, necnon embryone, quantum fieri potest, mundatorum . . *quantum opus est.*

Contunde in mortario marmoreo, pistillo ligneo, donec trita coeant in pultem mollissimam. Hanc involutam tela textus densioris gradatim, ne tela rumpatur, exprime, quod non nisi longo satis tempore convenienter perfici potest. Verum, omnibus rite peractis, oleum pulchre exstillabit, sapore subdulci, quale apprime ad usum medicum requiritur; quod ubi aliquantum resederit perfecte limpidum habebitur. Hoc oleum Olivo lentius diffluit, lentescitque magis ac magis; at ubi demum acrius est factum, omnino ab officinis rejiciendum est.

N. B. Genuinum Ricini oleum hoc ab aliis discrepat expressione paratis, quod totum alcoole dissolvatur. Ubi praedicto modo elicitum fuit colore caret: at alia etiam methodo parabile est, scilicet;

Semina Ricini mundata in sartagine ferrea leviter torrentur; ubi refriguere, molis conteruntur, aut contunduntur in mortario marmoreo, buxeo pistillo. His peractis, massa sic parata, aquae sufficienti quantitate diluta, igni imponatur, et dum incalescit indesinenter agitetur donec bulliat; tunc spumosa materies, oleo turgens, superficiei innatans, excipietur omnis, minorique in vase collecta, denuo igne incalescet, ut in vapores abeat aquosus humor,

oleumque secedat. Tunc per pannum illud trajicitur, refrigescit, faecem ponit, purumque, quamvis priore coloratius, servatur medicos ad usus.

5. OLEUM CONCRETUM E SEMINIBUS CACAO.

(*Theobroma cacao.*)

℞. Seminum Cacao mundatorum. *quantum opus est.*

Torrefacta modice in sartagine ferrea munda cortice, tere deinde in mortario leviter, ac demum leviga super lapidem, igne supposito, ut mos est in conficienda *Chocolata.*

Dein praedicta massa bulliat in aquae communis sufficienti quantitate, donec oleum supernatet, quod concretum colliges ex aqua refrigerata.

Vel melius: levigata massa, aquae bullientis sufficienti quantitate madescat; tunc sacco densioris textus inclusa, stanneis duobus laminis, in aqua bullienti ut incalescant immersis, interponatur, et sic submittatur praelo illico et exprimatur.

Denique oleum istud, quocumque modo elicitum, concretum ut esse solet, liquefiat balnei maris calore, et dum liquescet, hoc ipso sub calore, per chartam emporeticam percoletur; sic purum, cum denuo concreverit, asservabitur.

Similiter, sed non torrefactis fructibus, elicitur oleum:

de Baccis Lauri (***Laurus nobilis***);
de Nuce myristica (***Myristica aromatica***).

6. OLEUM DE VITELLIS OVORUM.

℞. Vitellorum ovorum recentium. . . . 1000
(circiter 60 vitellos).

Immittantur in pelvem argenteam et vaporent bal-

neo maris ad dimidias, scilicet, donec ex ipsis inter digitos pressis facile oleum exsudet: tunc involutos tela textus tenacioris, aut e setis equinis contexta, subjice praelo, sus deque interpositis laminis ferreis, aquae ferventi prius, ut juste incalescant, immersis, et festinanter exprime.

Oleum istud, charta emporetica, sub ipso balnei maris colore percoletur, et habebuntur ex praedicta vitellorum quantitate olei dulcissimi circiter : 125

N. B. Aetheri sulfurico facile oleum hoc, quaecumque sit unius ad alterum ratio commiscetur. Diu vero asservari nequit, novumque in veteris locum saepius suffici debet; aut potius, ut magistralia solent, ex tempore ubi praescribitur parari praestat.

PULPAE.

DE PULPIS.

Vegetantia, aut eorum partes, quaecumque mollia et succida sunt, in pulpas redigi possunt, ea tantum adhibita cura, ut terantur primum in mortario marmoreo, et trita dein per incerniculum setaceum densius exigantur.

At radices et fructus quorum parenchyma minus est succidum, non terenda in mortario, sed radula dividenda sunt, et sic abrasa per setaceum exigi possunt.

Quod attinet plantas, earumque partes sicciores nec molles satis, mollescant primum aqua vinove madefactae, aut decoctae in aquae sufficienti copia

ut deinde facilius, soluto partium nexu, trajiciantur, et sic in pulpamen mollius lentescant.

Pulpamina autem addensari debent in cohaerentiam spissioris magmatis, quod etiam levi evaporatione, si ita libuerit, compactum magis evadet. Sed ea utendi tempore tantum paranda sunt, quippe quae facillime et cito nimis asservata corrumpuntur.

1. PULPAE DE PLANTIS EMOLLIENTIBUS.

℞. Specierum emollientium recentium (V. *Species*). . . . . *quantum opus est.*

Bulliant in aquae communis sufficienti quantitate, atque ubi penitus excoctae sunt, per incerniculum trudantur ope spatulae. Pulpa sic parata vaporet ut spissescat in massam molliorem.

2. PULPA DE LILIORUM BULBIS.

(Lilium candidum).

℞. Bulborum Liliorum mundatorum. *quantum opus est.*

Charta involuti bulbi sub cineribus calidis usque decoquantur, dum facillime intra digitos pressi elidantur; tunc, excussis quae nimium ambusta sunt, terantur in mortario marmoreo, et in pulpam trudantur, ut artis est.

6. PULPA DE SCILLAE BULBIS.

(Scilla maritima).

Simili modo paratur Pulpa Scillae, ablatis Scillarum recentium corticulis exterioribus et radicibus. Potest etiam obduci Scillae bulbus farina in massam plasticam aqua mediante subacta; et sic,

aut praedicto modo, aut furno commissus, facile decoqui valet.

4. PULPA CASSIAE.

(Cassia fistula).

℞. Leguminum seu fistularum Cassiae. . . . . *quantum opus est.*

Pulpa e leguminibus diffractis exempta, et a seminibus et dissepimentis quantum fieri potest purgata, per setaceum trajiciatur, et sic in pultem redigatur leni calore inspissandam.

Simili modo parari potest:

Pulpa Tamarindorum, admixto tamen, si modo ea nimium exsucca e leguminibus educta sit, aquae calentis quantum sufficit ut mollescat.

5. PULPA DE PRUNIS.

(Prunus domestica).

℞. Pruni domesticae fructuum siccatorum. . . . . *quantum opus est.*

Coque in aquae communis sufficienti quantitate ad mollitiem; dein, exemptis nucleis, per setaceum trajice, ut fiat Pulpa, quae, cum aqua decocti mixta, vaporet leni calore ad requisitam spissitudinem.

Eodem modo parari possunt Pulpae

de Ficubus (*Ficus Carica*);
Dactylis (*Phoenix Dactylifera*);
Passulis (*Vitis vinifera apyraena*);
Jujubis (*Zizyphus Lotus*), etc.

6. PULPA DE ROSAE CANINAE FRUCTIBUS CYNORRHODON DICTIS.

℞. Fructuum Cynorrhodi jam rubentium, necdum plene maturorum. 16

Excisis in summo fructu quod calyci, in imo quod asperum pedunculo respondet, exemptis deinde seminibus et pilis interioribus, excipiantur vase faventino, et super affunde.

Vini albi generosi. 2

Misce accurate ope spatulae ligneae aut eburneae et macera per duos vel tres dies ut penitus mollescant. Tunc tere leviter in mortario marmoreo, pistillo ligneo, et trajice per setaceum densum; et habebitur Pulpa.

SERUM LACTIS.

℞. Lactis vaccini, vel alius, si placeat, animalis. 2000 ,00

Excipiatur vase figulino vel argenteo et admisceantur coaguli vitulini aqua tantillum diluti. . . . . 2 ,50

Cineribus calidis imponatur vas, et ubi lac concrescere inceperit, calor sensim augeatur, ut tantum non bulliat liquor, et caseosa pars magis ac magis addensetur. Tunc quod serosum est transfundatur; coagulum autem imponatur craticulae vimineae, ut serum exstillans penitus exhauriatur, priorique commisceatur.

Serum sic collectum, turbidum adhuc et albicans sequenti modo eliquandum est.

℞. Pro seri libris quatuor, aut grammatibus. 2000,00

Albumina ovorum recentium. . . . n° 3.

Tartratis aciduli potassae grana viginti quinque, seu. . . . . , . . 1,25

Albumina primo cum aliquantula seri parte mixta exagitentur; additoque deinde quod seri superest, bulliat liquor; dumque ebullire incipit, sensim inspergatur, simulque agitando misceatur Tartras; atque ubi purum, limpidumque evaserit, coletur Serum, per linteum primo, ac deinde per chartam bibulam.

SECTIO TERTIA.

Materiae in Simplicibus fermentando evolutae.

INTER liquores qui fermentando parantur, numerantur praecipue Vina, Cerevisiae, Aceta. Omnia haec venalia vulgo prostant, et apud nos facilius minorique sumpto emuntur quam parantur. Hic tamen, exempli gratia, attulimus Vinum ex Hydromelite.

Vina autem et cerevisiae aut aceta, quae admixtis variis, etiam inter fermentandum, medicantur (ut est liquor vulgo notus sub nomine *Laudanum, abb. Rousseau*), alio loco, scilicet inter vina et aceta medicata locum obtinebunt.

HYDROMEL VINOSUM SEU VINUM EX HYDROMELITE.

℞. Mellis albi exquisiti.	2,500
Aquae communis tepidae.	12,500
Fermenti ex cerevisia mollioris.	64

Solutis in aqua, fermento et melle, liquor doliolo exceptus ad fermentandum reponatur sub aëris tepore circiter 15 ad 20 g. (19-25 cg.), usque dum odorem vinosum acquisierit. Tunc liquorem decapula et serva.

SECTIO QUARTA.

Materiae ex Simplicibus destillando elicitae.

AQUAE STILLATITIAE, OLEA VOLATILIA ODORATA, ALCOOL ET ALCOOLATA, OLEA ET SALES VOLATILIA PYROGENAEA.

DE DESTILLATIONIBUS ET IIS PRAECIPUE QUAE PER RETORTAM FIUNT.

NEMO nescit quibus artificiis, vasorumque apparatu, igne supposito, destillent varia corpora, eaque ipsa quorum maxima in medicis rebus efficacia est.

Cucurbitae metallicae, quarum usus est frequentior in aquis, oleis volatilibus, aut alcoole destillandis, saepe in aliis destillationibus adhiberi nequeunt, sive quod difficilius ferant nimiam ignis vim, ad elicienda corporum elementa nonnunquam necessariam, sive ob metum ne ipsa haec elementa ab hoc vasorum genere adulterentur aut inficiantur heterogeneis; sive demum quia non sat facile ipsis astrui possunt quidam apparatus excipiendis et secernendis materiebus apti. In earum igitur locum ampullas *retortas* dictas adhibuerunt Chymici, iisdem operibus absolvendis aptiores. Iis autem

utuntur aut vitreis, aut fictilibus sive porcellaneis, sive argillaceis siliceisque, aut etiam aliquando ferreis. Nonnunquam luto arte facto trullissatae loricantur retortae, qua parte praecipue major ignis ferenda est violentia. Vasa, quae ipsorum rostra coaptantur, pro varia excipiendorum natura, in varios apparatus ordinantur; inter quae praecipuum locum obtinet ille quem autor instituit *Woulf*, cujus ope et amplioribus vasis carere possumus, et quidquid aërea elasticitate expanditur facile coërceri valet, et omnino arcetur imminens quod olim saepe adeo reformidabatur fracturae periculum.

Praeterea destillationis eliciendae varius modus, varios effectus prodit; diverseque elementa consociat, unde variae producuntur rerum et naturae et facies; ideoque non una in opere ipso adhibenda est cautela; de qua re fusius in scriptis chymicis pharmaceuticisque traduntur praecepta diligentius observanda, ut sincera et legitima habeantur ea praesertim omnia quae in medicum usum verti debent.

I. AQUAE STILLATITIAE.

1°. AQUAE STILLATITIAE SIMPLICES.

Aquarum simplicium destillatio fieri non debet sine cautelis, quibus omissis, earum virtus et utilitas omnis evanescit.

Nulla herba caret odore proprio, qui sub ipsa destillatione cum aqua sublimis exhalat, et quo praegnans humor stillat in excipula.

Ubi parce admodum olent plantae, recentes habeantur, iteratisque vicibus in novas jam nunc stillavit aqua refundatur herbas; et sic cumulato odore feta demum fragrabit plenius.

Contra, si odoratissimae habeantur, semel tantum destillasse sufficiet, modo ea sit herbae copia quae eliciendae aquae quantitate respondeat.

Herbae quaedam fragrantiores, quamvis siccae, si accurate exsiccatae fuerint, non magnum inde patiuntur odoris detrimentum; ex his, scilicet, quantumvis siccis, stillant aquae odoratissimae; nihilominus istis etiam praestat uti recentioribus.

Diversas plantarum partes, cum saepe seorsim ex iis aquae stillare debeant, eligere quoque diversis temporibus convenit; cum, scilicet, pleniori fragrant aromate.

Hac de re sat dictum fuit cum de *colligendis, siccandisque* herbis actum est.

Facile, temporis lapsu, corrumpuntur aquae stillatitiae; saepius adeo renovandae sunt.

Melius in vitreis, faventinis, aut siliceis fictilibus istae asservantur aquae. Reponi debent temperato in aëre, in loco lucis radiis parum pervio; neque vasa perfectius, nisi plena sint, obturasse curaveris.

1. AQUA COMMUNIS STILLATITIA.

℞. Aquae fontanae. 10,000

Destillent, ut artis est, eo calore quo modice bulliat liquor. Partem quae prius destillavit, decimam totius, ut minus puram abjice. Quod succedit

excipe et serva, donec dodrantem totius aquae aequaverit.

Simili modo destillabunt:

Aqua Pluvialis,
Fluviatilis.

AQUAE STILLATITIAE DE PLANTIS PARUM ODORIS: exemplo sit,

2. LACTUCA.

(*Lactuca sativa.*)

℞. Lactucae capitatae recentis.	5,000
Aquae communis.	12,500
Modico igne destillent donec exceperis circiter stillatitii liquoris.	10,000
Hic refundatur in novam Lactucae quantitatem priori aequalem, admixtis insuper novae aquae.	10,000
Destillentque iterum; hac quoque vice excipies stillatitium liquorem ad.	10,000

Quem solum servabis, nisi odor debilior fuerit: quod si contigerit, idem, tertia vice, proderit iterasse.

Eadem arte obtineri possunt:

Aqua de foliis et caulibus Borraginis (*Borrago officinalis*);
Buglossi (*Anchusa Buglossum*);
Plantaginis (*Plantago major*);
Portulacae (*Portulaca oleracea*):

Potentillae (*Potentilla reptans*);
Parietariae (*Parietaria officinalis*);
Aquae de foliis et caulibus Cardui Benedicti (*Centaurea Benedicta*);
Solani (*Solanum nigrum*);
Euphrasiae (*Euphrasia officinalis*);
Cyani (*Centaurea Cyanus*).

AQUAE STILLATITIAE ODORATIORES.

3. AQUA STILLATITIA DE RAPHANO RUSTICANO.

(Cochlearia armoracia).

℞. Radicis Cochleariae armoraciae recentis.	2,000
Aquae communis.	10,000
Destillent, ut artis est, donec exceperis. .	4,000

Simili modo obtinetur:

Aqua stillatitia de radice Inulae campanae (*Inula Helenium*);
Valerianae sylvestris (*Valeriana officinalis*).

4. AQUA STILLATITIA DE FOLIIS PRUNI LAUROCERASI.

℞. Foliorum Pruni Laurocerasi recentium.	1,000
Aquae communis.	2,000
Destillent donec habeantur liquoris stillatitii	500

N. B. Magnum ex usu liquoris hujus imprudenti cum immineat periculum, seponenda sunt et diligen-

tius notanda vasa in quibus asservatur, ut nullus detur errori locus; et nulli tradatur emptori, nisi ex legitima praescriptione, justoque chirographo.

Simili modo destillabit:

Aqua de amygdalis amaris contusis.

AQUAE STILLATITIAE DE FLORIBUS ODORATISSIMIS.

5. AQUA DE FLORIBUS CITRI AURANTII, AQUA *NAPHE* DICTA.

℞. Florum Citri Aurantii recenter decerptorum. 5,000
Aquae communis. 20,0002
Destillent, ut artis est, donec in excipula stillaverint liquoris. 10,000

Nota. Praestat floribus in cucurbita repositis aquam affudisse bullientem; citoque dehinc, nec intermissa, debebit peragi destillatio.

Simili modo destillabunt alii flores aromatici, videlicet:

Lilii (*Lilium candidum*);
Sambuci (*Sambucus nigra*);
Tiliae (*Tilia Europaea*);
Convallariae (*Convallaria maialis*);
Rosarum (*Rosa centifolia*).

Rosarum autem duplum requiritur ut eadem aquae aromaticae obtineatur copia.

Pari etiam modo ex minus odoris floribus habebuntur aquae:

Papaveris Rhoeados (*Papaver Rhoeas*);
Nymphaeae (*Nymphaea alba*);
Paeoniae (*Paeonia officinalis*);
Centaurii minoris (*Erythraea Centaurium*), etc.

6. AQUA DE HYSSOPO STILLATITIA.

(*Hyssopus officinalis.*)

℞. Summitatum floridarum Hyssopi recentium.	5,000
Aquae communis.	20,000
Destillent, ut artis est, donec habeantur stillatitiae aquae.	10,000

Simili arte destillabunt aquae summitatum floridarum:

Melissae (*Melissa officinalis*):
Lavandulae (*Lavandula Spica*);
Salviae (*Salvia officinalis*);
Thymi (*Thymus vulgaris*);
Menthae (*Mentha sativa*);
Menthae piperitae (*Mentha piperita*);
Feniculi (*Anethum Feniculum*);
Tanaceti (*Tanacetum vulgare*);
Matricariae (*Matricaria Parthenium*), etc.

Atque inter minus odoras:

Scordii (*Teucrium Scordium*);
Veronicae (*Veronica officinalis*), etc.

7. AQUA STILLATITIA DE ANISO.

(*Pimpinella anisum.*)

℞. Seminum Anisi.	2,000
Aquae communis.	15,000
Destillent ut artis est, donec habeantur aquae stillatitiae.	4,000

Simili arte destillabunt aquae

De Seminibus Carvi (*Carum carvi*);
Petroselini (*Apium Petroselinum*);
Angelicae (*Angelica Archangelica*);
Feniculi (*Anethum Feniculum*);
Coriandri (*Coriandrum sativum*);
De baccis Juniperi (*Juniperus communis*).

8. AQUA STILLATITIA DE CINNAMOMO.

(*Laurus Cinnamomum.*)

℞. Cinnamomi Ceylanensis.	2,000
Aquae communis.	16,000
Macerationi permittantur per duodecim horas; deinceps destillent, ut artis est, bulliendo leviter, donec habeantur aquae stillatitiae.	8,000

Destillent eodem modo:

Cortex Cascarillae (*Croton Cascarilla*);
Cortex et lignum Sassafras (*Laurus Sassafras*);
Lignum Rhodium (*Convolvulus Scoparius*);

Caryophylli aromatici (*Caryophyllus aromaticus*), etc.

2°. AQUAE STILLATITIAE EX PLURIBUS SIMUL UNITIS.

AQUA STILLATITIA DE HERBIS QUAS DIXERE *VULNERARIAS*.

℞. Specierum Vulnerariarum (V. *Species*).	2,000
Aquae communis.	20,000
Destillent, ut artis est, donec habeantur aquae stillatitiae.	8,000

II. OLEORUM VOLATILIUM DESTILLATIO.

Quo tempore aquae odoratae destillant, eodem et *Olea volatilia*, neque alia plerumque arte excipiuntur.

Ea inter quaedam sunt aliis et volatilia magis et leviora, quaedam ponderosiora: leviora olea vulgo ab indigenis, ponderosiora ab exoticis vegetabilibus destillant.

Pro diversa oleorum naturâ diversus destillationi astruitur apparatus; quae differentia ex sequentibus sigillatim plenius intelligetur.

Ex herbis recentibus, ut plurimum, tenuiora et fragrantiora quam ex siccioribus olea eliciuntur.

Ea omnia, obscuro in loco, et in vasis servari

debent diligentius obturatis. Temporis lapsu et lentiora fiunt et coloratiora, debilius quoque fragrant.

1° OLEA VOLATILIA LEVIORA.

OLEUM DE FLORIBUS CITRI AURANTII *NEROLI* DICTUM.

℞. Florum Citri Aurantii recentium. . . 5,000
Aquae communis. 7,500

Destillent eo modo quo utuntur ad aquam eliciendam, sed in locum excipuli ampullati et longicolli (*matratium* dicti), capitelli rostro aptetur excipulum conicum, *florentinum* dictum, cujus ope, Oleum, aquae innatans simul stillanti, angustum in spatium colligitur, facileque, si liquidum sit tubo ampullato vitreo, si concretum vitrea spatula totum eximitur.

Aqua, quae oleo comitante exstillavit ipsoque feta est, in novos refundi flores, et sic pluries, ut oleum eliciatur abundantius, aliis destillationibus inservire potest.

Eadem arte destillabunt olea:

Rosarum (*Rosa centifolia*);
Menthae piperitae;
Thymi (*Thymus vulgaris*);
Lavandulae (*Lavandula Spicā*);
Salviae (*Salvia officinalis*);
Tanaceti (*Tanacetum vulgare*);
Absynthii (*Artemisa Absynthium*);
Rosmarini (*Rosmarinus officinalis*);
de Corticibus Aurantiorum (*Citrus Aurantium*);

Ocymi (*Ocymum Basilicum*),
Rutae (*Ruta graveolens*);
Chamaemeli (*Anthemis nobilis*);
Sabinae (*Juniperus Sabina*);
Anisi (*Pimpinella Anisum*);
Feniculi (*Anethum Feniculum*);
de Baccis Juniperinis (*Juniperus communis*), etc.

. . . .

2°. OLEA VOLATILIA QUAE PONDEROSIORA SUNT.

OLEUM DE CINNAMOMO.

(Laurus Cinnamomum.)

℞. Cinnamomi selectioris contusi. . . .	5,000
Muriatis sodae.	500
Aquae communis.	10,000

Macerentur per horas duodecim; ac deinde igne supposito, aqua citissime bulliat; et aptato ad capitelli rostrum vase ampullato et colli longioris, destillet liquor, donec in excipulum limpidus decidere incipiat.

His ita dispositis et peractis, liquor lactescens habebitur, cujus ima petens oleum in fundo vasis subsidet. Istud ab aqua supernatante separabis. Aquam vero refundes in cucurbitam iterum, terque, atque etiam quater; et sic omne quod ex Cinnamomo potest elici oleum obtinebitur.

Similiter parari possunt olea:

Cinnamomi Sinensis;
Caryophyllorum aromaticorum;

Sassafras (*Laurus Sassafras*);
Rhodii ligni (*Convolvulus scoparius*),
etc.

III. ALCOOL ET ALCOOLATA.

DESTILLATIO ALCOOLIS.

℞. Vini de uvis optimae notae. *quantum opus est.*
Destillet, ut artis est, ex cucurbita stillatoria, cujus capitello aptabitur tubus in spiram convolutus (gallice *Serpentin*); et stillare pergat, modico ignis calore, donec nullam liquor stillans prae se ferat alcoolis notam.

ALCOOLIS PURGATIO.

Qui destillavit methodo supra dicta Alcool, balneo maris et eodem apparatu destillet iterum, donec liquoris totius dodrans in excipula transierit.

Pro destillationis tempore et progressu, varia obtinetur Alcoolis et tenuitas et vis. Cujus quidem gradus ex *Araeometris* (seu potius *Hydrometris*, ut Batavis placuit), innotescit. Tenuissimum autem illud est quod destillavit prius. Cujus etiam vis acuitur magis, si, mediante Muriate Calcis aut Potasse Acetate, aqua omnino liber destillando evaserit.

Purissimus Alcool in araeometri columna, si scalam a *Baumé* divisam, cujus initium est 10, consulas, gradu notabitur 40°. Si vero scalae

numeri a o initium ducant, ut apud pharmacopoeos in Batavia usitatum est, notabitur idem 30° gradu.

Densitas autem pro gradu varia est, scilicet

in alcoole	12 g.	—— 22 Baume.	923 densit.
	16	—— 26	900
	22	—— 32	868
	26	—— 36	847
	30	—— 40	828

Atque adeo aquae stillatitiae mensura kilogramma capiens Alcoolis pondera tenebit dictis densitatibus aequalia; scilicet grammata 923, etc.

Si autem ad antiqua pondera referas, et habeas aquae stillatitiae mensuram quae libras 2 capere valeat, eadem tenebit Alcoolis.

12 — 22	1 lib.	13 unc.	4 drach.	15 gran.
16 — 26	1	12	6	29
22 — 32	1	12	0	71
26 — 36	1	11	0	60
30 — 40	1	10	3	70

Haec autem pondera atque hae mensurae habebuntur, barometri columna notante 28 poll. aut fere 76 centimetra.

Liquores omnes, quotquot sunt, qui fermentatione vinum aemulantur, destillare possunt eodem modo; ex singulis enim hac arte elicitur Alcool, qui saepius suffici valet in locum Alcoolis qui ex vino ipso destillavit.

ALCOOLATA SEU LIQUORES EX ALCOOLE CUM AROMATICIS DESTILLATI OLIM *SPIRITUS* DICTI.

ALCOOLATA SIMPLICIA.

1. ALCOOLATUM DE AURANTIORUM CORTICE.

(*Citrus Aurantium.*)

℞. Corticis de fructibus Aurantiorum recentis. 240
Alcoolis purissimi (22 — 32 Bé). . . . 960
Aquae stillatitiae. 480

Macerentur per biduum; destillent balneo maris, donec in excipulum transierint Alcoolis aromatici. 960

Eodem modo destillabit Alcoolatum de Citreis.

2. ALCOOLATUM DE COCHLEARIA.

(*Cochlearia officinalis.*)

℞. Foliorum cochleariae officinalis recentium. 720
Alcoolis purissimi (22 — 32 Bé). . . . 480
Destillent balneo maris donec in excipulum transierint. 400

3. ALCOOLATUM DE ROSMARINO.

℞. Summitatum floridarum Rosmarini recentium. 120
Alcoolis (22 — 32 *Bé*.). 360
Aquae de Rosmarino stillatitiae. 120

Macerentur per quatriduum; destillent balneo maris donec habeantur Alcoolis aromatici (12 — 22). 300

Simili modo destillabunt Alcoolata de

Menthis crispa, piperita, etc.
Melissa (*Melissa officinalis*);
Lavandula (*Lavandula spica*), etc.

ALCOOLATA COMPOSITA.

Hic quaedam composita servavimus, uti usu invaluere et qualia vulgo requiruntur, etiamsi superflua aromaticorum varietate pleraque turgeant, exclusis iis quae sunt dubiae nimium virtutis. Verumtamen ut simplicitati juste faveremus, in singulis annotavimus et summam medicamentorum ex quibus vis medicamenti praecipue pendet, et hujus summae rationem ad Alcoolis eliciti copiam; necnon et ea simplicia, quae compositi veluti capita haberi possunt, obliquis litteris indicavimus. Ea igitur, aut alia ex eodem numero, si eligantur, ita ipsorum pondera augeri debent, ut omnium summae et numeris et virtute satis respondeant.

1. ALCOOLATUM VULGO DICTUM *VULNERARIUM.*

(*Eau Vulnéraire spiritueuse.*)

℞. Foliorum et summitatum siccatorum.

Salviae officinalis.	128
Angelicae Archangelicae.	128
Tanaceti vulgaris.	128
Artemisiae Absynthii.	128
Anethi Feniculi.	128
Menthae vulgaris.	128
Hyssopi officinalis.	128

Thymi vulgaris.	128
Anthemidis nobilis.	128
Origani vulgaris.	128
Origani Majoranae.	128
Melissae Calaminthae.	128
Lavandulae Spicae.	128
Alcoolis (12—22 Bé).	24,000
Destillent, ut artis est, balneo maris donec exceperis liquoris.	20,000
Nota. Summa aromaticorum.	1,664
Cujus ratio ad Alcoolem destillatione elicitum erit circiter.	$\frac{1}{12}$

2. ALCOOLATUM QUOD VULGO DICUNT *CARMINATIVUM SYLVII.*

℞. Radicum *Angelicae Archangelicae.*	4
Imperatoriae Otshrutii.	6
Marantae Galangae.	6
Foliorum Rosmarini.	48
Origani Majoranae.	48
Rutae graveolentis.	48
Ocymi Basilici.	48
Baccarum lauri nobilis.	12
Seminum Angelicae Archangelicae.	16
Ligustici Levistici.	16
Pimpinellae Anisi.	16
Zingiberis (*Zingiber officinale*).	6
Nucis Moschatae (*Myristica aromatica*).	6
Cinnamomi (Laurus Cinnamomum).	12
Caryophyllorum aromaticorum.	4
Corticis Citrei (Citrus medica).	4
Contusis omnibus affunde Alcoolis (22—32 Bé).	1,500
Macerentur per biduum. Dein balneo maris destillent donec habeantur liquoris Alcoolici.	1,000

Nota. Summa aromaticorum. 306
Ratio summae ad Alcoolem elicitum superat, ... $\frac{1}{3}$

3. ALCOOLATUM DE COCHLEARIIS SEU *ALCOOLATUM ANTISCORBUTICUM.*

℞. Foliorum Cochleariae officinalis recentium.	2,500
Radicum Cochleariae armoraciae recentium, minutissime concisarum. . . .	320
Alcoolis (22—32).	3,000
Destillent balneo maris, donec habeantur liquoris alcoolici.	2,500
Summa utriusque Cochleariae. . . .	2,820

Summae autem ratio ad Alcoolem elicitum erit fere ut 9 ad 8.

4. ALCOOLATUM DE TEREBINTHINA COMPOSITUM DICTUM VULGO *BALSAMUM FIORAVANTI.*

℞. *Terebinthinae purae.*	516
Resinae Elemi.	96
Tacamahacae.	96
Succini.	96
Balsami Styracis liquidi.	64
Gummi resinae Galbani.	96
Myrrhae.	96
Aloës.	32
Baccarum Lauri (*Laurus nobilis*) recentium.	128
Radicum Galangae (*Marantae Galanga*).	48
Zedoariae (*Kaempferia rotunda*).	48
Zingiberis (*Zingiber officinale*).	48
Cinnamomi (Laurus Cinnamomum). .	48
Caryophyllorum aromaticorum . . .	48
Nucis Moschatae (*Myristica aromatica*).	48

Foliorum Origani Dictamni.	32
Contusis contundendis affunde.	
Alcoolis (22—32 Bé).	3,000
Macerentur per sex dies, ac demum destillent balneo maris, donec habeantur liquoris stillatitii.	2,500
Ratio Terebinthinae et succorum aromaticorum ad cetera aromata erit circiter ut.	2 ad 1
Ratio omnium ad Alcoolem elicitum paulo ultra.	3 ad 5

5. ALCOOLATUM DE CROCO COMPOSITUM EX QUO PARATUR ELIXIRIUM DICTUM *DE GARUS.*

℞. Aloës Soccotrinae..	320
Myrrhae.	64
Croci (Crocus sativus).	32
Cinnamomi (Laurus Cinnamomum). .	16
Caryophyllorum aromaticorum. . .	16
Nucis Moschatae (Myristica aromatica)	16
Alcoolis (12—22 Bé).	8,000
Aquae Naphe.	500
Digerantur per biduum; destillent deinde balneo maris donec in excipula transierint.	
Liquoris stillatitii.	4,000

In quo liquore si ratio habeatur Aloës et Myrrhae, aromaticorum summa ad Alcoolem elicitum erit fere 1/4. Caeteroquin esset circiter 1/7.

Cui liquori si adjiciantur et commisceantur	
Syrupi de Adianto.	5,000
Habebitur quod vocant *Elixirium Garus*; cui color aureus conciliabitur, vel, admiscendo saccharum, ita percoctum ut rufescat, solutum in aquae Naphe,	250

Sunt qui Crocum ipsum destillationi non committunt, sed in destillato ipso liquore macerari curant ea quantitate quae destillationi prius addicta fuerat. Verum inde, praeter odorem croci, sapor quoque liquori additur, unde vis ipsi quidem accedit intensior, seda multis certe moleste ferenda.

6. ALCOOLATUM AROMATICUM AMMONIACALE VULGO DICTUM *SPIRITUS VOLATILIS AROMATICO-OLEOSUS.*

℞. Segminum summi corticis recentis.

Aurantiorum.	24
Citreorum.	24
Vanillae.	8
Caryophyllorum aromaticorum. . . .	2
Cinnamomi.	4
Muriatis ammoniacalis.	128

Contusis omnibus et in retortam vitream inditis affunde

Aquae de Cinnamomo stillatitiae simplicis	128
Alcoolis (22—32 Bé).	128
Digerantur per triduum ac deinde addantur Carbonatis Potassae.	128
Destillent calore modico donec habeantur liquoris Alcoolici Ammoniacalis aromatici	128

Liquor ille, ubi stillavit, limpidus est et calore caret, sed luce accedente flavescit rufescitque. Quod si vitare, purumque liquorem diutius fere ut stillavit servare volueris, excipiendus est lagunculis vitreis, extus glutinata charta nigricante ita obductis, ut luci prorsus sint imperviae.

Ratio Summae aromaticorum ad liquorem elicitum erit ut. . . . . 1 ad 1,83

Ratio autem Carbonatis Ammoniae e muriate expediti invenietur circiter. . . . . . $\frac{1}{3}$

7. ALCOOLATUM LAVANDULAE AMMONIACALE DICTUM *GUTTAE ANGLICAE CEPHALICAE.*

℞. Subcarbonatis Ammoniae oleosi animalis liquidi, (seu spiritus volatilis ex bombycino filo eliciti). 128
Olei volatilis de Lavandula Spica. . . . 4
Alcoolis (22 — 32). 16
Omnia in retortam vitream immittantur; destillent leni calore;
Atque ubi primum sphaerulae oleosae innatabunt liquori elicito, cesset destillatio. Liquor ipse in lagunculis vitreis rite obturatis asservandus est.

ALCOOLES AROMATICI VULGO USITATISSIMI.

8. ALCOOLATUM DE MELISSA COMPOSITUM QUOD VULGO DIXERE *CARMELITARUM AQUAM.*

Hanc compositionis plurimum celebratae genuinam formulam nobis notam fortuito, publici juris faciendam censuimus, non ob ipsius famam tantùm, verum etiam ob methodum qua parari solet non despiciendam, nec inutilem forsan ad servandam aromatum subtilitatem et gratiam.

℞. Cinnamomum in pulverem crassius tritum;
Caryophyllos aromaticos integros;
Nuces moschatas contusas;
Semina Anisi contusa;
Semina Coriandri contusa;
Cortices Citreorum siccatos et in frustula concisos;
Singula *seorsim* macerentur per biduum triduumve, pro temperie aëris,
In Alcoolis (12 g — 22 B^e). 1,000

Pro singulorum. 96

Destillent deinde balneo maris, et liquor stillatitius cujusque *singulatim* excipiatur et servetur in lagunculis perfecte obturatis. Haec autem sit in omnibus destillandi norma, ut a destillatione tunc omnino cessandum sit, cum guttatim, nec jam continuo rivulo defluit in excipula liquor.

Aliunde, simili modo et lege, et pari Alcoolis ratione per biduum infundantur, destillentque singula seorsim.

Angelicae herba tota, caule jam elato, foliis evolutis, nec ipsa exclusa radice si libuerit,

Folia floresque, caulibus exclusis { Rosmarini, Organi Majoranae, Hyssopi officinalis, Thymi vulgaris, Salviae officinalis.

Omnia autem proprio tempore, quo scilicet maxime fragrant, colligenda sunt et destillationi committenda.

Nec non iisdem et modo et ponderum ratione macerentur et destillent, Folia mundata e medio caule ad summum usque decerpta, MELISSAE, collectae mense Maio praesertin et nondum floridae, aut etiam repullulantis mense Septembri.

Omnium singulatim lagunculae propriis notis distinctae asserventur in usum mox exponendum.

His ita confectis, tribus in amphoris aut doliolis misceantur;

In prima, Alcoolata de Aromatibus siccis;

De Cinnamomo partes.	3 ,5
Caryophyllis.	3 ,0
Nuce Moschata.	3 ,0
Seminibus Anisi.	2 ,0
Coriandri	3 ,5
Corticibus Citrei.	0 ,25

In secunda, Alcoolata de herbis odoratis,

De Angelica partes.	10 ,0
Rosmarino.	6 ,0
Majorana.	7 ,0
Hyssopo.	8 ,0
Thymo.	7 ,0
Salvia.	15 ,5

In tertia, Alcoolatum de Melissa solum contineatur.

Quibus ita dispositis, desumantur,

Ex amphora priori, aromatum scilicet, partes,	5 ,0
Ex amphora herbarum.	5 ,0
Ex amphora aut doliolo Melissae. . .	5 ,5

Commisceantur omnia, et in cucurbita destillatoria, additis aquae fontanae decima totius parte, et sachari octogesima in pulverem redacti (quod dubiae admodum utilitatis est), balneo maris destillent, donec quinta pars tantum supersit; quod autem stillaverit in excipula erit *Aqua Melissae* perfectior.

Nota. Notandum autem ita quidem hac in formula institutam esse permiscendorum rationem ut nulla praeemineant; at si quorumdam odor in amphorarum mixtura, videlicet Cinnamomi, aut Caryophyllorum, ut fit aliquoties, sese efferat nimis, aliis additis, gustu indice, temperandum esse; et similiter si Melissa, ob aliquam in colligenda incuriam, nimium effeta videatur, addito guttatim alcoolato Citrei, Alcoolatum Melissae in debitam fragrantiam esse reducendum.

Parantur quoque Alcoolata, solutis in Alcoole oleis; exemplo sit:

9. ALCOOLATUM DE CITREIS COMPOSITUM, DICTUM: *AQUA COLONIENSIS.*

℞. Oleorum volatilium

De Corticibus varietatum Citrei quas dixere. . .	*Bergamotte* . .	100
	Citron. . . .	100
	Cedra.	100

De Rosmarino.	50
Floribus Aurantii. . .	50
Lavandulae. .	50
Cinnamomo.	25
Summa Oleorum. .	475

Solvantur in

Alcoolis (26—36 B^e^).	12,000
Alcoolati de Melissa compositi.	1,500
Alcoolati de Rosmarino.	1,000
Summa Alcoolis.	14,500

Misceantur intime; digerantur per dies decem; destillent balneo maris, ut quinta pars supersit; quod stillaverit in excipula erit *Aqua Coloniensis*.

Cui, si libuerit, addes, suavitatis causa, Alcoolati apud aromatarios dicti *Eau de Bouquet*. (V. *El. de Pharm.* de Baumé, p. 579). 500

IV. OLEA ET SALES VOLATILES PYROGENAEI.

DESTILLATIO SUCCINI, DESTILLATIO CORNU CERVI.

DESTILLATIO SUCCINI.

ACIDUM SUCCINI ET OLEUM SUCCINI STILLATITIUM.

℞. Succini flavi contusi. . . . *quantum opus est*

Excipiatur retorta fictili silicea loricata, cujus rostrum, vase intermedio (*allonge*) productum, desinat in excipulum amplissimum tubulo instructum.

Destilla igne primum leni, deinde sensim aucto, donec nihil amplius destillet.

Interea refrigescat identidem excipulum impositis linteis frigida madentibus. Absoluta destillatione, Oleum ope infundibuli secernatur; acidusque liquor sponte vaporet sub aëre frigido. Acidi succinici pars in crystallos concrescet; pars alia, quae parietibus vasis intermedii adhaesit ab ipsis detrahitur, et vulgo, ut purior, seponitur et seorsim asservatur; liquor superstes acido - oleosus idem est quem olim Pharmacopoei *spiritum Succini* vocitabant.

Oleum prima destillatione profunde fuscum, retorta vitrea exceptum, modico igne destillabit purum primo et albicans; deinde colore magis magisque fusco; quod dum stillat, pro coloris differentia et olei sinceritate, divide in partes seorsim asservandas.

DESTILLATIO CORNU CERVI.

℞. Cornu Cervini in frustula dissecti. . . . . *quantum opus est.*

Conjice in retortam cujus quarta pars tantum vacua manebit. Sit autem retorta fictilis silicea, luto loricata, quam fornice tectam in foco supra craticulam collocabis. Rostrum addito vase intermedio (Gallice *allonge*) producatur, et desinat in sphaericum excipulum.

Destillet ignis ea vi quae aquae bullientis gradum paulo superet; prodibit primo liquor nonnihil odorus, colore fere carens, quem, ubi cessaverit, sepones rejiciendum. Tunc restituto excipulo adjungatur apparatus qui *Woulfii* dicitur, tubo intermedio ad securitatem operis inserto, atque ita, juncturis probe consertis, increscat sensim ignis, donec rubescere incipiat retortae pars infima. Tunc, destillatione peracta, frigefactis vasis, solutis juncturis, quidquid in lagunculas transierit, pro varia natura, seorsim distingues.

Quod sic destillavit triplicis est generis.

1°. Liquor habebitur flavescens, odore gravis et ingratus. Hic est Subcarbonas Ammoniae oleosus liquidus, vulgo dictus: *Spiritus cornu Cervi volatilis.*

2°. Liquori dicto supernatat Oleum pyrogenaeum quod dictum est vulgari nomine: *Oleum volatile cornu Cervi.*

3°. Vasis, tum intermedio, tum sphaerico quoque excipulo intus adhaeret sal concretus ex albo flavescens, quod est Subcarbonas Ammoniae oleosus concretus, et vulgo dictum fuit: *Sal volatilis cornu Cervi.*

In retorta autem supersunt ipsius cornu Cervi frusta, forma integra, colore carbonis nigerrimo.

Triplex quae in excipula transiit materies, pro singulorum natura, varia methodo purgari indiget, et purior evadet artificio mox explanando.

PURGATIO SPIRITUS VOLATILIS CORNU CERVI.

(*Subcarbonas Ammoniae liquidus oleosus*).

℞. Spiritus volatilis cornu Cervi, *quantum opus est.*

Destillet balneo arenae in retorta vitrea, aptato excipulo sphaerico, ore duplici, altero tubulato, juncturis probe consertis; igne modico destillabit liquoris totius dodrans: tunc solutis juncturis, quod destillavit excipietur laguncula vitrea in loco reponenda luci parum pervio.

Iste liquor, primis diebus, colore caret, verum citreo deinde colore inficitur in dies saturatiori; et tunc nova destillatione purior habebitur.

PURGATIO OLEI VOLATILIS CORNU CERVI AD PARANDUM OLEUM ANIMALE DIPPELII.

(*Oleum cornu cervi pyrogenaeum*).

℞. Olei volatilis cornu Cervi. . *quantum opus est.*

Tubo mediante injiciatur in retortam vitream, ita caute, ut praepediatur Olei ad retortae collum allapsus, ne quidquam intus huic adhaereat; retorta deinde arenae imponatur; ipsiusque rostro aptetur sphaericum excipulum. Tunc, consertis probe juncturis, destillet Oleum eo calore qui gradum aquae bullientis non superet.

Prodibit Oleum tenuissimum coloris expers fere, quartam partem aequans hujus quod excepit retorta.

Si quadam incuria Oleum destillasset coloratius, nova retorta exceptum idem iterata destillatione obtineretur purius.

Sic paratum Oleum, minimas in lagunculas divisum, quam citissime in obscuro loco seponi et asservari debet.

Non aliud erat quod olim arte operosiori parabatur Oleum dictum *Dippelii* animale. Quod scilicet cum pulvere ossium ad albedinem exustorum in globos efformabatur, et sic destillatum, aquae dein commixtum, iterum iterumque destillabat, donec limpidissimum evaderet.

Qualibet cum cura servetur, et quocumque modo paratum fuerit hoc Oleum, nunquamnon temporis lapsu colore inficitur flavo primum, dein fusco, demumque nigro. Quod citrei tantum coloris est bonae adhucdum notae haberi potest; saturatius et nigrum si fuerit, indiget iterum destillando fieri purius, ut in medicos usus recipi queat.

Nota. Si Oleum hoc aquae destillatae commixtum concutiatur aliquamdiu, ac deinde aqua ab Oleo supernatante limpida separetur, ea tenebit solutum intime Olei aliquantulum, quod Ammonia mediante ipsi inhaerebit: ratioque hujus saponuli ammoniacalis ad aquam talis erit, ut guttae duodecim (scilicet *grana sex* aut *decigrammata tria*) in 32 grammatibus, sive uncia una aquae solutae habeantur.

PURGATIO SALIS VOLATILIS CONCRETI.

(*Subcarbonas Ammoniae oleosus concretus.*)

℞. Salis volatilis concreti de cornu Cervi. . . . . *quantum opus est.*

Sublimetur ope cucurbitae vitreae humilioris, cui capitulum aptetur capacius; aut si malueris, retorta ad hoc opus habeatur latioris colli, quae in vas adjectum longius (*allonge*) pateat, desinatque in aliud quodcumque excipulum.

Supra arenae balneum opus perfici debet, ignis admodum modica vi.

Quo peracto, citissime sal detrahendus est a parietibus quibus adhaesit, et laguncülis illico includendus probe obturatis in obscuro loco reponendis.

Hic sal scilicet temporis lapsu flavescit, at ubi saturatior color evaserit, novata sublimatione, purior habendus est.

Omnes fere ex animalibus desumptae materiae, eodem artificio quo Cervinum cornu destillatae, similiter in volatilem spiritum, Oleum et Salem solvuntur; quae singulatim, iteratis destillatione et sublimatione, aeque purganda sunt, antequam ea in medicos usus vocare liceat.

OS DICTUM CERVI CORNU, PRAEPARATUM.

℞. Cornu Cervi in frusta divisi. *quantum opus est.*

Disponatur supra cratem ferream furni foco impositam, suppositoque igne comburantur frusta donec et facile friabilia sint, et penitus albescant; frigefacta conterantur in mortario ferreo, pulvisque per densius incerniculum transmittatur; idemque, supra porphyritem cum aquae quantum sufficit levigatus, in trochiscos informetur.

Ossa ex animalibus quaelibet similiter praeparari

possunt. Potest etiam eadem arte et exuri, et levigari, et informari quod in retorta superest post destillationes tum ipsius cornu Cervi, tum quorumvis ossium.

In crucibulo quoque exuri possunt haec ossa tum Cervi, tum aliorum. Sic et albicant melius et sunt friabilia magis, et nullas prorsus (quod, ubi intra carbones uruntur, contingit aliquoties) particulas vitrea duritie mixtas continebunt.

SECTIO QUINTA.

Solutiones Medicamentorum variis liquidis paratae.

AQUA, VINO, CEREVISIA, ACETO, OLEIS, ALCOOLE, AETHERE, VARIIS LIQUIDIS CUM SACCHARO AUT MELLE.

I°. SOLUTIONES AQUA PARATAE.

POTUS, MIXTURAE, JURA.

Cum solutiones omnes, quae parantur aqua mediante, ex tempore fieri debeant, et varie praescribi atque concinnari, pro medici judicio et rerum necessitate; quaedam hic tantum in medium attulimus exempla ex maxime vulgaribus desumpta, non quae medicis proponeremus, sed ex quibus notae fierent praecipuae a Pharmacopoeis in conficiendo hoc medicamentorum genere observandae cautelae. Praeterea, in his omnibus, ne quis, praecipue in purgantium usu, subiret error, utile censuimus mensuras in venalibus usitatas numeris generalibus apponere; quod in officinalibus plerisque, quae, prout raro frequenterve singula requiruntur, varia quantitate parantur et asservantur, supervacaneum omnino fore duximus.

I. POTUS, SEU SOLUTIONES MACERANDO, INFUNDENDO AUT DECOQUENDO PARANDAE;

PTISANAE, APOZEMATA, HAUSTUS.

PTISANAE SEU POTUS MEDICATI LEVIORES ET SIMPLICIORES PRO POTU COMMUNI.

Ptisanarum nomine insigniuntur potus, qui parca admodum medicamentorum solutorum quantitate valent; et sic fortiori medicinae, aut praepoti expeditiorem viam facere apti sunt, aut intermixti, solvendi vi qua pollent, fiunt actionis adjumentum. Leves illi et quam minimum injucundi parari debent, ut eum saepius uti debeant aegri, ab iis minus abhorreant; saccharo etiam aut melle aut syrupis, prout vel requirit res, vel expetit aeger, gratiores effici solent. Fiunt autem plerumque aut infundendo, aut decoquendo *Ptisanae*. Saepe ad excipienda valentiora medicamenta inserviunt. Puriores ut fiant, percolari possunt; quae cura non inutilis quidem, at certe minime ut plurimum necessaria habenda est.

Exemplo sint sequentia:

1. PTISANA DE RADICE GRAMINIS,
(*Cynodon Dactylum.*)

℞ Radicis Graminis electae et mundatae, unciam unam, seu. 32

Bulliat primum paulisper in aquae quantitate sufficienti, quae abjiciatur ut inutilis et acrior; quo facto, contusa radix denuo bulliat in aquae communis libris duabus et unciis octo, seu. 1,250

Ut supersint circiter librae duae, seu. . 1,000
Sub finem adde Glycyrrhizae rasae et contusae drachmas duas, seu 8
Quo facto, vas ab igne remove, decoctum refrigeratum cola, et erit Ptisana.

2. DECOCTUM HORDEI.

(*Hordeum distichum.*)

℞. Hordei cortice mundati, leviter linteo asperiore confricti et aqua primum eloti unciam semis, seu. 16
Coque in aquae communis libris duabus et unciis octo, seu 1,250
Donec hordeum intumescat penitusque mollescat, ut supersint circiter, librae duae seu 1,000
Dein cola et adde syrupi Althaeae vel Adianti unciam unam, seu 32
Et erit Ptisana.

N. B. Hordeum saepe ad gargarismata decoquitur integrum, non abjecto cortice, et tunc sapore subacri et aliquantulum astringenti pollet, quo carere debet Ptisana.

Simili modo paratur:

Ptisana de Oriza.

3. PTISANA DE FLORIBUS BECHICIS.

℞. Specierum ex floribus Bechicis (*V.* Species). drachmas duas, seu. 8
Super affunde aquae communis bullientis libras duas, seu. 1,000
Infundantur per quadrantem horae; dein cola, et colaturae adde
Syrupi de Althaea aut Adianto unciam unam, seu. 32
Et erit Ptisana.

Simili modo parantur Ptisanae de floribus:

Sambuci (*Sambucus nigra*);
Tiliae (*Tilia Europaea*);
Chamaemeli (*Anthemis nobilis*), etc.

4. PTISANA DE FRUCTIBUS.

℞. Fructuum dictorum vulgo *Pectoralium* (V. *Species*) uncias duas, seu 64
Coque per quadrantem horae in aquae communis sufficienti quantitate ut supersint librae duae, seu. 1,000
Dein cola et adde, si lubet, syrupi de Althaea unciam semis, seu. 16
Et erit Ptisana.

5. PTISANA DE FOLIIS CICHORII.
(*Cichorium intybus.*)

℞. Foliorum mundatorum Cichorii virentis unciam unam, seu. 32
Infundantur in aquae bullientis libris duabus, seu. 1,000
Dein cola et adde, si lubet, syrupi de Adianto aut Mellis purissimi unciam unam, seu 32
Et erit Ptisana.

Simili modo parantur Ptisanae cum foliis

Borraginis (*Borrago officinalis*);
Buglossi (*Anchusa officinalis*);
Chamaedryos (*Teucrium Chamaedrys*);
Radicibus Inulae (*Inula Helenium*), etc.

6. DECOCTUM TAMARINDORUM.

(*Tamarindus indica.*)

℞. Tamarindorum in particulas concisorum unciam unam aut duas, seu . . . . . . 32—64

Bulliant per semiquadrantem horae in vase fictili vel argenteo in aquae libris duabus, seu 1,000

Dein cola sine expressione;

Adde syrupi de Adianto unciam unam, seu 32

7. DECOCTUM CASSIAE.

(*Cassia fistula.*)

℞. Pulpae interioris de leguminibus Cassiae uncias duas, seu. 64

Bulliant per aliquot horae minuta in aquae libris duabus, seu. 1,000

Cola sine expressione et adde

Syrupi violarum unciam unam, seu. . . 32

Vel, si praestare videbitur,

Mannae purissimae uncias duas, seu . . 64

8. HYDROMEL SIMPLEX.

℞. Mellis albi purissimi uncias duas, seu. . 64

Solve in aquae communis tepidae libris duabus, seu 1,000

Et erit Hydromel.

APOZEMATA SEU *POTUS MEDICATI SATURATIORES* AUT *MAGIS COMPOSITI, HORIS MEDICIS PROPINANDI.*

In hoc *Apozemata a Ptisanis* discrepant quod et pro majori medicamentorum quantitate saturatiora evadant, et aegris nunquam pro potu communi exhiberi debeant.

Quanta copia ebibenda sint et quibus horis, accurate a Medico praescribi convenit, neque minus sollicite, pro re nata, singulorum ex quibus confici debent mensura et modus determinanda sunt.

Exemplo tantum sint sequentia;

1. DECOCTUM DE PANIS MEDULLA SEU *DECOCTUM ALBUM* (a).

℞. Cornu Cervi ad albedinem usti et maxime friabilis, supra porphyritem levigati drachmas duas, seu.	8
Medullae panis triticei drachmas tres, seu	24
Sacchari albi purissimi unciam unam, seu	32
Misce simul diu contundendo in mortario marmoreo, dein coque per semiquadrantem horae in aquae communis libris duabus, seu	1,000
Cola decoctum adhuc fervidum per cilicinum rarius (*étamine peu serrée*), cum levi expressione et adde aquae Naphe unciam semis, seu.	16
Vel si lubet aquae Cinnamomi, drachmas duas, seu	8

Potus iste ita saepe propinandus est, ut inter potandum turbidius albescat.

2. DECOCTUM AMARUM.

℞. Radicis Gentianae (*Gentiana lutea*) in taleolas sectae drachmam unam, seu . .	4

(a) Ponderibus tantum aliquatenus mutatis, hoc decoctum quale a *Sydenham* praescribi solebat, codicibus vulgo inseritur. At pars interior, molliorque panis seu medulla, quam *Micam* dicere solent, quantum varia sit, pro varia ratione et cura qua panis ipse conficitur, nemo nescit. Unde apud multos usitatum est ut Gummi Arabicum in ipsius locum sufficiatur.

Aquae communis libras duas et semis, seu 1,250
Bulliant simul per semiquadrantem horae; tum adde
Specierum amararum drachmas duas, seu 8
Infundantur per duas horas, dein cola sine expressione.

3. APOZEMA DICTUM *DE QUINQUE RADICIBUS.*

℞. Radicum recentium et minutim incisarum
Rusci (*Ruscus aculeatus*) semi unciam, seu 16
Asparagi (*Asparagus officinalis*) semi unciam, seu. 16
Eryngii (*Eryngium campestre*) semi unciam, seu. 16
Bulliant per quadrantem horae in aquae communis libris duabus, seu. 1,000
Sub finem adde
Radicis Petroselini (*Apium Petroselinum*) drachmas duas, seu 8
Radicis Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmas duas, seu. 8
Removeantur ab igne et infundantur per aliquot horae minuta.
Tunc cola et adde
Syrupi de quinque Radicibus unciam unam, seu. 32
Nitratis Potassae grana viginti, vel 1

4. APOZEMA DE COCHLEARIA ARMORACIA COMPOSITUM.

℞. Radicum Bardanae (*Arctium lappa*) unciam unam, seu. 32
Lapathi seu Patientiae (*Rumex Patientia*) unciam unam, seu 32
In vase faventino bulliant per quadrantem horae in aquae communis libris quatuor, seu 2,000

Macerentur per duodecim horas identidem agitando in aquae communis libris quatuor, seu 2,000
Dein bulliant omnia donec supersint librae tres, seu 1,500
Sub finem infunde per semihoram
Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia senna*) drachmas duas, seu 8
Rhei contusi (*Rheum palmatum*) drachmam unam, seu. 4
Rasurae ligni Sassafras (*Laurus Sassafras*) drachmas duas, seu 8
Glycyrrhizae rasae (*Liquiritia officinalis*) drachmas duas, seu 8
Seminum Coriandri (*Coriandrum sativum*) drachmam unam, seu 4
Cola cum levi expressione et colatura refrigerata, faece deposita, decapuletur liquor.

9. APOZEMA LAXANS.

℞. Foliorum virentium
Borraginis (*Borrago officinalis*) unciam unam, seu 32
Buglossi (*Anchusa officinalis*) unciam unam, seu. 32
Cichorii (*Cichorium intybus*) unciam unam, seu 32
Infunde per quadrantem horae in aquae bullientis libris duabus, seu 1,000
Dein cola, et colaturae adde
Sulfatis Sodae drachmas duas, seu . . 8
Syrupi Violarum unciam unam, seu . 32
Et erit Apozema laxans.

10. APOZEMA PURGANS.

℞. Foliorum virentium
Borraginis (*Borrago officinalis*) unciam unam, seu 32
Buglossi (*Anchusa officinalis*) unciam unam, seu. 32
Cichorii (*Cichorium intybus*) unciam unam, seu 32
Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*) drachmas duas, seu. 8
Sulfatis Sodae unciam semis, seu . . 16
Infundantur per semihoram in aquae bullientis libris duabus, seu 1,000
Cola et adde
Syrupi de Senna, vulgo *de Pomis* compositi, unciam unam, seu 32
Et erit Apozema purgans.

11. POTUS PURGANS VULGO *TISANE ROYALE.*

℞. Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*) unciam semis, seu 16
Sulfatis Sodae unciam semis, seu . . 16
Seminum Anisi (*Pimpinella Anisum*) drachmam unam, seu 4
Seminum Coriandri (*Coriandrum sativum*) drachmam unam, seu 4
Foliorum concisorum Caerefolii (*Chaerophyllum sativum*) unciam semis, seu . 16
Poterii sanguisorbae unciam semis, seu 16
Aquae communis frigidae libras duas, seu 1,000
Citreum taleolatim sectum . . . n°1
Macera per viginti horas identidem agitando, dein cola cum levi expressione et per chartam bibulam trajice.

Decocto ab igne remoto adde

Radicis Cochleariae armoraciae minutim concisae unciam unam, seu 32

Foliorum Cochleariae rotundifoliae unciam unam, seu 32

Sisymbrii Nasturtii unciam unam, seu. . 32

Menyanthis trifoliatae unciam unam, seu 32

Vas accurate obturetur et seponatur, donec liquor prorsus refriguerit.

Tunc cola.

5. DECOCTUM KINAE KINAE SIMPLEX.

(Cinchona Condaminea.)

℞. Corticis Kinae Kinae officinalis electi et contusi unciam unam, seu 32

Bulliant per aliquot horae minuta, vase cooperto, in aquae communis libris duabus, seu 1,000

Sub finem adde

Muriatis Ammoniae grana viginti, seu . 1

Vel Carbonatis Potassae drachmam semis, seu 2

Dein cola cum expressione.

Adde, si libuerit

Syrupi de Kina Kina unciam semis, seu 16

N. B. Addito Carbonate Potassae decoctum limpidius efficitur: scilicet hujus ope penitus solvitur resina Kinae Kinae, qua tantummodo suspensa decoctum turbidum maneret.

6. DECOCTUM KINAE KINAE COMPOSITUM ET LAXANS.

℞. Corticis Kinae Kinae electi et contusi unciam, seu 32

Bulliant per quadrantem horae in aquae communis libris duabus, seu 1,000

Remotis ab igne infundantur per semihoram
Leguminum seu folliculorum Sennae drachmae duae, seu 8
Sulfatis Sodae drachmae duae, seu 8
Muriatis Ammoniae grana viginti, seu. . . 1
Cola cum expressione et colaturae adde
Syrupi de Senna, vulgo *de Pomis* compositi, unciam unam, seu 32

7. DECOCTUM DE GUAYACO COMPOSITUM.

℞. Ligni Guayaci in scobem redacti (*Guaiacum officinale*) unciam unam et semis, seu 48
Radicis Sarsaeparillae (*Smilax Sarsaparilla*) minutim sectae unciam unam et semis, seu 48
Infundantur in vase clauso per duodecim horas in aquae communis tepidae libris quatuor, seu 2,000
Dein bulliant donec supersint librae tres, seu 1,500
Sub finem adde . . . .
Rasurae ligni Sassafras (*Laurus Sassafras*) drachmas duas, seu 8
Glycyrrhizae rasae (*Liquiritia officinalis*) unciam semis, seu 16
Infunde per semihoram et cola.

8. DECOCTUM DE GUAYACO COMPOSITUM ET PURGANS.

℞. Rasurae ligni Guayaci (*Guaiacum officin.*) unciam unam, seu 32
Radicis Sarsaeparillae (*Smilax Sarsaparilla*) unciam unam, seu 32
Carbonatis Potassae, grana viginti quinque, vel 1,25

HAUSTUS, seu POTIONES. UNO HAUSTU UT PLURIMUM SORBENDI.

HAUSTUS PURGANTES.

Potus isti, pro aetate, sexu, temperamentis aut aegrotantium statu, varie praescribuntur.

Saepius poculum implent unicum; aliquoties in duo triave dividuntur.

Cavendum ne spissior fiat epotandus liquor.

Parantur hi potus praecipue decoquendo, infundendo, macerando.

Quas hic proponimus formulas medicaminibus constant, quorum pondera augeri aut minui queunt pro re nata, officinales quippe non sunt.

1. HAUSTUS PURGANS COMMUNIS DECOCTIONE PARANDUS.

℞. Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*) drachmas duas, vel	8
Sulfatis Sodae drachmas duas, vel . .	8
Rhei electi (*Rheum palmatum*) drachmam semis, vel.	2
Mannae unciam unam et semis, vel .	48
Bulliant per aliquot horae minuta et Senna et Rheum in aquae sufficienti quantitate, ut supersint unciae quinque, vel .	160

Tunc ab igne remotis addantur Sulfas et Manna.
Solutis iisdem coletur liquor cum levi expressione.
Addi subinde potest aqua stillatitia de floribus Citri Aurantii, vel de Mentha piperita, vel de Cinnamomo.

2. HAUSTUS PURGANS INFUNDENDO PARANDUS.

℞. Eadem quae supra;
Affunde bullientis aquae uncias quinque, vel. 160
Infundantur per horas octo identidem agitando.
Coletur liquor.

3. HAUSTUS PURGANS MACERATIONE PARANDUS.

℞. Eadem quae supra;
Affunde frigidam in qua macerentur per duodecim horas motando saepius.
Deinde coletur liquor.

4. HAUSTUS PURGANS ELIQUANDUS.

Cum eliquatione vis purgans medicamentorum plerorumque non mediocriter infringatur, pondus singulorum pro ratione augendum est.

Sit exemplo formula sequens:

℞. Foliorum Sennae (*Cassia Senna*), aut leguminum quae dicuntur folliculi, drachmas tres, vel 12
Sulfatis Sodae drachmas tres, vel . . 12
Rhabarbari (*Rheum palmatum*) drachmam unam, vel 4
Mannae uncias duas et semis, vel. . . 80
Omnia fiant ut dictum superius est, in potu decoctione parando; ita tamen ut major paulo aquae quantitas adhibeatur, ebulliendo et eliquando absumenda.

Colato liquori admisceatur albumen ovi unius, in aquae quantitate sufficienti agitando subactum; bulliant simul commixta per horae minutum unum et alterum; bullire incipientibus adde

Succi Citrei drachmas duas, vel . . . 8

Tum vas ab igne remove; et per cilicinum densius (*étamine serrée*) aut chartam bibulam trajice.

Addi etiamnum possunt, ut praecedentibus, condiendi gratia, aquae stillatitiae odoratae variae.

5. POTIO EMETICA ANTIMONIATA.

℞. Tartratis Potassae Stibiati grana tria, vel 0 ,15
Aquae stillatitiae simplicis uncias novem, vel. . . . . 288 ,00

Misce ut tripartito sumatur, interposito circiter horae quadrante.

6. POTIO EMETICA CUM IPECACUANHA.

℞. Ipecacuanhae (*Cephaelis Emetica*) in pulverem tritae grana viginti quatuor, vel . . 1 ,2
Syrupi de Adianto unciam unam, vel . 32 ,0
Aquae communis uncias novem, vel . . 288 ,0

Soluto in aqua syrupo, haec potio tripartito sumatur, horae quadrante circiter interposito, et singula vice Ipecacuanhae pars tertia poculo admisceatur.

II. MIXTURAE, SEU SOLUTIONES PARATAE EX PLURIBUS MEDICAMENTIS DILUENDO AUT MISCENDO, NON ADHIBITIS MACERATIONE, INFUSIONE AUT DECOCTIONE.

EMULSIONES, POTIONES, ET ECLEGMATA.

EMULSIONES, SEU LIQUORES UT PLURIMUM E CONTUSIS SEMINIBUS OLEO FETIS AQUA MEDIANTE EXPRESSI.

Emulsionum vulgari nomine designantur qui ex contritis quibusdam seminibus, aqua mediante, eliciuntur liquidi potus, lacti ut plurimum concolores, mucosis et oleosis partibus commixtis atque una solutis suspensisque constantes; isti, utpote facile, partibus dissociatis et muco acescente, corrumpuntur, ex tempore et ut praescribuntur parandi sunt.

Unico exemplo parandi modus innotescet.

1. EMULSIO SIVE *LAC* DICTUM *AMYGDALINUM.*

℞. Amygdalas dulces decorticatas, n° 24, aequantes unciam unam, vel 32
Sacchari albi unciam unam, vel. 32
Contunde diu in mortario marmoreo, identidem instillando pauxillum aquae, ut partibus subtillissime attritis fiat massa mollior, quae dein diluetur in

Aquae communis ad gradum 40 Reaumur tepentis libra una, vel 500

Cola cum expressione et adde

Aquae Naphe semunciam, vel 16

Simili modo parantur Emulsiones

De seminibus dictis *Frigidis*;

Nucleis Pini (*Pinus pinea*);

Pistaciae (*Pistacia trifolia*);

Observandum tamen est, in plerisque, in quibus mucus facilius aqua solvitur, frigidam melius ut plurimum adhiberi.

Ipsis quoque emulsionibus varia medicamina admisceri possunt, ut inde fiant potus varie medicati.

2. EMULSIO PURGANS CUM JALAPPAE RESINA.

℞. Jalappa Resinae grana duodecim, vel . 0,6

Sacchari albi drachmas duas, vel . . . 8,0

Tere diu in mortario marmoreo, pistillo ligneo; dein adde sensim ovi semi-vitellum.

Terendo perge diu, intereaque paulatim addantur emulsionis simplicis unciae quinque, vel 160,0

Tandem admisce

Aquae Naphe drachmas duas, vel . . . 8,0

Purgantium pondera pro aegri aetate augenda aut minuenda sunt.

3. EMULSIO PURGANS CUM SCAMMONIO.

Fiat ut supra, sufficiendo resinam Scammonii in resinae Jalappae locum.

N. B. Proderit saepe has resinas in alcoole cum

duplo sapone amygdalino solutas, dein vaporando in extracti densitatem inspissatas, triplicato pondere, adhibuisse.

4. EMULSIO PURGANS CUM OLEO RICINI.

℞. Olei de semininibus Ricini recentibus unciam unam, vel	32
Ovi Vitellum.	semis.
Aquae communis uncias duas, vel . . .	64
Aquae Naphe unciam semis, vel . . .	16
Syrupi simplicis unciam semis, vel . . .	16

Terantur simul vitellum et oleum, interea Syrupus admisceatur, demumque omnia diluantur intime mixta, ut fiat potio.

N. B. Potest in locum Syrupi simplicis suffici vel Syrupus de Althaea, vel Syrupus de Adianto, aut de floribus Aurantiorum: potest etiam, pro aegri varia aetate, olei quantitas major aut minor admitti; aut potius, si libuerit, augeri vis purgans, admixto aliquo de Syrupis purgantibus.

POTIONES

PLERUMQUE COCHLEATIM SUMENDAE, NON PURGANTES.

Potiones maxime, ut *Magistralia* omnia, pro aegrorum et morborum conditione varia, varie praescribuntur: sunt tamen quae frequentius apud Medicos usurpantur, quas hic adducimus, ut Pharmacopoeis ad concinnandas similes exemplo esse possint.

Nihilominus hoc monendum praesertim censuimus, nec numerosiora in potionibus admittenda

esse medicamenta, et multum interesse in iis praeparandis quaenam sit natura miscendorum et quibus ratione atque ordine inter se misceantur.

1. POTIO EX AROMATICIS, *CARDIACA* DICTA, SEU AD VIRES EXCITANDAS.

℞. Syrupi de floribus Dianthi Caryophylli unciam unam, vel 32
Alcoolati de Cinnamomo unciam semis, vel, ... 16
Confectionis Croci drachmas duas, vel . 8
Misceantur accurate in mortario.
Dein adde
Aquae Menthae piperitae uncias tres, vel 96
Aquae Naphe uncias tres, vel . . . 96
Misce.

2. POTIO EFFERVESCENS, *ANTI-EMETICA* DICTA *RIVERII*,

℞. Syrupi de Limonibus unciam unam, vel 32
Succi Citrei recentis unciam semis, vel 16
Aquae communis uncias tres, vel. . . 96
Carbonatis Potassae drachmam semis, vel 2
Misce in phiala probe illico obturanda.

N. B. Profuit saepe tantummodo Carbonatem aut Potassae aut Sodae potioni primum adjecisse; hac dein epota, subinde ingeritur illico Citrei succus; quo facto, in ipso ventriculo effervescit Carbonas;

Tunc Potio hocce modo praescribi potest.

℞. Aquae communis uncias duas, vel . 64
Aquae Menthae piperitae unciam unam, vel 32

Crystallorum Carbonatis Sodae drachmam semis, vel 2

Syrupi de cortice Citrei unciam semis, vel 16

Misce.

Quae potio dimidiatim sorbetur, et singula vice superingeruntur.

Succi Citrei drachmae duae, vel Cochleare minus, aut 8

N. B. Potest etiam, eodem cum successu, in quibusdam casibus, Magnesiae Carbonas utiliter sufficí in Carbonatis Sodae aut Potassae locum.

3. POTIO AETHEREA, *ANTISPASMODICA* DICTA.

℞. Syrupi de floribus Nymphaeae unciam unam, vel 32

Aquae stillatitiae de floribus Tiliae uncias duas, vel 64

Aquae Naphe uncias duas, vel 64

Aetheris Sulfurici drachmam unam, vel . 4

Misce in phiala probe obturanda.

4. POTIO EX FETIDIS, *ANTI-HYSTERICA* DICTA.

℞. Syrupi de Artemisia compositi unciam unam, vel . . . . 32 ,0

Tincturae vel Castorei vel Asae-Fetidae grana viginti quatuor, vel . . . . 1 ,2

Pistillo agitentur diu ut probe commisceantur;

Dein admisce

Aquae de Valeriana stillatitiae uncias duas, vel . . . . 64 ,0

Aquae Naphe uncias duas, vel	64 ,0
Aetheris Sulfurici drachmam semis, vel .	2 ,0

Misce in phiale proba obturanda.

5. POTIO CAMPHORATA, DICTA *ANTI-SEPTICA*.

℞. Serpentariae Virginianae (*Aristolochia Serpentaria*) drachmas duas, vel . . .	8 ,0
Per quadrantem horae infundantur in	
Aquae bullientis unciis quatuor, vel . .	128 ,0
Tum seorsim misceantur sequentia;	
Syrupi de Kinakina uncia una, vel . .	32 ,0
Tincturae Kinaekinae Alcoolicae drachmae duae, vel	8 ,0
Camphorae grana duodecim, vel . . .	0 ,6
Subigantur diu in mortario vitreo;	
Dein adde	
Acetatis Ammoniae liquidi unciam unam, vel	32 ,0

Ac demum cum infuso Serpentariae refrigerato commisceantur.

6. POTIO SCILLITICA ACIDULA, DICTA *DIURETICA*.

℞. Oxymellis Scillitici unciam semis, vel	16
Aquae stillatitiae de Parietaria officinali uncias quatuor, vel	128
Aquae stillatitiae de Mentha piperita unciam unam, vel	32
Acidi Nitrici alcoolisati destillando parati drachmam semis, vel	2

Misce in phiala probe obturanda.

7. POTIO EX GUMMI AMMONIACO ET SCILLA, DICTA *INCISIVA*, SEU *AD MUCUM PULMONALEM LIBERIUS CIENDUM.*

℞. Foliorum Hyssopi officinalis drachmam unam, vel . . . . 4 ,0
Infundantur in aquae bullientis unciis quatuor, vel . . . . 128 ,0
Interea dum refrigescet infusum, seorsim recipiantur
Oxymellis Scillitici uncia una, vel . . . 32 ,0
Gummi Ammoniaci in pulverem redacti grana duodecim, vel. 0, 6
Haec misceantur diu in mortario vitreo, ac deinde usque terendo solvantur in infuso refrigerato.

. . . .

9. POTIO EX IPECACUANHA COMPOSITA, DICTA *AD PERTUSSIM.*

℞. Ipecacuanhae (*Cephaelis emetica*) leviter contritae drachmam unam, vel . . . 4
Leguminum Sennae (*Cassia Senna*) drachmas duas, vel. 8
Infunde per duodecim horas in
Aquae bullientis unciis sex, vel . . . 192
Cola et colato liquori adde
Oxymellis Scillitici unciam unam, vel . 32
Syrupi de Hyssopo unciam unam, vel . 32
Et erit potio cochleatim sumenda.

10. POTIO ANODYNA DICTA *JULEP.*

℞. Syrupi de Papavere seu Diacodion drachmas duas, vel	8
Aquae Naphe unciam semis, vel . . .	16
Aquae de Lactuca stillatitiae uncias tres, vel	96

Misce.

ECLEGMATA.
LOOK DICTA.

Eclegmata medicamenta dicuntur liquida, sed syrupis ipsis paulo lentius diffluentia.

Cum praecipua pars Eclegmatum constet ex mucaginibus quae parantur ex gummi solutis, ipsorum lentor his auctis augeri, pro re nata, aut detractis iisdem imminui potest.

Saepe Eclegmatibus utuntur Medici ad excipienda alia medicamina, seu liquida ea sint, sive in pulverem attenuata, ut Kermes, Ipecacuanha, etc.

Saepius eadem apud aegros renovanda sunt, quippe quae facile admodum acescere solent; ideoque in frigidiori reponenda sunt loco. In ipsis nunquam, ne syruporum quidem forma, acidi liquores admittendi sunt.

1. LOOK AMYGDALINUM, VULGO *LOOK ALBUM.*

℞. Amygdalas dulces decorticatas duodecim, aequantes unciam semis, vel. . . .	16 ,0
Amygdalas amaras	n° 2
Sacchari albi drachmas quatuor, vel .	16 ,0

Contundantur in mortario marmoreo, pistillo ligneo, sensim affundendo aquae communis uncias quatuor, vel . . . . 128 ,0

Fiat ex arte emulsio;

Tum

℞. Gummi Tragacanthae in pulverem triti grana sedecim, vel . . . . 0 ,8

Olei recentis Amygdalarum dulcium unciam semis, vel. . . . . 16 ,0

Sacchari albi drachmas duas, vel . . . 8 ,0

Misceantur in mortario marmoreo, sensim sine sensu affundendo lac amygdalinum supra dictum; sub finem adde

Aquae Naphe drachmas duas, vel . . . 8 ,0

Et erit Look album.

2. LOOK CUM CROCO ET PISTACIIS, DICTUM *LOOK VIRIDE.*

℞. Syrupi Violarum unciam unam, vel . 32 ,0

Tincturae Croci grana viginti, vel . . 1 ,0

Aquae communis uncias quatuor, vel . 128 ,0

Misce et ex seminum Pistaciae exsiccatorum drachmis sex, vel . . . . 24 ,0

Fiat emulsio.

Tum seorsim

℞. Gummi Tragacanthae in pulverem tenuissimum triti grana sedecim, vel . . 0 ,8

Olei Amygdalarum dulcium unciam semis, vel 16

Quibus mixtis, diuque una contritis, sensim affunde emulsionem supra dictam, si-

mul usque terendo in mortario marmoreo, donec mucaginis spissit udinem consequantur.

Sub finem adde

Aquae Naphe drachmas duas, vel . . . 8 ,0

Et erit Look viridescens.

3. LOOK EX OVO.

℞. Vitellum ex ovo recenti unum, aequantem circiter unciam semis, vel 16

Olei Amygdalarum dulcium unciam unam et semis, vel. 48

Syrupi de Althaea unciam unam, vel . 32

Misce diu in mortario marmoreo pistillo ligneo, dein adde paulatim et per vices

Aquarum stillatitiarum

Naphe unciam unam, vel . . 32

Papaveris Rhoeados uncias duas, vel 74

4. LOOK ABSQUE EMULSIONE PARATUM.

℞. Gummi Tragacanthae in pulverem subtilissimum redacti grana sedecim, vel . . 0 ,8

Aut usque ad triginta duo, vel . . . 1 ,6

Olei Amygdalarum dulcium unciam semis, vel . . . . 16 ,0

Sacchari purissimi unciam unam, vel . 32 ,0

Aquae communis uncias tres, vel . . 96 ,0

Aquae Naphe drachmas duas, vel . . 8 ,0

Misce terendo in mortario marmoreo ut fiat Eclegma.

III. JUSCULA
DECOCTIONE EX ANIMALIUM CARNIBUS PARATA.

1. JUSCULUM VIPERINUM.

℞. Viperam vivam, capite et cauda resectis, pelle nudatam et exenteratam, sanguine, corde et hepate servatis, quae simul pendent circiter uncias quatuor, vel . . . . 128 ,0

Seca in partes, coque in vase clauso, balneo maris, per duas horas in

Aquae communis unciis duodecim, vel 384 ,0

Dein cola.

Eodem modo parantur Juscula

Cum Cancris fluviatilibus;
Pullo Gallinaceo;
Carne Testudinum;
Carne et pulmone Vitulinis;
Lacertis, Ranis, etc.

His Jusculis, pro rei necessitate, variae herbae et radices adduntur.

De Limacibus autem sic parantur Juscula:

2. JUSCULUM DE LIMACIBUS.

℞. Limacum per vineta collectorum, testa nudatorum, n° 20, circiter uncias quatuor, vel . . . . 128 ,0

Quibus adduntur, ut plurimum, Cancri fluviatiles n° 2, aequantes circiter unciam unam, vel . . . . 32 ,0

Aquae libras duas, vel . . . . 1000 ,0

Probe eluantur Cancri Limacesque; contundantur simul in mortario marmoreo, pistillo ligneo, et balnei maris calore per trihorium decoquantur in stannea cucurbita clausa: decoctum, ubi refriguerit, cola.

Si quas addere libuerit herbas, eas simul cum Limacibus in cucurbitam immisisse conveniet.

OBSERVATIO DE SOLUTIONIBUS QUIBUSDAM AQUOSIS NON OBSCURAE VIRTUTIS.

Solutionibus aqua parandis hic annumerandae quoque nobis videntur quaedam materiae, quibus adeo parce aqua inficitur, ut insolubiles vulgo habeantur; ei scilicet, quantulacumque ipsarum portione saturata fuerit, innatant intactae, si leviores fuerint; si graviores, fundum petunt, nec ullo modo superfluo liquori commisceri queunt. Iis tamen, quantumvis parva quantitate solutis, ita medicatur aqua, ut inde non mediocriter in rebus medicis quandoque valeat.

Talia sunt *Aether sulfuricus*, *Oleum animale Dippelii*, *Oleum pyrogenaeum de Pice navali*, ac demum *Camphora* sola aqua omnium minime solubilis, si excipias *Olea volatilia odorata*.

Quae autem singulorum quantitas saturandae aquae debeatur, sicut experimentum docuit, exponere sequentibus non inutile visum est.

Aqua Aetherea Aetheris tenet decimam sui partem, scilicet, vel pro . . 32 ,6 5 ,200

Aqua oleo animali Dippelii medicata, observante D. CHAUSSIER,

olei tenet pro uncia una guttas duodecim, scilicet grana sex, seu pro 32 ,0 0 ,300

Aqua Camphorata Camphorae tenet pro uncia una granum unum, seu pro . . . . . . 32 ,0 0 ,0500

Aqua Picea, seu Pice navali medicata (*Eau de Goudron*), tenet materiae solubilis quartam partem grani unius pro uncia una, seu pro . . . . , . 32 ,0 0 ,0125

Eadem propemodum quantitas ex oleis volatilibus odoratis in aquam cedit, scilicet in aquae uncia una vix grani unius pars quarta solvi valet. Facilius autem aliis solvitur oleum volatile *Valerianae officinalis*, deinde *Cinnamomi*, post haec *Caryophyllorum*, *Citreorum*, *Aurantiorum*, etc.

Solutiones istae modo sequenti parari possunt in usus medicos.

AQUA CAMPHORATA.

℞. Camphorae ab alcoole camphorato, aqua mediante, separatae, grana viginti quatuor, vel . . . . 1 ,2

Lagena excipiantur vitrea unciarum viginti quatuor, seu 750 gram. capaci, cui affundatur

Aquae communis stillatitiae libra una et semis, vel . . . . 750 ,0

Exagitentur simul, donec omnino soluta sit *Camphora*; soluta coletur et servetur in laguncula rite obturanda.

Simili modo et *Aether* et *Olea volatilia odorata*, et *Oleum animale Dippelii* cum aquae sufficienti quantitate exagitari possunt per aliquot dies, ac deinde, ope siphunculi, aqua hac methodo medicata a supernatantibus aetheri vel oleis separari potest, per chartam percolari, et in lagunculis probe obturatis asservari.

Quod autem Camphoram spectat, notandum est, si Gummi, vel Saccharum, vel Acetum aut acidum quodlibet, vel demum Ovi vitellum simul cum ipsa conterantur, tunc eam facile, his mediantibus, aquae commisceri, et in ipsa solutam aut saltem diffusam ac suspensam posse permanere et sic potionibus admisceri, quamvis nullas in iis partes habeat Alcool.

AQUA PICEA.

(*Eau de Goudron.*)

℞. Picis navalis	500
Aquae pluvialis	16,000

Reponantur in vase fictili siliceo, et macerentur per dies octo, identidem exagitando spatula lignea; aquam superfluentem cola per chartam bibulam et serva in lagenis obturatis.

Aqua Picea odorata est, et non nihil acidula. Materiae solutae ratio ad aquam non superat grani unius quartam partem pro uncia una. Aromatis ipsius pondus aestimari nequit. Acidi autem tantula est ratio in aquae uncia una, ut Subcarbonatis Potassae granum semis, Magnesiae autem granum unum ipsi saturando sufficiat. Tunc autem notandum est, si Subcarbonate Potassae utamur, aquam flavescere mediocriter, si Magnesia, intensius eandem rufescere. Saepe nova aquae quantitate remiscenda est aqua haec Picea, ut aegris propinari possit.

2°. SOLUTIONES VINO ET CEREVISIA PARANDAE.

VINA MEDICATA SIMPLICIA; VINA MEDICATA COMPOSITA; CEREVISIAE MEDICATAE.

Vina medicata ea sunt in quibus aut unum, aut plura soluta sunt medicamenta, ex quorum natura et proprietatibus efficacia ipsis additur a communibus Vini virtutibus multum discrepans.

Genuina tantum et sincera Vina, eaque generosiora ut plurimum adhiberi solent, ut medicata fiant. Parca quantitate singulis vicibus paranda sunt; quia scilicet in corruptionem pleraque prona sunt. Lagenae quibus asservantur perfecte obturatae in frigidariis reponendae sunt.

VINA MEDICATA SIMPLICIA.

1. VINUM ABSINTHITES.

℞. Foliorum siccatorum utriusque Absinthii (*Artemisia Absinthium*, *Artemisia Pontica*), aa drachmas sex, vel 42

Affunde vini albi generosi libras quatuor, vel 2,000

Macerentur in *matratio* per viginti-quatuor horas. Cola cum expressione et per chartam trajice.

2. VINUM SCILLITICUM.

℞. Squamarum Scillae siccatarum (*Scilla maritima*) unciam unam, vel 23

Contundantur pistillo ligneo, et macerentur identidem agitando in vase vitreo clauso cum Malacensis vini libra una, vel . 500

Post duodecim dies liquorem cola et per chartam trajice.

Simili modo paratur Vinum

de Bulbis Colchici.

3. VINUM CHALIBEATUM.

℞. Limaturae Ferri purae unciam unam, vel 32

Vini albi generosi libras duas, vel . . 1,000

Macerentur simul in *matratio* per sex dies identidem agitando; dein cola et per chartam trajice.

4. VINUM EMETICUM.

℞. Vini albi generosi libras duas, vel . . 1,000

Tartratis Potassae Stibiati drachmam semis, vel 2

Misce.

N. B. Dosis Tartratis Potassae Stibiati augetur vel minuitur pro Medici arbitrio.

Idem, si videtur, parari potest ex Vino Hispano Malacensi.

5. VINUM DE KINAKINA.

(*Cinchona Condaminea.*)

℞. Corticis Kinaekinae cineritii in pulverem redacti libram semis, vel 250

Conjice in *matratium* et superaffunde Alcoolis (12=22 Bé) libram unam, vel . 500.

Macerentur in Alcoole identidem agitando per viginti quatuor horas.

Addantur deinde

Vini rubri generosi librae sex, vel . . 3,000

Macerentur simul per quatuor dies, agitando saepius de die: ac demum percoletur et per chartam trajiciatur liquor, qui lagenis probe obturatis exceptus, in cella vinaria asservandus est.

Ratio Corticis ad liquida in quibus maceratur erit 1 ad 14.

VINA MEDICATA COMPOSITA.

1. VINUM DE KINAKINA COMPOSITUM.

℞. Corticis Kinaekinae cineritii in pulverem redacti libram semis, vel 250

Ligni Quassiae amarae unciam semis, vel. 16

Corticis Winterani (*Wintera aromatica*) unciam semis, vel 16

Corticum de Aurantiis amaris siccatorum unciam semis, vel. 16

Omnia conjiciantur in *matratium* in quod affundatur,

Alcoolis (12=22 Bé) libra una, vel . . 500

Macerentur identidem agitando per viginti quatuor horas, ac deinde addantur

Vini generosi librae sex, vel 3,000

Caetera, ut superius dictum est de Vino simplici, habeantur.

Ratio corticis Kinae erit eadem quae in praecedenti; ratio autem omnium simul sumptorum ad liquida in quibus macerantur erit paulo minor quam 1 ad 11.

2. VINUM DE OPIO COMPOSITUM, seu *LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAM.*

℞ Opii selecti et in taleolas secti uncias duas, vel	64
Croci sativi unciam unam, vel. . . .	32
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmam unam, vel	4
Pulveris Caryophyllorum aromaticorum drachmam unam, vel.	4
Conjice in *matratium* et super affunde Vini Hispani Malacensis optimi libram unam, vel	500

Macerentur leni calore per quindecim dies, identidem agitando.

Cola cum forti expressione et per chartam trajice.

Ratio Opii integri ad Vinum in quo maceratur est ut 1 ad 8. Ratio partis in Opio solubilis ad praedictam Vini quantitatem erit circiter ut 1 ad 16. . . Ratio aromatum ad partem Opii solutam ut 5 ad 4. Guttae vero viginti hujus Laudani cum aequent pondus granorum quindecim (0 gram. ,75) tenebunt Opii soluti tantummodo granum unum (0 ,05).

3. VINUM OPIATUM FERMENTATIONE PARATUM, dictum *GUTTAE* seu *LAUDANUM ABBATIS ROUSSEAU.*

℞. Mellis albi uncias duodecim, vel. . .	375
Aquae calentis libras tres, vel . . .	1,500
Solutum aqua Mel in *matratium* conjiciatur et reponatur in loco calido; ubi autem fermentescere incipiet, addantur	
Opii selecti unciae quatuor, vel . . .	128
Soluti prius in aquae unciis duodecim, vel	384

Sinito haec simul fermentescere pergant per mensem, in loco qui ad gradum 24 R^r.

(30 *centig.)* tepescat. Liquorem percolatum trajice per chartam; deinde vaporet donec supersint unciae decem, vel 320

Cola iterum et adde Alcoolis (22 = 32 Bé) uncias quatuor, et semis, vel 144

Serva in vase accurate clauso.

N. B. Si Laudanum hoc citius fermentescere cupias, id fiet, si liquori pro fermento addideris spumae Cerevisiae drachmam unam, vel . . 4

In confecto autem liquore, si, non Opii integri, sed extracti tantum rationem habueris, hujusce habebitur extracti ad totum Laudanum ratio ut 1 ad 7 ,25.

Cum autem hujus liquoris, Laudano Sydenham longe viscidioris, guttae viginti pendeant grana 22 (1 gram. ,1), idem guttarum numerus tenebit opii soluti tria (0 ,15), adeoque granum unum respondebit guttis circiter septem.

4. VINUM SOLUTIS EXTRACTIS MEDICATUM, VULGO *ELIXIRIUM VISCERALE HOFFMANNI.* (PH. AMST.)

℞. Corticum Aurantiorum recentium unciam semis, vel 16

Extracti Cardui benedicti (*Centaurea benedicta*) drachmas duas, vel 8

Cascarillae (*Croton Cascarilla*) drachmas duas, vel . . 8

Gentianae Centaurii (*Erythraea Centaurium*) drachmas duas, vel 8

Gentianae Luteae drachmas duas, vel 8

Extracti Myrrhae aquosi drachmas duas, vel 8
Vini Hispani libras duas, vel 1,000

Macerentur in Vino cortices per biduum et exprimantur;

Dein diluantur Extracta, quibus plene solutis coletur liquor.

Extractorum ad Vinum ratio erit ut 1 ad 25.

N. B. Vina similia, solutis aliis extractis, pro re nata variis, eodem modo parari possunt.

5. VINUM AMARUM SCILLITICUM COMPOSITUM IN CHARITATIS NOSOCOMIO USURPATUM, VULGO DICTUM *VINUM DIURETICUM AMARUM.*

℞. Corticis Kinaekinae Cineritii (*Cinchona Condaminea*) uncias duas, vel 64
Winterani (*Wintera aromatica*) uncias duas, vel 64
Citreorum (*Citrus medica*) uncias duas, vel 64
Radicum Asclepiadis (*Asclepias vincetoxicum*) unciam semis, vel 16
Squamarum Scillae (*Scilla maritima*) unciam semis, vel 16
Stipitum Angelicae Bohemicae (*Angelica Archangelica*) unciam semis, vel 16
Foliorum Absinthii (*Artemisia Absinthium*) unciam unam, vel 32
Melissae (*Melissa officinalis*) unciam unam, vel 32
Baccarum Juniperi (*Juniperus communis*) unciam semis, vel 16
Macis (*Myristica aromatica*) unciam semis, vel 16
Vini albi generosi libras octo, vel . . . 4,000

Contundantur Cortices, Radices, Folia atque Macis; succernatur pulvis per incerniculum setaceum laxius; teranturque iterum quae supererunt crassiora, donec omnia transierint. Pulvis succretus totus cum baccis Juniperinis integris conjiciatur in *matratium*. Tunc affundatur Vinum, omniaque macerentur per quatriduum sub modico aëris calore (*grad.* 10. *R.* 12 ,5 *centig.*). Deinde per telam trajiciatur liquor, leviter exprimendo, ac demum per chartam bibulam percoletur: macerandorum autem ratio ad vinum erit paulo supra 1 ad 12.

6. VINUM AROMATICUM.

℞. Specierum aromaticarum (V. *Species*) uncias quatuor, vel . . . . , . 128
Vini rubri libras duas, vel 1,000
Macerentur per sex dies, vase clauso, dein cola cum expressione et per chartam trajice.

7. VINUM ANTI-SCORBUTICUM.

℞. Radicum recentium et minutim concisarum Cochleariae Armoraciae unciam unam, vel 32
Foliorum recentium Cochleariae officinalis unciam semis, vel 16
Nasturtii aquatici unciam semis, vel 16
Menyanthis trifoliatae unciam semis, vel . . 16
Seminum Sinapi non contusorum unciam semis, vel 16
Muriatis Ammoniae drachmas duas, vel . 8
Vini albi generosi libras duas, vel 1,000
Macerentur omnia vase clauso, identidem agitando, per triginta sex horas: dein cola cum levi expressione et per chartam trajice.

Adde Alcoolati de Cochlearia unciam semis, vel 16

Ratio radicum, foliorum et seminum ad Vinum erit circiter, ut 1 ad 10 ,4.

CEREVISIAE MEDICATAE.

Methodo duplici medicatae fiunt Cerevisiae, vel enim medicamenta ipsis adduntur post fermentationem absolutam, vel sub ipsa fermentatione admiscentur.

Prior methodus et facilior et utilior habetur, neque differt a vinis medicatis, nisi natura liquidi medicamentis excipiendis aptati.

Altera apud nos ideo rarius admittitur, quod non facile possit definiri quae supersit post fermentationem peractam et natura et vis solutorum. Exceptis enim quibusdam exoticis aromatibus, quae sub hoc ipso motu aliquatenus evolvuntur atque videntur quodammodo increscere, quod asserunt cum *nuce Moschata* contingere, caeterorum vis adulteratur penitus atque evanescit.

Igitur prioris methodi duo tantummodo exempla afferemus; caetera facile intelligi queunt.

CEREVISIA DE KINAKINA SIMPLEX.

℞. Corticis Kinaekinae Cineritii contusi (*Cinchona Condaminea*) unciam unam, vel . . 32

Cerevisiae optimae libras duas, vel . . 1,000

Maceretur cortex per biduum, identidem agitando; colatus deinde liquor vasis excipiatur probe obturandis.

CEREVISIA ANTI-SCORBUTICA, ALITER ABIETINA COMPOSITA, DICTA *SAPINETTE.*

℞. Foliorum recentium Cochleariae unciam unam, vel 32

Radicis Cochleariae Armoraciae minutim concisae uncias duas, vel 64

Gemmarum Pini Abietis siccatarum unciam unam, vel 32

Cerevisiae recenter paratae libras quatuor vel. 2,000

Conjiciantur herba, gemmae et radix in *matratium*, superaffusa Cerevisia, macerentur per biduum.

Decapuletur liquor; per chartam trajiciatur.

Saepius haec cerevisiae compositio renovanda est, utpote temporis sat brevi lapsu fiet deterior.

III. SOLUTIONES ACETO PARATAE.

ACETA MEDICATA.

Acetorum medicatorum compositio eadem methodo perficitur ac Vinorum, maceratione scilicet: et aceta hac arte parata adhibitis similibus cautelis asservari debent.

ACETA MEDICATA SIMPLICIA.

1. ACETUM ROSATUM.

℞. Rosarum rubrarum exungulatarum et exsiccatarum libram semis, vel 250

Aceti optimi rubri libras octo, vel . . . 4,000

Macerentur per quindecim dies vase clauso, identidem agitando. Dein acetum cola et per chartam trajice.

Simili modo parantur:

Aceta Florum Sambuci nigrae,
Rosmarini officinalis,
Salviae officinalis,
Dianthi Caryophylli (*Tunica* dicti),
Lavandulae Spicae, etc.

2. ACETUM SCILLITICUM.

℞. Squamarum Scillae rubrae siccatarum libram semis, vel 250

Concidantur et ingerantur in lagenam, superaffusis.

Optimi Aceti rubri libris sex, vel. . . . 3,000
Alcoolis (12=22 Bé) uncia una, vel . . 32

Macerentur in vase vitreo clauso, per quindecim dies, identidem agitando; dein cola et per chartam trajice.

3. ACETUM DE FRAMBAESIIS.

℞. Fructuum Rubi-Idaei recentium calice mundatorum libras sex, vel 3,000
Aceti rubri optimi libras quatuor, vel . 2,000

Macerentur per quatuor dies; dein cola sine expressione, et per chartam trajice.

Simili modo parantur:

Aceta de aliis fructibus.

ACETA MEDICATA COMPOSITA.

ACETUM AROMATICUM ALLIATUM SEU *ANTISEPTICUM*, VULGO *DES QUATRE VOLEURS.*

℞. Summitatum siccatarum Absinthii majoris (*Artemisia Absinthium*) uncias duas, vel . . . 64
Minoris (*Artemisia Pontica*) uncias duas, vel 64
Rosmarini officinalis uncias duas, vel . . 64
Salviae officinalis uncias duas, vel. . . . 64
Menthae aquaticae uncias duas; vel. . . 64
Rutae hortensis (*Ruta graveolens*) uncias duas, vel 64
Florum Lavandulae Spicae siccatorum uncias duas, vel 64
Allii (*Allium sativum*) drachmas duas, vel 8
Radicis Acori Calami drachmas duas, vel . 8
Corticis Cinnamomi (*Laurus cinnamomum*) drachmas duas, vel. 8
Caryophyllorum (*Caryophyllus aromaticus*) drachmas duas, vel 8
Nucis moschatae (*Myristica aromatica*) drachmas duas, vel 8
Aceti rubri optimi libras octo, vel . . . 4,000

Macerentur in *matratio* probe obturato per quindecim dies; cola, exprime fortiter, trajice per chartam et adde;

Camphorae in Alcoolis sufficienti quantitate solutae unciam semis, vel 16
Acidi acetici gradus 10° in areometro notantis unciam semis, vel 16

Serva in vase rite obturato.

Ratio macerandorum ad acetum erit paulo infra 1/8.

IV. SOLUTIONES OLEO PARATAE.

OLEA MACERANDO, INFUNDENDO, DECOQUENDO MEDICATA.

Olea quae dicuntur *fixa*, ea scilicet quae expressione eliciuntur, prae ceteris autem Olivum, sola adhibentur ad Olea medicata conficienda

Oleis fixis facile solvuntur odores, colores quidam vegetantium et animalium, virosa vis narcoticorum, Cantharidum acritudo epispastica, quae plerumque oleis tenuibus aut succis resinosis primitus inhaerent; at mucosis quoque solvendis non inepta sunt olea fixa, si bullierint cum materiis muco plenis; ex iis enim lentescunt magis, atque inunctam cutem penitius imbuunt. Cujus solutionis duplex quoque exemplum hic servare utile duximus; unum inter Composita, *oleum* dictum *de mucaginibus*, quod admittitur in emplastro de gummiresinis vulgo dicto *de mucaginibus*, ducto ab ipso oleo nomine; alterum simplex, *de lumbricis* dictum, quod mediante quoque vino praeparatum est, indeque aliqua discutiendi vi forte non carens, apud ipsam plebem maxime usitatum in articulorum doloribus tumoribusque (jure an injuria?), sat saepe a Pharmacopoeis requiritur.

Caeterum, ut olea haec omnia temporis lapsu in corruptionem facile sunt prona, quotannis aut etiam saepius innovari debent, et asservari in vitreis vasis, aut siliceis fictilibus, et in frigidariis collocari. Ubi autem vel minimum rancescere incipiunt, illico rejicienda sunt, et ipsis omnino interdicendum.

OLEA MEDICATA SIMPLICIA.

1. OLEUM ROSATUM.

(*Rosa Gallica vel Damascena.*)

℞. Rosarum pallidarum recentium et contusarum libram unam, vel 500
Olei Olivarum libras quatuor, vel . . . 2,000
Insolentur per tres dies; quibus elapsis Rosas exprimito: novae similiter in eodem oleo insolentur, idque ter repetatur relictis per mensem in Oleo Rosis ultimae infusionis; dein exprime, defaeca et serva ad usum.

N. B. Summa flores omnis erit 1500: Olei autem quantitas 2,000.

Simili modo parari possunt:

Olea cum floribus,
Rosarum rubrarum recentium aut siccatarum,
Lilii candidi recentibus,
Meliloti (*Melilotus officinalis*) siccatis,
Anthemidis nobilis siccatis.

2. OLEUM HYPERICI.

(*Hypericum perforatum.*)

℞. Foliorum Hyperici recentium contusorum libram unam, vel 500
Conjiciantur in Olei Olivarum libras quatuor, vel. 2,000

Per septem dies insolentur, deinde coquantur leviter. Cola, et idem secundo fiat in eodem oleo cum novis floribus. Tertio tandem flores alios pari quantitate, sed exsiccatos, in idem oleum conjice, et sine resideant, vase cooperto, per mensem; deinde cola, exprime et defaeca.

N. B. Florum summa omnis erit 1,500 pro Olei 2,000.

3. OLEUM HYOSCYAMI.

(Hyoscyamus niger.)

℞. Foliorum Hyoscyàmi contusorum libram unam 500
Olei olivarum libras duas, vel 1,000

Digere supra cineres calidos per viginti quatuor horas, cola et exprime: expresso in Oleo par foliorum contusorum quantitas iterum eodem modo maceretur, dein coquatur leviter; colatum, expressum depuratumque oleum usui servetur.

N. B. Summa foliorum erit 1,000 pro Olei pari quantitate.

Simili modo parantur:

Olea cicutae (*Cicuta officinalis*);
Stramonii (*Datura Stramonium*);
Nicotianae (*Nicotiana Tabacum*);
Solani (*Solanum nigrum*);
Rutae (*Ruta graveolens*).

4. OLEUM DE CANTHARIDIBUS.

(Litta vesicatoria.)

℞. Cantharidum in crassiorem pulverem tritarum uncias quatuor, vel 125

Olei Olivarum purissimi libras duas, vel . 1,000

Digerantur per sex horas, balneo maris, in vase vitreo, vel faventino; per linteum trajiciantur, exprimantur; Oleum per chartam bibulam percoletur.

5. OLEUM DE LUMBRICIS MEDIANTE VINO PARATUM.

℞. Lumbricorum terrestrium viventium libras quatuor, vel 2,000

Olei de Olivis recentis libras quatuor, vel 2,000

Vini albi optimae notae libras quatuor, vel 2,000

Lumbrici penitus eluantur, in pelvem cum vino et oleo conjiciantur, et leni igne decoquantur, donec aquosus humor fere omnis absumptus fuerit; cola cum expressione; colatumque oleum, posita faece, decapuletur et asservetur.

Vini quantitatem praeter solitum auximus, ut ab extracto vinoso in oleum cederet, si qua esse potest, vis tonica et discutiens paulo major.

OLEA MEDICATA COMPOSITA.

1. OLEUM DE MUCAGINIBUS.

℞. Seminum contusorum Feni graeci (*Trigonella Fenum graecum*) libra una, vel . . 500

Seminum Lini (*Linum usitatissimum*) libra una, vel 500

Radicum Althaeae (*Althaea officinalis*) libra una, vel 500

Aquae calentis libras decem, vel. . . . 5,000

Digerantur per viginti quatuor horas iden-

tidem agitando; deinde viscidus liquor coletur et fortiter exprimatur; expresso adde

Olei Olivarum libras duas, vel. 1,000

Coquantur ad humoris fere consumptionem. Tunc cola sine expressione. Oleum colatum servetur ad usum.

2. OLEUM DE NARCOTICIS, DICTUM VULGO *BALSAMUM TRANQUILLANS.*

℞. Foliorum Stramonii vulgaris recentium (*Datura Stramonium*) uncias quatuor, vel 125

Solani nigri uncias quatuor, vel . . . 125

Atropae Belladonae uncias quatuor, vel 125

Nicotianae (*Nicotiana Tabacum*) uncias quatuor, vel 125

Hyoscyami nigri uncias quatuor, vel . . 125

Papaveris albi uncias quatuor, vel . . . 125

Minutim concisa conjiciantur

In Olei olivarum libras sex, vel 3,000

Coquantur ad humoris fere consumptionem; dein cola, et in colatum oleum injiciantur florum vel summitatum siccatarum.

Rosmarini (*Rosmarinus officinalis*) uncia una vel 32

Salviae (*Salvia officinalis*) uncia una, vel 32

Rutae (*Ruta graveolens*) uncia una, vel 32

Absinthii utriusque (*Artemisia Absinthium, Artemisia Pontica*) uncia una, vel . 32

Hyssopi (*Hyssopus officinalis*) uncia una, vel 32

Lavandulae (*Lavandula Spica*) uncia una, vel 32

Thymi (*Thymus vulgaris*) uncia una, vel 32

Majoranae (*Origanum Maiorana*) uncia una, vel 32
Tanaceti Balsamitae uncia una, vel . . . 32
Menthae aquaticae uncia una, vel 32
Sambuci (*Sambucus nigra*) uncia una, vel . 32
Hyperici (*Hypericum perforatum*) uncia una, vel 32

Macerentur sub sole per menses aliquot, vase clauso; tunc oleum defaecatum et colatum servetur ad usum.

N. B. Narcoticorum summa erit 750, Aromaticorum vero 384 pro Olei 3,000.

Adeoque priorum ad oleum ratio erit 1/4, posteriorum circiter 1/8.

V. SOLUTIONES ALCOOLE PARATAE. ET TINCTURAE ALCOOLICAE.

Tincturas plerumque vocavere liquores illos quos Pharmacopoei parare norunt Alcoole, in quo, plus minusve protracta digestione, leni calore, solvuntur variae e vegetabilibus animalibusque materiae.

Ut Tincturis conficiendis aptentur medicamenta, sicca sint et in pulverem, particulas, aut minora fragmenta dividantur oportet, et ea copia admittantur ex qua, quantum fieri potest, satur evadat Alcool.

Tincturae sunt simplices aut compositae.

Priores ex unico medicamine, posteriores ex pluribus commixtis conficiuntur. Ubi vero ex pluribus medicamentis paranda est quaelibet Tinctura,

ea arte perfici debet, ut duriora, solutuque difficilia primum, ac deinde ea quae possunt solvi facilius in Alcoolem per vices immergantur.

Accurate obturatis in vasis asservandae sunt.

Notum est, pro varia materierum solvendarum natura, Alcoolem non unius notae adhibendum esse. Si quodcumque est e singulis solubile extrahere esset animus, forsan sua cuique materiei Alcoolis nota deberetur. Verum inde multiplex formularum varietas numerusque cresceret ultra modum.

Igitur tres tantum praescribendas in parandis ad usus medicos Tincturis censuimus Alcoolis notas; scilicet graduum 12, seu 22 *Baumé* primam, alteram 22 = 32 Bé; 26 = 36 Bé tertiam; neque enim medicis in rebus utile credidimus Alcoolem adhibere qui gradus 30 = 40 Bé attingeret. Inter medicamina ad quorum Tincturas unaquaeque Alcoolis nota aptior nobis visa est, quaedam selegimus, quae caeteris praeparandis exemplo esse possunt.

Caloris gradum autem adhibuimus eum qui inter 28um et 30um *Réaumur* (scilicet 35 — 37,5 *Centig.*) subsistit.

Praeterea id curare debent Pharmacopoei in parandis Tincturis, ut habeant primo Alcoolem quam purissimum; deinde, admissa aquae stillatae simplicis sufficienti quantitate, ipsum ad eam notam faciie deducant, quae ad singula aptior videbitur.

Quidam crediderunt Tincturas saturatiores haberi posse, si Alcoolis vis, vel Ammonia, vel Potassa, ut arbitrabantur, incresceret. Verum, experimento facto, compertum habuimus, Ammonia

quidem ad dimidias Alcooli 26=36 B. remixta, ex Guaiaci resina solutae materiae quantitatem, pro Alcoolis ratione, nullatenus majorem fuisse, quam si Alcoole puro resina eadem solveretur; imo rationem solutionis simplicis ad priorem fuisse ut 8 ad 6,57; aequalem autem, si Valerianae radix in utroque Alcoole digereretur. Multo minus increvit vis solvens ex Potassa vulgari seu Subcarbonate Potassae. Ipsius enim Subcarbonatis Potassae in Alcoole soluti perparva ratio ad Alcoolem inventa est, nec superavit $\frac{1}{154}$; et in hoc Alcoole solutio Succini multo parcior fuit quam in Alcoole puro. In puro scilicet Ratio Succini soluti fuit $\frac{1}{52,3}$, in altero $\frac{1}{76,5}$. Quod autem Potassam puram spectat, quae in Alcoole solvitur longe facilius, ita ut ipsius ultra quintam sui partem recipere possit Alcool, nulla adhuc ex hac solutione Tinctura parata est: inde autem enasci debere videtur quoddam saponis genus, in Alcoole necessario solubile.

Cum omnis Tincturarum vis ex materiae solubilis ratione ad Alcoolem omnino pendeat, in simplicibus formulis *numeros generales* tantummodo ascripsimus, quibus superpositis, ipsa haec ratio melius et facillime uno intuitu patet. In compositis vero, ne plurium medicamentorum ratio mutua locum ullum errori faceret, *venalium* quoque *mensuras vulgares* ipsis apposuimus.

I. TINCTURAE ALCOOLICAE SIMPLICES.

TINCTURAE PARANDAE OPE ALCOOLIS CUJUS NOTA ERIT GRADUUM 26 SEU 36. BAUME'.

1. TINCTURA SUCCINI.

℞. Succini flavi in tenuissimum pulverem triti. 50
Alcoolis (26 = 36 Bé) 800

Per sex dies in vase cooperto digerantur, et identidem exagitetur liquor, resideatque praeterea per totidem dies. Coletur et servetur in vase vitreo probe obturato. Tinctura habebitur in qua Succini soluti ratio, experimento facto, fuit ad Alcoolem ut 1 ad 52, 53.

2. TINCTURAE DE RESINIS ET BALSAMIS.

Quamquam Balsamorum in Alcoole solutio multo plenior, et ipsorum ad Alcoolem facile ratio esse possit ut 1 ad 2, praestare tamen censuimus, si haberetur ut 1 ad 4; sic enim facilius potionibus admisceri poterunt istae Tincturae, nullamque solutae materiae jacturam patientur; quod si bene admodum succedere velis, id praecipue observandum est ut syrupo (si quem, ut solent, admittunt potiones medicatae) prius intime commisceatur terendo quaelibet Tinctura; sic enim integra certius sub ipsa mistione permanebit.

Harum autem Tincturarum pondus ita exigi potest, ut viginti guttae haberi possint pro granis decem, seu Q,5.

TINCTURA DE BENZOE ALCOOLICA.

℞. Benzoës in pulverem tritae 200
Alcoolis (26 = 36 Bé) 800

Digerantur per sex dies identidem agitando; resideant aliquandiu et coletur Tinctura.

Eodem modo parabuntur :

Tinctura de Balsamo Tolutano;
de Succis resinosis;
de Resinis liquidis; Terebinthina, Copaiva, Meccana, etc.;
de Resinis Solidis; Resina Jalapae, Guaiaci;
Et aliis tum Resinis,
Tum Balsamis.

N. B. Experimento facto, ratio solutae materiae fuit ad Alcoolem,

Ex Benzoë ut . . . . 1 ad 5 ,14
Balsamo Tolutano ut . . . . . . 1 ad 4 ,88
Resina Guaiaci ut . . . . 1 ad 6 ,70

TINCTURAE PARANDAE OPE ALCOOLIS CUJUS NOTA ERIT 22 SEU 32 BAUMÉ.

1. TINCTURAE EX SUCCIS GUMMO AUT EXTRACTO-RESINOSIS.

TINCTURA DE ALOE.

℞. Aloës dictae Soccotrinae crassius tritae 200
Alcoolis (22 = 32 Bé) 800

Digerantur per triduum; coletur Tinctura et servetur ad usum.

Eodem modo parantur:

Tincturae Scammonii,
Gummi Ammoniaci,
Asae fetidae,
Euphorbii,
Myrrhae.

Nota. Melius et plenius solvuntur in Alcoole 22=32 Bé quam in Alcoole 12=22 Bé; compertum enim est solutae materiae quantitatem in priore esse majorem.

Experimento facto, Tinctura juxta praescriptum modum parata, ratio solutae materiae ad Alcoolem fuit:

Ex Aloë Soccotrina ut	1 ad 4,88
Scammonio ut	1 ad 7
Myrrha ut	1 ad 17
Asa fetida ut	1 ad 8,28

2. TINCTURAE DE MEDICAMENTIS INTEGRIS.

TINCTURA DE CINNAMOMO ALCOOLICA.

(Laurus Cinnamomum.)

℞. Cinnamomi in pulverem triti	200
Alcoolis (22=32 Bé)	800

Digerantur per sex dies, coletur Tinctura et servetur ad usum.

Eodem modo parabuntur Tincturae

de cortice Cascarillae (*Croton Cascarilla*);
de radicibus Ellebori nigri;

de radicibus Dorsteniae Contrayervae;
de foliis Asari (*Asarum Europaeum*);
Digitalis purpureae;
de Caryophyllis aromaticis;
Stigmatibus Croci;
Castoreo;
Moscho;
Ambra.

Nota. Quamvis residua materies omni parte solubili nondum ita exhausta videatur, quin novi Alcoolis ope possit aliquid ipsi detrahi; nihilominus prior Alcool non ideo omnino saturatus habebitur; scilicet ex nova ejusdem medicamenti quantitate novam idem poterit solutae materiae vim recipere et ad majorem efficaciam evehi. Infundendorum tamen rationem ad Alcoolem instituendam esse censuimus ut 1 ad 4. Ea videlicet nobis visa est praestantior, et ex qua, pro corporum, quamvis ejusdem generis atque etiam nominis, varia admodum constitutione, constantior Tincturae vis haberetur.

Atque adeo Alcoolis ope cujus nota fuit 22 = 32 Bé, experimento facto, ratio solutae materiae ad Alcoolem inventa fuit

Ex Cinnamomo ut	1 ad	26	,55
Stigmatibus Croci ut . . .	1 ad	8	,74
Digitali purpurea ut . . .	1 ad	15	,30
Castoreo autem ut. . . .	1 ad	4	,90

Id autem speciatim hic annotandum est, quod et Tincturae Croci in Alcoole hujusce gradus (22 = 32 Bé) paratae color constantior sit, et ex ipsa rubra quaedam materies non aeque sponte subsidat, ac si ex Alcoole debiliori pararetur.

TINCTURAE PARANDAE OPE ALCOOLIS DEBILIORIS CUJUS NOTA ERIT 12 SEU 22 BAUMÉ.

1. TINCTURA DE KINAKINA.

(*Cinchona Condaminea.*)

℞. Corticis Kinaekinae cineritii in pulverem triti	100
Alcoolis (12 = 22 Bé)	400

Digerantur per sex dies, coletur tinctura, et servetur ad usum.

Pari modo parabuntur Tincturae.

De Cortice Kinaekinae rubro (*Cinchona oblongifolia*);

Ligno Guaiaci (*Guaiacum officinale*) dicta *Aqua vitae de Guaiaco*;

Radicibus Jalapae (*Convolvulus Jalapa*);

Ipecacuanhae (*Cephaelis emetica*);

Valerianae sylvestris;

Inulae Helenii;

Gentianae luteae;

Bulbis Scillae (*Scilla maritima*);

Colchici autumnalis;

Foliis Absinthii (*Artemisia Absinthium*);

Fructu Nucis vomicae (*Strychnos nux vomica*); quae sedulo et summa cum cura praedicto modo praecipue praeparanda est.

Materiae solutae ad Alcoolem ratio inventa fuit

Ex foliis Absinthii ut	1 ad 20 ,4
Cortice Kinaekinae cineritio ut	1 ad 25 ,47

Ligno Guaiaci ut	1 ad 22 ,50
Radicibus Jalapae ut	1 ad 43, 40
Ipecacuanhae ut . .	1 ad 30 ,00
Valerianae ut . .	1 ad 28, 34
Gentianae ut	1 ad 16 ,73
Bulbi Scillae ut	1 ad 6 ,65
Fructu Nucis vomicae ut . .	1 ad 36 ,90

Ex his autem omnibus tinctura longe saturatior habetur cum Alcoole debiliori, quam si cum fortiori pararetur.

2. TINCTURA DE CANTHARIDIBUS.

℞. Cantharidum in crassiorem pulverem contusarum . . , ... 100

Alcoolis (12 = 22 Bé) 800

Digerantur per dies quatuor; cola deinde et serva ad usum.

Experimento facto, materiae solutae ad Alcoolem ratio inventa fuit ut . . . . 1 ad 55 ,86

Praestat autem multum, in hacce Tinctura paranda, debilior alcool fortiori: scilicet in illo plenius longe solvitur Cantharidum acris materies.

3. TINCTURA DE EXTRACTO OPII.

℞. Extracti Opii aquosi dicti . . . . . , . . 30

Alcoolis (12 = 22 Bé) 360

Reponantur in vase vitreo probe obturato, donec solutum sit extractum. Absoluta solutione coletur Tinctura et servetur ad usum.

Hac in Tinctura ratio Extracti soluti ad Alcoolem erit $\frac{1}{12}$. Ut autem hujus medicamenti in minima quaeque facilis fiat divisio, hoc praecipue notandum est;

Guttas viginti quatuor aequare grana 12 (0 ,6), adeoque tenere Extracti granum unum (0 ,05).

4. TINCTURA DE CATECHU.

℞. Extracti de Catechu 30
Alcoolis (12=22 Bé) 120

Digerantur per dies quatuor; coletur Tinctura et servetur ad usum.

Ratio Extracti soluti ad Alcoolem erit $\frac{1}{4}$.

5. ALCOOL CAMPHORATUS.

℞. Alcoolis (12=22 Bé) 500
Camphorae 10

Misce, solutaque Camphora, liquorem cola et serva in vase probe obturato.

Ratio Camphorae ad Alcoolem erit $\frac{1}{50}$. [Poterit autem Camphorae ratio tantum augeri quantum opus esse videbitur.

II. *TINCTURAE ALCOOLICAE COMPOSITAE.*

1. TINCTURA ABSINTHII COMPOSITA.

℞. Foliorum siccatorum
Absinthii majoris (*Artemisia Absinthium*) unciam semis, vel 16
minoris (*Artemisia Pontica*) unciam semis, vel 16
Caryophyllorum aromaticorum unciam semis, vel. 16

Sacchari albissimi drachmas duas, vel 8
Alcoolis (22 = 32 Bé) libram semis, vel . . 250
Digerantur per quindecim dies leni calore; colentur.

N. B. Ratio medicamentorum ad Alcoolem erit . . . . 1 ad 5,2

2. TINCTURA BALSAMICA VULGO DICTA *BAUME DU COMMANDEUR DE PERMES.*

℞. Radicis Angelicae Bohemicae (*Angelica Archangelica*) siccae, minutim concisae, unciam semis, vel 16
Florum Hyperici (*Hypericum perforatum*) siccatorum unciam unam, vel 32
Alcoolis (22 = 32 Bé) libram unam et uncias quatuor, vel 1,125
Digerantur simul leni calore, vase clauso, identidem agitando per quindecim dies,
Colato et expresso liquori adde
Myrrhae unciam semis, vel 16
Olibani unciam semis, vel 16
Digerantur ut supra; tum

℞. Styracis calamitae vel Balsami Peruviani uncias tres, vel 96
Benzoës electae uncias tres, vel . . . 96
Aloës Soccotrinae unciam semis, vel . . . 16
Ambrae cineritiae grana sex, vel 0,3
Contrita conjiciantur in Tincturam supra paratam. Insolentur per quadraginta dies, coletur liquor, servetur in vase accurate clauso.

Medicamentorum ratio ad Alcoolem erit circiter $\frac{1}{4}$

3. TINCTURA AROMATICA, VULGO DICTA *EAU DE BONFERME.*

℞. Nucum Moschatarum (*Myristica aromatica*) uncias duas, vel 64
Caryophyllorum aromaticorum uncias duas, vel. 64
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) uncias duas, vel 64
Florum mali Granati (*Punica Granatum*) uncias duas et semis, vel 80
Alcoolis (22=32 Bé) libras duas, vel . . 1,000
Macerentur per quindecim dies;
Cola, exprime, residuaeque materiae affunde
Alcoolis (12=22 Bé) libras duas, vel . . 1,000
Macerentur iterum per quindecim dies;
Cola et exprime.

Commisceatur uterque liquor. Coletur per chartam emporeticam, et erit Tinctura, in qua medicamentorum ratio ad Alcoolem erit ut 1 ad 7 ,3.

4. TINCTURA AROMATICA COMPOSITA USITATISSIMA VULGO DICTA *AQUA VULNERARIA SPIRITUOSA.*

(EAU ROUGE.)

℞. Foliorum recentium
Salviae (*Salvia officinalis*) unciam unam, vel 32
Rosmarini (*Rosmarinus officinalis*) unciam unam, vel . . . 32
Satureiae (*Satureia hortensis*) unciam unam, vel 32
Origani vulgaris unciam unam, vel. 32

Foliorum Origani Majoranae unciam unam, vel 32
Thymi vulgaris unciam unam, vel 32
Thymi Serpilli unciam unam, vel 32
Hyssopi (*Hyssopus officinalis*) unciam unam, vel 32
Melissae officinalis unciam unam, vel 32
Melissae Calamenthae unciam unam, vel 32
Ocymi Basilici unciam unam, vel . 32
Menthae aquaticae unciam unam, vel 32
Feniculi (*Anethum Feniculum*) unciam unam, vel 32
Angelicae (*Angelica Archangelica*) unciam unam, vel 32
Absinthii (*Artemisia Absinthium*) unciam unam, vel 32
Rutae (*Ruta graveolens*) unciam unam, vel 32

Summitatum floridarum
Lavandulae (*Lavandula Spica*) unciam unam, vel 32
Hyperici (*Hypericum perforatum*) unciam unam, vel 32

Alcoolis purissimi (12=22 B^e) libras duas, vel 1,000

Macerentur per octo dies; per linteum trajiciantur et exprimantur; colentur per chartam emporeticam.

N. B. Ratio Aromaticorum ad Alcoolem non erit multum infra 3 ad 5.

Liquoris autem color ab Hyperico pendet.

5. TINCTURA AROMATICA CUM ACIDO SULFURICO, DICTA VULGO *ELIXIRIUM VITRIOLICUM MYNSICHTI.*

℞. Radicum Calami aromatici (*Acorus Calamus*) unciam unam, vel . . . 52
Galangae (*Marantha Galanga*) unciam unam, vel 52
Florum Chamaemeli (*Anthemis nobilis*) unciam semis, vel 16
Foliorum Salviae (*Salvia officinalis*) unciam semis, vel 16
Absinthii (*Artemisia Absinthium*) unciam semis, vel 16
Menthae crispae unciam semis, vel 16
Caryophyllorum aromaticorum drachmas tres, vel 12
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas tres, vel. 12
Cubebarum (*Piper Cubeba*) drachmas tres, vel 12
Nucis Moschatae (*Myristica aromatica*) drachmas tres, vel 12
Zingiberis (*Amomum Zingiber*) drachmas tres, vel 12
Ligni Aloës (*Aloëxylum verum*) drachmam unam, vel 4
Corticum Citri (*Citrus medica*) drachmam unam, vel 4
Sacchari uncias tres, vel 96
Omnia in pulverem crassiorem contusa ingerantur in *matratium*, superaddita Alcoolis (12=22 Bé) libra semis, vel . . 250

Post horas sex addantur
Acidi Sulfurici unciae quatuor, vel . . 125
Iterumque post viginti quatuor horas addatur
Alcoolis (12=Bé) libra una et semis, vel 750
Digerantur omnia per quatuor dies; coletur liquor cum expressione; per chartam bibulam trajiciatur; servetur ad usum.

Ratio aromaticorum erit ad Alcoolem paulo lo infra . . . . 1 ad 5
Ratio acidi sulfurici . . . . 1 ad 8
Ratio sacchari ad totum liquorem paulo supra . . . . 1 ad 12

6. TINCTURA FEBRIFUGA DOCTORIS HUXHAM.

℞. Corticis Kinaekinae rubri (*Cinchona oblongifolia*) uncias duas, vel . . 64
Aurantiorum amarorum (*Citrus Aurantium*) unciam unam et semis, vel 48
Radicis Serpentariae Virginianae (*Aristolochia Serpentaria*) drachmas tres, vel 12
Stigmatum Croci (*Crocus sativus*) drachmam unam, vel 4
Cocci Cacti tinctorii grana quinquaginta, vel . . . . ,5
Alcoolis (22=32 Bé) libras duas, vel . . 1,000

Digerantur per dies quindecim, colentur, trajiciantur per chartam emporeticam.

Ratio medicamentorum ad Alcoolem erit circiter ut 1 ad 7 ,6.

7. TINCTURA GENTIANAE CUM AMMONIA, DICTA IN NOSOCOMIIS *ELIXIRIUM AD SCROFULAS.*

℞. Radicis Gentianae (*Gentiana lutea*) contusae unciam unam, vel 32
Carbonatis Ammoniae drachmas duas, vel 8
Digerantur simul per dies quatuor in Alcoolis (12=22 Bé) libras duabus, vel . . 1,000
Coletur liquor et exprimatur; deinde per chartam trajiciatur. Ratio radicis ad Alcoolem aequabit circiter $\frac{1}{32}$; ratio Carbonatis Ammoniae $\frac{1}{125}$; elixirii autem uncia quaelibet tenebit grana circiter quatuor et semis Carbonatis Ammoniae.

N. B. Si in locum Carbonatis Ammoniae sufficiantur Carbonatis Sodae drachmas tres, vel . . 12 habebitur ELIXIRIUM D^is^ PEYRILHE cujus uncia una tenebit Carbonatis Sodae tantummodo grana septem.

8. TINCTURA KINAEKINAE AETHEREA COMPOSITA, SEU *ELIXIRIUM ANTISEPTICUM D. CHAUSSIER.*

℞. Corticis Kinaekinae cineritii (*Cinchona Condaminea*) uncias duas, vel 64
Cascarillae (*Croton Cascarilla*) unciam semis, vel 16
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas tres, vel 12
Stigmatum Croci (*Crocus sativus*) drachmam semis, vel 2
Sacchari albissimi uncias quatuor et drachmas sex, vel 150
Kina, Cascarilla, Cinnamomo in crassiorem pulverem tritis, concisis Croci stigma-

tibus saccharo in frustula comminuto, omnia in vas sphaericum immittantur, additis

Vini Hispani albi, aut Gallici moschati libra una, vel 500

Alcoolis (16 = 26 Bé) libra una, vel. . . 500

Macerentur per biduum identidem agitando; elutrietur liquor, eique lagena excepto addantur

Aetheris Sulfurici purissimi drachma una et semis, vel 6

Lagena obturetur illico accurate, et per aliquot horae minuta exagitetur. Liquor sic paratus servetur ad usum.

Medicamentorum ratio ad Vinum et Alcoolem erit circiter . . . . 1 ad 10,6

Sacchari circiter . . . . 1 ad 7

Aetheris autem . . . . 1 ad 166

9. TINCTURA PURGANS, VULGO DICTA *AQUA VITAE* (AUT *VITIS*) *GERMANICA*.

℞. Radicis Jalapae electae (*Convolvulus Jalapa*) libram semis, vel 250

Turpethi (*Convolvulus Turpethum*) unciam unam, vel 32

Scammonii Alepensis uncias duas, vel 64

Contusa omnia macerentur in matratio cum

Alcoolis (12 = 32 Bé) libris sex, vel . . 3,000

Post octo dies transfundatur et coletur Tinctura.

Ratio medicamentorum purgantium ad Alcoolem erit circiter . . . . 1 ad 8,5

10. TINCTURA AMARA; DICTA VULGO *ELIXIRIUM DOCTORIS STOUGHTON.*

℞. Summitatum siccatarum Absinthii majoris (*Artemisia Absinthium*) drachmas sex, vel	24
Chamaedryos (*Teucrium Chamaedrys*) drachmas sex, vel.	24
Radicis Gentianae siccae (*Gentiana lutea*) drachmas sex, vel	24
Corticis Aurantiorum amarorum (*Citrus Aurantium*) drachmas sex, vel .	24
Cascarillae (*Croton Cascarilla*) drachmam unam, vel	4
Rhei electi (*Rheum palmatum*) unciam semis, vel	16
Aloës Soccotrinae drachmam unam, vel .	4
Alcoolis (12 = 22 Bé) libras duas, vel .	1,000

Digerantur modico calore per dies quindecim, colentur, et per chartam trajiciantur.

Medicamentorum ratio ad Alcoolem erit	1 ad	8 ,35
Ratio autem Aloës ad caetera	1 ad	50
Ad Alcoolem vero circiter	1 ad	240 ,2

11. TINCTURA DE ALOE COMPOSITA, DICTA VULGO *ELIXIR DE LONGUE VIE.*

℞. Aloës Soccotrinae drachmas novem, vel	36
Radicis Gentianae (*Gentiana lutea*) drachmam unam, vel	4
Stigmatum Croci (*Crocus sativus*) drachmam unam, vel	4

Rhabarbari (*Rheum palmatum*) drachmam unam, vel 4

Agarici albi (*Boletus Laricinus*) drachmam unam, vel 4

Theriacae drachmas duas, vel 8

Aloë, Radices, Agaricus et Stigmata trita digerantur per quindecim dies in

Alcoolis (12=22 Bé) libris duabus, vel 1,000

Cola et residuae materiae affunde iterum Alcoolis (12=22 Bé) libras duas, vel . . 1,000

Adde Sacchari crystallorum unciam unam vel 32

Cinnamomi drachmam unam, vel . . 4

Digerantur adhuc per dies quindecim; liquor prior et alter commisceantur, colentur; serva ad usum.

Ratio medicamentorum ad Alcoolem erit ut . . . . 1 ad 32

Purgantium tantum . . . . . . 1 ad 45 ,3

Aloës solius . . . . 1 ad 55 ,5

IV. SOLUTIONES AETHERE PARATAE SEU *TINCTURAE AETHEREAE*. Exemplo sit:

1. TINCTURA AETHEREA DE DIGITALI PURPUREA.

℞. Foliorum Digitalis purpureae siccatorum et in pulverem contritorum drachmas duas, vel 8

Aetheris sulfurici (46° = 57°) unciam unam, vel 32

Macerentur per biduum in laguncula rite obturata; transfundatur liquor et servetur ad usum.

Eodem modo parantur

Tincturae Aethereae de Arnica (*Arnica montana*),
Cicuta (*Cicuta officinalis*);
de Balsamo Tolutano et aliis Balsamis,
de Asa fetida,
Castoreo,
Moscho,
Ambra; etc.

Ratio materiae solubilis ad Aetherem, experimento facto, ex Digitali purpurea, fuit tantum ut 1 ad 68.

2. TINCTURA AETHEREA ALCOOLICA DE MURIATE FERRI, DICTA *TINCTURA BESTUCHEF*, SIVE *DOCTORIS KLAPROTH*.

℞. Muriatis Ferri sublimati 1
Aetheris Sulfurici Alcoolisati 9

Per octo dies in laguncula vitrea reponantur probe obturanda; identidem exagitentur. Deinde transfundatur liquor et servetur ad usum.

Experimento facto, nulla alia methodo quam praedicta, scilicet, adhibito ad hoc opus Muriate Ferri sublimato, major quantitas Muriatis Ferri Aethere dissolvi potest. (*Vide* Bulletin de Pharmacie, 1810, tom. II, pag. 282.)

Verum id praesertim curandum est ut tinctura haec in minimas lagunculas dividatur, probe obturandas,

et in frigido loco reponendas; praeterea laguneulae ita impleantur, ut in ipsis parce admodum detur aëri locus; alioquin facile protoxydum ferri in peroxydum sive deutoxydum vertitur, et praeceps fundum petit, aut adhaeret parietibus, et liquor ipse fit acidissimus.

3. AETHER PHOSPHORATUS.

℞. Aetheris Sulfurici libram unam, vel . 500 ,0
Phosphori in frustula concisi drachmas duas et semis, vel . . . . 10 ,0

Excipiatur primum Aether laguncula vitrea crystallino obturaculo munita, atque extus glutinata charta nigricante obtecta, deinde injiciatur Phosphorus, jam in Aethere quoque lotus. Agitentur identidem serventurque simul per mensem. Tunc transfundatur Aether, ipsoque impleantur ore tenus minimae lagunculae probe obturatae et charta nigra obtectae. Phosphori autem in Aethere soluti ratio erit $\frac{1}{152}$, superabit scilicet grana tria pro uncia una.

VII. SOLUTIONES AQUA, AUT VINO, AUT ACETO CUM SACCHARO AUT MELLE PARATAE.

SYRUPI, MELLITA, ELAEO-SACCHARA.

1. *SYRUPI.*

Syrupi vocantur medicamenta liquida, saccharo in ipsis soluto in eam densitatem deducta, qua lente admodum diffluant; constant autem vel aqua, vel

solutis, infusis, decoctis variis medicaminibus, vel succis expressis, aut etiam stillatitiis liquoribus.

In Syrupis simplicioribus justae densitatis argumentum est Areometri (Hydrometrum dixerunt Batavi) emersus, in bulliente syrupo ad gradum 30, in refrigerato ad gradum 35. Alia quoque methodo ratio densitatis Syrupi inveniri potest; scilicet, si vas quod aquae 32 gram. capit, capiat syrupi 42. Unde quoque eruitur specifica syrupi gravitas aequans 1321. Neque minus certum indicium est quod ex thermometri observatione eruitur, scilicet bullientis syrupi fervor 84 gr. in Reaumur divisione, 105 in centuplici, 221 in Fahrenheit numeratione obtinet.

Syrupos plerique huc usque Codices distinxere in *purgantes*, seu vacuandae alvo destinatos; et *non purgantes*, quos alio nomine dixere *alterantes*, seu aptos immutandis actionibus; rursusque utriusque seriei syrupos diviserunt in *simplices* et *compositos*, scilicet ex unico medicamine aut pluribus unitis constantes.

1°. SYRUPI SIMPLICES NON PURGANTES *ALTERANTES* DICTI.

1. SYRUPUS SIMPLICISSIMUS, SIVE *AQUA ET SACCHARO CONSTANS.*

℞. Sacchari libras duodecim, vel 6,000
Aquae libras quatuor, vel 2,000

Conjice in caldarium igni impositum, ut solvatur sensim Saccharum identidem agi-

tando; sumatur simul albumen unius ovi quod subigatur diluaturque in aquae libris quatuor, vel 2,000

Ubi concitato igne intumescet liquor, ipsum compesce desuper affundendo aliquantum aquae albumini mixtae; mox detumescentis spumam exime, et sic deinceps, repetitis vicibus, omnis affundatur aqua, donec penitus albicantes spumae omnes exemtae sint. Tunc liquori ferventi injiciatur aquae simplicis Cochlear unum, nullisque superstitibus spumis, percoctus Syrupus, per pannum, dum fervet adhuc, trajectus, pellucidus purusque habebitur et servabitur in usus.

N. B. Fiet extemporalis idem Syrupus, si Sacchari purissimi et albissimi partes duae, aquae parte una sub ipso tepidarii calore dissolvantur.

SYRUPI DE SOLUTIS GUMMI, EXTRACTIS, etc.

2. SYRUPUS DE GUMMI ARABICO.

℞. Gummi Arabici albi mundati et contusi libram unam, vel 500

Aquae communis libram unam, vel. . . 500

Syrupi simplicissimi, libras quatuor, vel 2,000

Gummi ope caloris aqua solvatur; solutioni addatur Syrupus: bulliant per duo aut tria horae minuta; despument, et frigidus demum per pannum trajiciatur Syrupus.

3. SYRUPUS DE OPIO.

℞. Extracti Opii aqua frigida parati drachmas tres et grana sexaginta, vel 15

Aquae uncias duas, vel 64

Syrupi de Sacchari simplicis libras novem cum unciis novem et semis, vel. 4,800

Solvatur in aqua Extractum, addito deinde Syrupo accurate misceatur; bulliant aliquantisper, fervensque Syrupus per pannum trajiciatur.

Serva.

N. B. Syrupus iste, pro singulis unciis, seu pro . . . . 32 ,0

Extracti tenet grana duo, seu . . . . . . 0 ,1

SYRUPI DE AQUIS STILLATITIIS.

4. SYRUPUS DE MENTHA PIPERITA.

℞. Summitatum Menthae piperitae exsiccatarum et mundatarum unciam unam, vel 32

Aquae ejusdem Menthae stillatitiae libras duas, vel 1,000

Digere balneo maris per horam unam et alteram in vase clauso.

Dein cola et per chartam trajice.

Tunc liquori adde Sacchari albi duplum et solvatur balneo maris, vase clauso.

Refrigeratus Syrupus per pannum coletur.

Simili modo parabuntur in propriis aquis:

Syrupi de Hyssopo officinali,
Myrto communi,
Marrubio (*Marrubium vulgare*),
Scordio (*Teucrium Scordium*),
Staechade (*Lavandula Staechas*),
Apio (*Apium graveolens*),
Menthis (*Mentha gentilis et aliae*),
Dictamno (*Origanum Dictamnus*),

5. SYRUPUS DE CINNAMOMO.

℞. Aquae de Cinnamomi stillatitiae libras duas, vel 1,000

Sacchari albi libras quatuor, vel 2,000

Misce et fiat balneo maris in vase clauso Syrupus.

Eodem modo parantur

Syrupus de floribus Aurantiorum cum aqua eorumdem stillatitia seu aqua Naphe.

SYRUPI DE INFUSIS AQUOSIS.

6. SYRUPUS DE VIOLIS.

(*Viola odorata.*)

℞. Petalorum Violarum recentium libras quatuor, vel 2,000

Congerantur in vas stanneum capax et profundum; affunde

Aquae ferventis libras octo, vel 4,000

Infundantur in vase cooperto per duodecim horas.

Cola cum levi expressione, et colatus liquor, post aliquot horas, positis faecibus decapuletur.

Huic in vase stanneo adde Sacchari albi optimi duplum.

Fiat Syrupus sub balnei maris calore perficiendus.

Simili modo parantur Syrupi

De floribus Caprifolii (*Lonicera Peryclymenum*).
Papaveris Rhoeados,
Dianthi Caryophylli,

De floribus Nymphaeae albae,
Tussilaginis Farfarae,
Rosarum rubrarum,
etc.

7. SYRUPUS DE ADIANTO.

(*Adiantum Pedatum.*)

℞. Foliorum Adianti Cadanensis, stipitibus exclusis, uncias quatuor, vel 128

Infundantur per duas horas in aquae bullientis libris sex, vel 3,000

Coletur liquor et in eo solvantur Sacchari albi librae quatuor, vel 2,000

Eliqua et coque in densitatem Syrupi, quem injicies adhuc calentem supra foliorum Adianti mundatorum uncias duas, vel 64

Infundantur per duas horas in vase clauso; dein cola, et erit Syrupus, quem, si lubet, jucundiorem facies aqua Naphe admixta.

Simili modo parari potest idem Syrupus

De A. Monspeliaco (*Adiantum Capillus Veneris*).

8. SYRUPUS DE HEDERA TERRESTRI.

(*Glecoma hederacea.*)

℞. Foliorum Hederae terrestris recentium mundatorum libram semis, vel 250

Aquae bullientis libras tres, vel 1,500

Infunde per duodecim horas; dein cola per chartam, et adde liquori Sacchari albi duplum.

Fiat in vase clauso Syrupus.

Simili modo parabuntur Syrupi

De Erysimo (*Erysimum officinale*);
Millefolio (*Achillaea Millefolium*), etc.

9. SYRUPUS DE ABSINTHIIS.

(*Artemisia Absinthium.*)
(*Artemisia Pontica.*)

℞. Summitatum utriusque Absinthii siccatarum, aa uncias tres, vel 96

Infundantur per sex horas in aquae ferventis libris tribus, vel 2,000

Cola, et adde liquori Sacchari albi duplum.

Fiat Syrupus in vase clauso.

Simili modo paratur Syrupus

De Artemisia (*Artemisia vulgaris*).

10. SYRUPUS DE CORTICE CITREI.

(*Citrus Medica, Citrus Aurantium.*)

℞. Flavedinum Citrei recentium uncias quinque, vel 160

Aquae ferventis libras duas, vel 1,000

Infundantur in vase clauso per duodecim horas; dein cola absque expressione; colatum liquorem per chartam trajice, et addito Sacchari duplo, fiat balneo maris Syrupus, quem refrigeratum inodorabis Elaeo-Saccharo Citrei.

Eodem modo paratur Syrupus

De cortice Aurantiorum.

11. SYRUPUS BALSAMICUS DE TOLU.

℞. Balsami Tolutani electi et triti libram semis, vel 250
Aquae communis libras duas, vel . . . 1,000
Digerantur balneo maris per duodecim horas in vase clauso, identidem agitando.

Liquori elutriato et per chartam trajecto adde Sacchari albissimi duplum.

Et fiat Syrupus, vase clauso.

Simili modo paratur Syrupus

De Benzoë.

SYRUPI EX DECOCTIS.

12. SYRUPUS DE BRASSICA RUBRA.

(*Brassica oleracea.*)

℞. Brassicae rubrae minutim concisae libras duas, vel 1,000
Aquae communis libram unam, vel . . 500
Coquantur simul igne moderato in vase clauso ad Brassicae mollitiem; cola, et colato liquori adde Sacchari duplum.

Despumet, inspissetur et sic fiat Syrupus.

13. SYRUPUS DE ALTHAEA SIMPLEX.

(*Althaea officinalis.*)

℞. Radicum Althaeae recentium, mundatarum, minutim sectarum uncias sex, vel 192

Coque leviter in aquae communis libris quatuor, vel 2,000

Cola.

Adde Sacchari libras sex, vel 3,000

Eliqua et coque in Syrupum.

Simili modo parari potest Syrupus

. . . . de Symphyto (*Symphytum officinale*).

14. SYRUPUS DE PAPAVERE ALBO SEU DIACODION.

(*Papaver somniferum.*)

℞. Capsularum Papaveris albi maturarum et siccatarum, abjectis seminibus, libram unam, vel 500

Aqua frigida primum abluantur et scindantur minutim et contundantur.

Affunde

Aquae communis ad grad. 60 Reaumur (75 centig.) calentis libras octo, vel . . . 4,000

Digerantur per duodecim horas, dein vaporent balneo maris ad dimidias; sine faeces subsidant;

Tunc defaecato liquori adde

Sacchari albissimi libras quatuor, vel . . 2,000

Coque in Syrupum.

15. SYRUPUS DE KINAKINA.

(Cinchona Condaminea.)

℞. Corticis Kinaekinae cineritii contriti uncias quatuor, vel 128

Aquae purae libras duas et semis, vel . 1,250

Bulliant simul, vase cooperto, per horae quadrantem. Colatura turbida vaporet leni igne circiter ad dimidias.

Tunc cum Sacchari albi 500

Coque in Syrupum.

SYRUPI DE INFUSIS VINOSIS ET AQUOSO-VINOSIS.

16. SYRUPUS DE KINAKINA CUM VINO.

℞. Corticis Kinaekinae cineritii contriti uncias duas, vel 64

Extracti de Kinakina drachmas sex, vel . 24

Vini albi Lunatensis (de Lunel), aut alius ejusdem naturae libram unam, vel . . . 500

Alcoolis (12=22 Bé) unciam unam, vel . 32

Sacchari albissimi libram unam et semis, vel 750

Kinakina teratur in mortario, addendo paulatim Alcoolem, ut fiat massa mollior partium tenuissimarum, quae ingeratur in lagenam superaddito vino; maceretur per biduum, identidem agitando. Coletur; colato liquore, diluatur extractum, ac deinde sub balnei maris calore Saccharum solvatur, ut fiat Syrupus.

17. SYRUPUS DE CROCO. (PHARM. LOND.)

(*Crocus Sativus.*)

℞. Croci electi unciam unam, vel 52
Vini Malacensis libram unam, vel . . . 500
Crocus vino maceretur per biduum, coletur modice exprimendo, resideat paulisper, elutrietur et colato liquori addantur
Sacchari albissimi libra una et unciae decem, vel 820
Fiat Syrupus.

SYRUPI DE SUCCIS HERBARUM EXPRESSIS.

18. SYRUPUS DE COCHLEARIA OFFICINALI.

℞. Succi Cochleariae percolati libram unam, vel 500
Sacchari albi libras duas, vel 1,000
Fiat Syrupus, balneo maris, vase clauso; et frigidus per pannum trajiciatur.

Simili modo paratur Syrupus

de Nasturtio (*Sisymbrium Nasturtium*).

19. SYRUPUS DE FUMARIA.

(*Fumaria officinalis.*)

℞. Succi Fumariae per ebullitionem defaecati et percolati libras tres, vel 1,500

Sacchari albi libras tres, vel 1,500

Coque in Syrupum leni calore.

Simili modo conficiuntur Syrupi

de Menyanthe trifoliata

Urtica (*Urtica dioïca*),

et de Succis omnibus herbarum expressis parum odoris.

N. B. Extemporalis idem Syrupus parabitur si in succo percolato, sub ipso tepidarii calore, dissolvatur Sacchari duplum.

SYRUPI DE ACIDIS VEGETABILIBUS ET SUCCIS FRUCTUUM ACIDULIS.

20. SYRUPUS DE CITREORUM SUCCO.

(*Citrus Medica.*)

℞. Succi Citreorum recentis defaecati et per chartam trajecti libras duas, vel 1,000

Sacchari albissimi libras tres et semis, vel 1,750

Solvatur Saccharum, sub ipso tepidi aëris calore, in vase vitreo aut faventino, et fiat Syrupus, qui jucundior erit addito Elaeo-Saccharo Citrei.

Simili modo parantur Syrupi

de Succo Limonum,

Aceto Vini,

Aceto Vini cum Frambaesiis,

de Aurantiis dulcibus et amaris (*Citrus Aurant.*),
Granatis (*Punica Granatum*),
Omphacio,
Ribesiis (*Ribes rubrum*),
Berberide (*Berberis vulgaris*),
Cydoniis (*Pyrus Cydonia*).

21. SYRUPUS DE ACIDO TARTARI.

℞. Syrupi simplicis libras duas, vel . . . 1,000
Crystallorum acidi Tartarici drachmas quinque, vel 20
Aquae stillatitiae uncias duas, vel . . . 64

Acidum aqua solvatur in vase vitreo; solutio accurate cum Syrupo misceatur, bulliant leviter per aliquot horae minuta, et Syrupus per pannum trajiciatur; qui jucundior fiet addito Elaeo-Saccharo Citrei.

22. SYRUPUS DE MORIS.

(*Morus nigra.*)

℞. Mororum nigrorum nondum plene maturorum
Sacchari purissimi . . . . . . ā ā *partes aequales.*

Conjiciantur in pelvem argenteam, misceantur agitando leviter, modicoque igni imponantur. Succus, ruptis paulatim Moris, deflut Saccharoque miscebitur; qui, postquam bullierit paulisper, in setaceum incerniculum densius conjiciatur, unde Syrupus stillet sensim in vas subjectum.

Simili modo paratur Syrupus
de Frambaesiis (*Rubus Idaeus*).

SYRUPUS DE EMULSIS LIQUORIBUS.

24. SYRUPUS DE AMYGDALIS, VULGO *SYROP D'ORGEAT.*

(*Amygdalus communis.*)

℞. Amygdalarum dulcium decorticatarum, libram unam, vel 500
Amararum libram semis, vel 250
Sacchari albissimi libram unam et uncias duodecim, vel 875
Contunde diu in mortario marmoreo, pistillo ligneo, sensim addendo aquae communis uncias quatuor, vel 125
Ut fiat massa mollis et tenuissimarum partium; hanc massam dilue in aquae libris tribus et unciis duodecim, vel 1,875
Ut fiat emulsio; cola cum expressione, et colato liquori adde Sacchari albissimi libras quinque, vel 2,500
Bulliant leviter in vase argenteo vel faventino, per decem horae minuta, semper agitando, donec Saccharum sit solutum. Tum vas ab igne remove et erit Syrupus; cui colato et pene refrigerato adde
Aquae Naphe uncias tres, vel 96
Vel Alcoolati de cortice Citrei unciam semis, vel 16
Serva.

24. SYRUPUS CUM AETHERE SULFURICO PARATUS.

℞. Sacchari albi purissimi libras duas, vel . 1,000

Aquae stillatitiae simplicis libram unam, vel 500

Solvantur absque ignis ope et colentur; excipiantur lagunċula vitrea in quam pateat os tubulatum duplex; superius unum, alterum lateri lagunculae inferius adnatum; illud obturaculo, hoc epistomio instructum.

Addantur Syrupo:

Aetheris Sulfurici 48

Quae per quinque sexve dies saepius simul agitentur; quiescant deinde; tunc, spuma summum vas petente, Syrupus pellucebit purus, et aperto inferius epistomio, defluet elutriatus liquor, qui Syrupus erit Aethere satur.

25. SYRUPUS DE MERCURIO MEDIANTE GUMMI, DICTUS *MERCURIUS GUMMOSUS PLENCKII.*

℞. Mercurii puri drachmam unam, vel . 4

Gummi Arabici in pulverem redacti drachmas tres, vel 12

Syrupi Diacodion unciam semis, vel . . 16

Conterantur paulatim simul in mortario marmoreo, donec Mercurius totus subactus in mucum cesserit. Syrupus iste ex tempore tantum, et prout requiretur, parandus est.

26. SYRUPUS DE SULFURETO POTASSAE, JUXTA METHODUM A D. CHAUSSIER PROPOSITAM.

℞. Sulfureti Potassae unciam semis, seu . 16

Aquae de Hyssopo aut Feniculo stillatitiae semilibram, vel 250

Sacchari purissimi uncias quindecim, seu 480

Solvatur Sulfuretum in aqua aut Hyssopi aut Feniculi frigida; coletur; addatur Saccharum in pulve-

rem crassiorem tritum, solvaturque sub balnei maris calore.

Hic Syrupus pro uncia una, seu pro . . . 32 ,0
Tenebit Sulfureti ultra grana 12, circiter 0 ,7

Servandus est in laguncŭlis parum capacibus, ipso plenis, charta nigricante involutis, ut luci sint imperviae.

. . . .

2°. SYRUPI SIMPLICES PURGANTES.

1. SYRUPUS DE IPECACUANHA.

(*Cephaelis emetica.*)

℞. Radicis Ipecacuanhae cineritiae contusae libram semis, vel 250
Aquae libras septem, vel 3,500
Coque in vase cooperto ut supersint liquoris librae sex, vel 3,000
Subsidat faex, clutrietur liquor, coletur perchartam.
Tum adde
Sacchari albissimi libras duodecim, vel . . 6,000
Coque in Syrupum.
Ratio Ipecacuanhae adhibitae ad totum Syrupum erit ut 1 ad 36: adeoque pro uncia una, seu pro . . . . 32 ,0
Decoquuntur Ipecacuanhae plus quam grana sexdecim, circiter . . . . 0 ,85

Emetina autem cum in tota Ipecacuanha aequet circiter 0 ,16; uncia una Syrupi hujus tenebit *Emetinae* solutae grana plus quam duo et semis; scilicet ultra 0 ,125 Emetinae pro Syrupi 32.

2. SYRUPUS DE ROSIS PALLIDIS.

℞. Succi defaecati Rosarum pallidarum libras octo, vel 4,000

Sacchari albi libras octo, vel 4,000
Coque in Syrupum leni igne.

3. SYRUPUS DE AMYGDALI PERSICAE FLORIBUS.

℞. Florum Amygdali Persicae recentium libras quatuor, vel 2,000
Aquae bullientis libras duodecim, vel . . 6,000
Infundantur super cineres calidos, per duodecim horas, vase clauso: cola et leviter exprime. Colatum liquorem subsidendo defaecatum misce cum Sacchari albi libris septemdecim, vel 8,500
Coque in Syrupum.

4. SYRUPUS DE RHAMNO CATHARTICO.

℞. Succi de Baccis Rhamni, methodo jam exposita (pag. 27) eliciti et defaecati, libras tres, vel 1,500
Sacchari albi libras tres, vel 1,500
Coque in Syrupum leni igne.

5. SYRUPUS DE JALAPA.

(*Convolvulus Jalapa.*)

℞. Jalapae in pulverem tenuissimum tritae drachmas decem, vel 40
Seminum Coriandri (*Coriandrum sativum*) drachmam semis, vel 2
Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmam semis, vel 2
Aquae uncias duodecim et semis, vel . . 400
Sacchari uncias viginti quinque, vel . . . 800

Jalapa et semina congerantur in lagenam cum aqua, ita ut ea impleatur collo tenus. Lagena immergatur in balneum maris cujus aqua bulliat per viginti horae minuta. Quo facto, subducto igne, frigescat sensim balneum. Tunc exempta lagena, elapsis quatuor et viginti horis, elutrietur liquor, coletur, addatur Saccharum, quo, sub ipso balnei maris calore soluto, fiet Syrupus.

Ratio Jalapae adhibitae ad Syrupum totum erit ut 1 ad 30, seu granorum viginti circiter pro uncia una.

Simili modo parari possunt Syrupi :

de Rhabarbaro et aliis.

6. SYRUPUS DE SCAMMONIO.

℞. Scammonii in pulverem triti unciam semis, vel 16

Sacchari albissimi uncias quatuor, vel . . . 128

Alcoolis (12 = 22 Bé) uncias octo, vel. . . . 256

Omnia congerantur in pultarium argenteum, igne supposito; atque ubi modice incaluerint, superficiei admoveatur cerei flamma; incendetur illico liquor, spatula tunc assidue movendus, igne subducto, donec flamma omnis evanuerit: Syrupus sic paratus, ubi refriguerit, per pannum trajiciatur, ipsique admisceantur Syrupi de Violis unciae quatuor, vel 128

Syrupi hujus libra una, vel 500

Tenebit extractum de Scammonii uncia semis, vel 16

Adeoque ratio Scammonii adhibiti ad Syrupum totum erit circiter ut 1 ad 32, seu granorum octodecim pro uncia una.

3°. SYRUPI COMPOSITI NON PURGANTES, VULGO *ALTERANTES.*

1. SYRUPUS DE STAECHADE COMPOSITUS.

℞. Spicarum siccatarum Staechados (*Lavandula Staechas*) uncias tres, vel . . . 96

Summitatum floridarum et siccatarum Thymi (*Thymus vulgaris*) uncias quatuor et semis, vel 144

Salviae (*Salvia officinalis*) drachmas sex, vel 24

Rosmarini (*Rosmarinus officinalis*) drachmas sex, vel 24

Seminum Rutae (*Ruta graveolens*) drachmas quatuor et semis, vel . . 18

Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmas quatuor et semis, vel . . . 18

Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas duas, vel 8

Zingiberis (*Amomum Zingiber*) drachmas duas, vel 8

Calami aromatici (*Acorus Calamus*) drachmas duas, vel 8

Contusa omnia aut concisa macerentur in vase cooperto per biduum cum aquae libris octo, vel 4,000

Tunc balneo maris per distillationem excipiatur liquoris fragrantis libra semis, vel 250

Ex quibus fiat Syrupus, vase clauso, eodem calore balnei maris, cum Sacchari albi dupla quantitate, scilicet libra una, vel 500

Quod residuum est, colatum et leviter expressum, eliqua et adde

Sacchari albi libras quatuor, vel . . . 2,000

Coque in Syrupum, cui semi-refrigerato adde priorem.

N. B. Summa fragrantium erit 348

Ex quibus Syrupi fragrantis solius quantitas erit 750

Syrupi vero totius erit circiter 3,750

Primas hoc in Syrupo partes sustinent Staechas et Thymus.

2. SYRUPUS AROMATICUS, VULGO DICTUS *DE ARTEMISIA*, COMPOSITUS.

℞. Summitatum floridarum Artemisiae vulgaris uncias sex, vel 192

Radicum Helenii (*Inula Helenium*) unciam semis, vel 16

Levistici (*Ligusticum Levisticum*) unciam semis, vel 16

Feniculi (*Anethum Feniculum*) unciam semis, vel 16

Herbarum Pulegii (*Mentha Pulegium*) uncias sex, vel 192

Nepetae (*Nepeta Cataria*) uncias sex, vel 192

Foliorum Sabinae (*Juniperus Sabina*) uncias sex, vel 192

Majoranae (*Origanum Majorana*) uncias tres et semis, vel . . 112

Hyssopi (*Hyssopus officinalis*) uncias tres et semis, vel . . . 112

Matricariae (*Matricaria Parthenium*) uncias tres et semis, vel 112

Rutae (*Ruta graveolens*) uncias tres et semis, vel 112

Ocymi (*Ocymum Basilicum*) uncias tres et semis, vel 112

Seminum Anisi (*Pimpinella Anisum*) drachmas novem, vel 56

Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas novem, vel 56

Contusa omnia macerentur per triduum in Hydromelitis libris octodecim, vel . . . 9,000

Tum ex balneo maris destillent, ut habeatur liquoris fragrantis libra semis, vel . . . 250

Ex quibus

Et Sacchari albi libra una, vel 500

Fiat Syrupus vase clauso.

Interea liquorem in cucurbita superstitem, cum levi expressione colatum,

Cum Sacchari libris quatuor, vel . . . 2,000

Coque in Syrupum, cui semi refrigerato adde priorem.

N. B. Summa fragrantium in hoc Syrupo erit 1,448

Ex quibus Syrupi fragrantis quantitas erit 750

Syrupi vero totius circiter 3,750

Primas hoc in Syrupo partes tenent Artemisia, Sabina et Ruta.

3. SYRUPUS DE ERYSIMO COMPOSITUS.

℞. Hordei mundati (*Hordeum Distichon*) uncias duas, vel 64

Passularum mundatarum (*Vitis vinifera*) uncias duas, vel 64

Glycyrrhizae rasae et contusae (*Glycyrrhiza glabra*) uncias duas, vel 64

Herbarum Borraginis (*Borrago officinalis*) uncias tres, vel 96

Cichorii (*Cichorium Intybus*) uncias tres, vel 96

Bulliant in aquae communis libris duodecim, vel 6,000
Ad quartae partis consumptionem
Cola cum levi expressione; tum
℞. Erysimi recentis totius (*Erysimum officinale*) libras tres, vel 1,500
Radicis Enulae Campanae (*Inula Helenium*) uncias quatuor, vel 128
Adianti (*Adiantum Pedatum*) unciam unam, vel 52
Summitatum siccatarum
Rosmarini (*Rosmarinus officinalis*) unciam semis, vel . . . 16
Staechados (*Lavandula Staechas*) unciam semis, vel 16
Seminum Anisi (*Pimpinella Anisum*) drachmas sex, vel 24
Concisis concidendis, contundendis contusis affunde decoctum prius paratum fervens; macerentur per quatuor et viginti horas, vase clauso; tunc per destillationem balneo maris excipiatur
Liquoris fragrantis libra semis, vel. . . 250
Ex quibus cum Sacchari duplo, scilicet libra una, vel 500
Fiat Syrupus sub ipso ejusdem balnei maris calore.
Quod autem in cucurbitis residuum est cola, leviter exprime, eliqua, adde
Sacchari albi libras tres, vel 1,500
Mellis optimi libram unam, vel 500
Coque in Syrupum quem tepidum miscebis cum priore.
N. B. Summa dulcium erit 192
Summa herbarum 192
Summa fragrantium 1,716
Summa omnium 2,100

Syrupi fragrantis quantitas erit 750
Syrupi totius circiter 3,750

4. SYRUPUS DE ARMORACIA COMPOSITUS, DICTUS *ANTISCORBUTICUS*.

℞. Foliorum virentium . . . .
Cochleariae (*Cochlearia officinalis*) libram unam, vel . . . 500
Menyanthis trifoliatae libram unam, vel 500
Nasturtii aquatici libram unam, vel 500
Radicis Armoraciae (*Cochlearia Armoracia*) libram unam, vel 500
Aurantiorum amarorum (*Citrus Aurantium*) libram unam, vel 500
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) unciam unam et semis, vel 48

Herbas concisas, Aurantia, Cinnamomum frustulatim secta conjice in cucurbitam stanneam, et statim affunde Vini generosi albi libras quatuor, vel 2,000

Capitello protinus aptato et probe conserto, macerentur omnia per biduum; tum balneo maris destillent, donec liquoris alcoolici et aromatici habeatur libra una, vel 500

Ex quo cum Sacchari albi duplo, scilicet libris duabus, vel 1,000

Fiat Syrupus balneo maris et vase clauso.

Liquorem in cucurbita superstitem sine expressione cola; sinito residere, et elutriatum cum Sacchari albi libris duabus, vel . . . 1,000

Coque in Syrupum albumine eliquandum et priori admiscendum, cum tepidus evaserit: servetur in lagenis probe obturatis.

N. B. Summa medicaminum erit hocce in Syrupo 2,550

Syrupi fragrantis et aliquantum alcoolici quantitas erit 1,500

Syrupi totius circiter 5,000

5. SYRUPUS E QUINQUE RADICIBUS.

℞. Radicum Apii graveolentis uncias quinque, vel 160

Feniculi (*Anethum Feniculum*) uncias quinque, vel 160

Apii Petroselini uncias quinque, vel 160

Mundatas et in frusta concisas infunde, vase clauso, per quatuor et viginti horas in aquae bullientis libris duabus et semis, vel 1,250

Dein cola sine expressione:

Aliunde et seorsim

℞. Radicum Asparagi (*Asparagus officinalis*) uncias quinque, vel 160

Rusci (*Ruscus aculeatus*) uncias quinque, vel 160

Mundatis et concisis affundantur aquae communis librae septem, vel 3,500

Bulliant ad dimidias, addendo sub finem quod residuum est infusi praecedentis.

Bulliant etiamnum per aliquot horae minuta.

Tum cola; utrumque liquorem misce et adde

Sacchari albissimi libras sex, vel 3,000

Eliqua et coque in Syrupum.

Radicum summa erit. 800

Pro Syrupi totius. 4,500

6. SYRUPUS E PULMONIBUS VITULINIS.

℞. Pulmonis Vitulini recentis libras duas, vel	1,000
Dactylorum (*Phoenix Dactylifera*) uncias quinque, vel	160
Fructuum Zizyphi (*Zizyphus Sativus*) uncias quinque et semis, vel	176
Passularum (*Vitis vinifera aut apyraena*) uncias quinque et semis, vel	176
Radicis Glycyrrhizae (*Glyzyrrhiza glabra*) unciam unam, vel	32
Symphyti officinalis unciam unam, vel	32
Foliorum Pulmonariae (*Pulmonaria officinalis*) uncias quinque et semis, vel	176
Sacchari crystallorum libras quatuor, vel	2,000
Aquae fluviatilis libras duas et semis, vel	1,250

Pulmones minutissime concisi, aqua frigida probe eluantur, ut muco et sanguine prorsus careant; mox cum aquae praescripta quantitate conjiciantur in vas stanneum, balneo maris immersum et cooperiendum; balneum bulliat per horam; calidus liquor resideat, decapuletur, coletur; tum in pelvem puram cum Saccharo conjiciatur, et coquatur in Syrupum albuminibus aliquot eliquandum.

N. B. Dulcium et mucosorum incoctorum summa in hoc Syrupo erit 1,752

Syrupi autem totius quantitas circiter 3,200

4°. SYRUPI COMPOSITI PURGANTES.

1. SYRUPUS DE RHEO, VULGO *DE CICHORIO*, COMPOSITUS.

℞. Radicum Cichorii sylvestris (*Cichorium Intybus*) uncias sex, vel	192

Foliorum Cichorii sylvestris (*id.*) uncias novem, vel 288
Fumariae (*Fumaria officinalis*) uncias tres, vel 96
Scolopendrii (*Scolopendrium officinale*) uncias tres, vel 96
Baccarum Halicacabi (*Physalis Alkekengi*) uncias duas, vel 64
Coque in aquae communis libris quatuordecim, vel 7,000
Donec supersint librae duodecim, vel . . 6,000
Colato liquore, solvantur
Sacchari albi librae quinque, vel 2,500
Eliqua et coque leni igne in densitatem Syrupi lentioris.

Aliunde
℞. Aquae communis libras octo, vel . . . 4,000
Rhei electi et contusi (*Rheum Palmatum*) uncias sex, vel 192
Santali Citrini (*Santalum album*) unciam semis, vel 16
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) unciam semis, vel 16
Infundantur per viginti quatuor horas, vase clauso.

Colatus liquor, leviter expressus, addatur praedicto Syrupo, eique accurate misceatur, et percoquantur in Syrupum, quem injicies calidum super
Cinnamomi et Santali citrini contusorum et in nodulo inclusorum, aa unciam semis, vel 16
Infundantur per sex horas. Syrupi quantitas erit 5,750
Ratio Rhei ad Syrupi summam erit circiter. . . . . 1 ad 19,5

2. SYRUPUS DE SENNA, VULGO *DE POMIS* COMPOSITUS.

℞. Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*) libram semis, vel 250

Seminum Feniculi (*Anethum Feniculum*) unciam unam, vel 4

Infunde per quatuor et viginti horas in

Succi depurati Pomorum redolentium (*Pyrus malus*) libris quatuor, vel . 2,000

Borraginis (*Borrago officinalis*) libris tribus, vel 1,500

Buglossi (*Anchusa officinalis*) libris tribus, vel . . . . , 1,500

Postquam leviter bullierint, cola et exprime; quod residuum est bulliat iterum in aquae communis libris quatuor, vel 2,000

Et vaporet ad dimidias: cola cum expressione; uterque colatus liquor una misceantur, mixtisque solvantur Sacchari optimi librae quatuor, vel 2,000

Eliquentur et coquantur in Syrupum, quem injicies adhuc calidum super,

Seminum Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmam unam et semis, vel 6

Caryophyllorum (*Caryophyllus aromaticus*) drachmam unam et semis, vel 6

In nodulo inclusorum; sic infundantur per sex horas.

N. B. Syrupi totius quantitas erit circiter 3,500
Sennae autem ad ipsum ratio ut 1 ad 14.

3. SYRUPUS DE SALSAPARILLA ET SENNA COMPOSITUS, VULGO DICTUS *SYROP DE CUISINIER.*

℞. Radicum Salsaeparillae (*Smilax Salsaparilla*) minutim concisarum libras duas, vel . . . 1,000

Infunde per quatuor et viginti horas in aquae tepidae libris duodecim, vel 6,000

Dein bulliant per quadrantem horae. Cola cum expressione, et quod residuum est denuo bulliat cum aquae communis libris decem, vel 5,000

Vaporent ad libras sex, vel 3,000

Idque fiat rursus bis, terque.

Tum liquores omnes mixti simul bulliant leviter cum

Florum Borraginis (*Borrago officinalis*) unciis duabus, vel 64

Rosae albae unciis duabus, vel. . . 64

Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*) unciis duabus, vel 64

Seminum Anisi (*Pimpinella Anisum*) unciis duabus, vel 64

Vaporentque ad dimidias.

Tum cola et adde

Mellis albi libras duas, vel 1,000

Sacchari albi libras duas, vel 1,000

Coque in Syrupum densiorem.

N. B. Syrupi hujus quantitas erit fere . . 3,000

Pro Salsaeparillae 1,000

Et caeterorum parca admodum quantitate; Sennae enim ipsius ratio, pro unciis sex Syrupi, vix superat drachmam unam, aut $\frac{1}{48}$.

Parum admodum initio, aut nihil prorsus, sive medicamentorum natura et mutua ratione, sive methodo parandi, ab hoc discrepabat adeo decantatum *Rob* dictum *Anti-Syphiliticum*; cujus, ut omnium arcanorum, commune hoc vitium est, ut facile ab ipsis inventoribus deinde immutari possint, Medicis, quorum id praecipue interest, insciis; atqui ita uni eidemque demum proposito nullatenus respondeant.

II. MELLITA.

Syrupi Melle parati *Mellita* dicuntur. Densitate et lentore Syrupos aequare debent. Eodem fere parantur modo: Aqua simplex, infusa varia et decocta, aut plantarum succi, Acetumque Melle admixto, variis apta sunt compositionibus ex quibus mellita constant.

Annumerari quoque potest Mellitis quod vulgo dicitur *Unguentum Aegyptiacum*, sic ideo dictum huc usque, quod ad exteriora tantum unguentorum more applicari solet.

1. MELLITUM SIMPLEX, seu *SYRUPUS DE MELLE.*

℞. Mellis albissimi libras sex, vel 3,000
Aquae communis libras unam et semis, vel 750
Carbonatis Calcis loti et in pulverem redacti uncias tres, vel 96
Mel et Carbonas una conjiciantur in pelvem argenteam, mixtaque simul bulliant per duo aut tria horae minuta.
Tum adde Carbonis, praecipue ex animalibus praeparati, scilicet in pulverem redacti, loti, et aperto caelo siccati uncias sex, vel . . . 192
Ovorum albumina duo subacta aquae libra una, vel 500
Quae penitus commixta praecedentibus, simul bulliant ad Syrupi densitatem: pelvem ab igne remove; per quadrantem horae liquor resideat et per pannum trajiciatur.

N. B. Ea Syrupi pars quae prior defluxit, utpote particulis carbonis inquinatior, rursus in pannum

refundenda est, ut purus omnino habeatur Syrupus. Cujus quantitas aequabit circiter 4,000

2. OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis albissimi et optimi libras quatuor, vel 2,000
Aceti vini albi optimi libras duas, vel . 1,000
Coque leni igne in vase argenteo vel faventino, donec liquor Syrupi lentorem adeptus fuerit.
Cola.

3. MELLITUM DE ROSIS, seu *MEL ROSATUM.*

℞. Petalorum Rosae rubrae exsiccatarum (*Rosa Gallica*) libram unam, vel . . . 500
Infunde per horas duodecim in decocti calycum a petalis ejusdem Rosae sejunctorum libris quatuor, vel 2,000
Cola sine expressione.
Colato liquori adde
Mellis optimi libras sex, vel 3,000
Eliqua ex ovi albumine et coque in Syrupum.

4. MELLITUM DE MERCURIALI seu *MEL MERCURIALE SIMPLEX.*

(*Mercurialis annua.*)

℞. Succi Mercurialis libras quatuor, vel . 2,000
Mellis optimi libras quatuor, vel . . . 2,000
Misce, coque in Syrupum, cola, et serva ad usum.

5. MEL SCILLITICUM.

(*Scilla maritima.*)

℞. Squamarum Scillae exsiccatarum uncias duas, vel 64

Contundantur in mortario marmoreo, pistillo ligneo, et misceantur cum aquae communis limpidissimae libris tribus, vel . . 1,500

Bulliant leviter per aliquot horae minuta, deinde digerantur per biduum. Coletur liquor et exprimatur; cui adde

Mellis optimi libram unam et semis, vel 750

Eliqua et coque in Syrupum in vase argenteo vel faventino. Syrupi quantitas habebitur circiter 1,000

in quo Scillae ratio erit ut 1 ad 16.

Simili modo paratur

Mel de bulbis Colchici (*Colchicum autumnale.*)

6. OXYMEL SCILLITICUM.

℞. Mellis purissimi libras quatuor, vel . 2,000

Aceti Scillitici, charta emporetica percolati libras duas, vel 1,000

Coque in Syrupum in vase argenteo vel faventino.

Simili modo paratur

Oxymel de Aceto Colchici.

7. MELLITUM DE MERCURIALI COMPOSITUM, VULGO *SYROP DE LONGUE VIE*

℞. Succorum defaecatorum Mercurialis (*Mercurialis annua*) libras duas, vel 1,000
Borraginis (*Borrago officinalis*) libram semis, vel 250
Buglossi (*Anchusa officinalis*) libram semis, vel 250
Radicum Ireos Pseudo-Acori recentium uncias duas, vel 64
Gentianae siccae (*Gentiana lutea*) unciam unam, vel 32
Mellis albi optimi libras tres, vel , . . 1,500
Vini albi uncias duodecim, vel 375

Radices contusae macerentur in vino per viginti quatuor horas.

Cola.

Mel succis mixtum solvatur levi ebullitione, et coletur per pannum *manica* dictum: ambo liquores simul permixti coquantur in Syrupum.

Nota. Huic Syrupo addi potest infusum de foliorum Sennae mundatae (*Cassia Senna*) uncia una et semis, vel 48

Quorum ratio ad Syrupum erit circiter 1 ad 36.

8. MELLITUM DE ACETATE CUPRI, VULGO *UNGUENTUM AEGYPTIACUM.*

℞. Mellis optimi uncias quatuordecim, vel 448
Aceti optimae notae uncias septem, vel 224
Acetatis Cupri crudi (*Vert-de-Gris*) uncias quinque, vel 160

Coquantur simul donec solutus sit Acetas, et Melli color purpureus unguentique spissitas accesserint.

III. ELAEO-SACCHARA.

1. ELAEO-SACCHARA parantur hoc modo:

℞. Olei cujuscumque volatilis, pro guttis duabus,
Sacchari albissimi drachmas duas, vel grammata 8
Terantur diu simul in mortario marmoreo vel vitreo, et intime misceantur.

Sic parantur Elaeo-Sacchara.

Anisi,
Feniculi,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum.

2. At Elaeo-Sacchara de corticibus Citreorum et Aurantiorum melius et expeditius fiunt, si Sacchari frusta ipsi cortici affricentur, atque ubi satis oleo imbuta fuerint, terantur usque, donec in omnem massam aequaliter olei fragantia divisa sit.

SECTIO SEXTA.

Materiae e Solutionibus inspissatis extractae.

MUCAGINES, GELATINAE, EXTRACTA, RESINAE.

MUCI SEU MUCAGINES.

MUCAGINES vocantur liquida lente admodum fluentia, quae lentorem suum a gummi aut similibus aqua solutis aut suspensis mutuantur.

Mucaginum, pro usu in quem aptantur, diversus debet esse spissitudinis gradus. Hic scilicet aut minuitur aut augetur, dum ad eas conficiendas aquae copia plenior aut parcior adhibetur.

1. MUCAGO DE SEMINIBUS PSYLLII.
(*Plantago Psyllium.*)

℞. Seminum Psyllii drachmas duas, vel . . 8
Aquae tepentis unciam unam et semis, vel 48

Digerantur per viginti quatuor horas, supra cineres calidos, identidem agitando spatula lignea, donec humor albumine ovi paulo lentior evadat.

Tunc trajiciatur per linteum et exprimatur.

Simili modo conficiuntur Mucagines

de Seminibus Lini (*Linum usitatissimum*);
Cydoniorum (*Pyrus Cydonia*);
de Radice Althaeae (*Althaea officinalis*);
et aliis Muco praegnantibus.

Nec absimili modo fit praeparatio Mucaginis;

de Gummi Arabico;
Tragacanthae, etc.

Verum in conficienda Mucagine de Gummi Arabico notandum est satis esse si aequalem fere aquae calentis adhibueris quantitatem; ad Mucaginem autem Gummi Tragacanthae, pro Gummi una parte, aquae calentis partes requiri circiter quatuordecim, isto scilicet, dum aqua humescit, mire intumescente.

GELATINAE.

Gelatinae a Mucaginibus in eo differunt, quod, a vegetantium animaliumve variis partibus aqua decoctis extractae inspissataeque, dum refrigescunt, sponte coacta substantia, in massam consistunt tremulam.

Pelluciditate et saporis gratia ita placere debent ut iis aegri non injucunde uti possint.

Commodum istud est non mediocre Gelatina-

rum, quod materiam alibilem et medicaminum elementa contineant ita coacta, ut minima mole, majorem vim exercere valeant.

Cum autem facile admodum eas corrumpi periculum sit, prout requiruntur praeparandae sunt, et paratae frigidiori loco asservandae.

1. GELATINA DE CORNU CERVI.

℞. Rasurae Cornu Cervi aqua tepida prius ablutae libram semis, vel	250
Aquae communis libras duas, vel . . .	1,000
Coque secundum artem in vase cooperto; cola cum forti expressione;	
Tunc quod residuum est denuo coquatur	
Cum Aquae communis libris duabus, vel	1,000
Commixtis utroque liquore, solvantur	
Sacchari albissimi unciae quatuor, vel	125
Eliqua cum ovi unius albumine;	

Ac demum igne lento vaporet liquor, donec spissitudinem debitam acquisierit, quod facile dignosces, si hujus aliquot guttae refrigeratae in Gelatinam cito concreverint.

Tunc, condiendi causa, infunde aliquot frustula summi Corticis Citrei recentis, aut Corticis Cinnamomi.

Repone demum in loco frigido ut in Gelatinam citius coeat liquor.

Simili modo parari potest Gelatina de animalis cujuscumque partibus Gelatina scatentibus.

2. GELATINA DE CYDONIIS.
(*Pyrus Cydonia.*)

℞. Cydoniorum maturescentium, sepimentis et seminibus exclusis, libras sex, vel . . . 3,000

In frusta concide cultello argenteo aut eburneo: Bulliant in aquae communis libris decem, vel 5,000

Ad dimidiae partis consumptionem.

Colatum liquorem eliqua ex ovi albumine cum Sacchari albi libris quatuor, vel . . 2,000

Citissime tunc coquatur ac demum reponatur in loco frigido ut in Gelatinam concrescat.

Simili modo paratur Gelatina de Malis et aliis Pomis Gelatina valentibus.

3. GELATINA DE FUCO HELMINTHO-CHORTO.

℞. Fuci Helmintho-Chorti uncias quatuor, vel 128

Decoquatur

In Aquae libris quatuor, vel 2,000

Adde

Vini generosi albi libram unam, vel . . 500

Sacchari albi libram unam et semis, vel . 750

Ichtycollae prius in aquae solutae drachmas duas, vel 8

Liquorem eliqua, cola; deinde vaporet donec in Gelatinam concrescat.

4. GELATINA DE LICHENE ISLANDICO.

℞. Lichenis Islandici uncias duas, vel . . 64

Sacchari albi uncias quatuor, vel . . 125

Ichtyocollae drachmam unam, vel . . . 4
Aquae . . . . *quod sufficit.*
Bulliat primo remissius Lichen in vase figulino, et hujus prioris decocti aqua excludatur ut inutilis.

Quo facto, decoquatur denuo purus Lichen semel, iterumque; mixtisque decoctis Ichtyocolla, seorsim soluta, et Saccharum admisceantur; deinde vaporet et eliquetur liquor; vaporetque denuo donec supersit libra semis, vel 250

Huic, si libuerit, aromatis alicujus gratia poterit conciliari ex Cortice Citrei aut aliis. Postea in frigidario repone, ut in gelatinam concrescat.

5. GELATINA DE LICHENE CUM KINAKINA.

℞. Lichenis Islandici uncias duas, vel . . 64
Ichtyocollae drachmam unam, vel . . . 4
Aquae . . . . *quod sufficit.*
Bulliat primo Lichen leviter ut supra dictum est; cujus prioris decocti rejiciatur inutilis aqua.

Deinde puri Lichenis uni et alteri decocto, paratis ut dictum est superius, admisceantur
Ichtyocolla seorsim soluta
Et Syrupi de Kinakina cum vino parati unciae sex, vel 192

Post levem ebullitionem coletur liquor et vaporet, ut concrescat in Gelatinam cujus quantitas erit circiter libra semis, seu . . 250

EXTRACTA E SUCCIS EXPRESSIS, EX INFUSIS ET DECOCTIS, E SUCCIS CONCRETIS.

Extractum dicimus, si aqua aut aliis liquidis, vino scilicet, Alcoole, etc., macerata, infusa aut decocta fuerit animalis, vegetabilisve materia, et liquor eousque vaporet, donec superstet materies densa, mollis ut plurimum et tenax. Idem quoque obtinetur si succus expressus plantarum, proprio humore liquidus, vaporando similiter concrescat.

Saepe ex siccis herbis, cum recentes desunt, paratur extractum, postquam ex iis infusa aut decocta praeparata sunt.

Nonnunquam Extracta eo vaporant usque, dum sicca evadant omnino; tunc, male admodum aptato nomine, *sales essentiales* dicta sunt, juxta methodum D. *La Garaye.*

Caeterum in quamcumque densitatem aut formam Extracta vaporando deducantur, expedit ut primo leniter bulliat infusum succusve, donec quarta pars tantum supersit, quae deinde sub balnei maris calore in debitam spissitudinem densabitur.

Quicumque liquores in Extractum densari debent, antequam vaporent, aut charta percolenda sunt emporetica, aut eliquanda, vel positis per quietem faecibus, vel etiam quandoque ovi albumine.

Ex his patet Extractum, quale apud Pharmacopoeos usurpatur, multum differre ab eo quod Chimici huc usque annumeravere elementis, quibus

corpora animalia ac vegetantia, dum integra sunt, constare creduntur, et cujus natura nondum penitus perspecta est.

Extractum autem, quale a Pharmacopoeis obtinetur, minime simplex est, et variis commixtis constat, nec iisdem semper proprietatibus valet.

Pharmacopoeorum Extractum solum huc usque inter medicamina numeratur. Nominibus non paucis fuit insignitum, et, pro varia ipsius origine, modo *Rob*, modo *Sapa*, modo *Defrutum* dictum est.

Rob nomine intelligebatur fructus cujuscumque succus, qui fermentando non effervuit, et qui melli spissitudine aequalis vaporando factus est.

Sapam dixerunt tantummodo Uvarum succum ad eamdem, ad quam *rob* solet, densitatem deductum.

Defrutum succus erat Uvae, aeque ac *sapa*, at pauciori detracta humiditate, scilicet liquidus adhuc et ad tertias tantummodo vaporando deductus. Caeteris omnibus solum *Extracti* nomen concessum est.

Extracta, cum sponte et facile admodum pleraque vitiari soleant, vigilantius inspicienda sunt, asservanda quoque in vasis faventinis porcellaneisve, et in siccissimo loco reponenda.

I. EXTRACTA EX SUCCIS INSPISSATIS.

1. EXTRACTUM, SEU *ROB*, DE BACCIS SAMBUCI.

℞. Succi expressi ex Baccis maturis Sambuci (*Sambucus nigra*) . . . . *quantum opus est.*

Cola et coque igne moderato ut in Mellis spissitudinem consistat.

Eodem modo parantur:

Rob seu Sapa ex Uvis, Ribesiis, etc.

2. EXTRACTUM, SEU *ROB*, DE RHAMNO CATHARTICO.

℞. Baccarum Rhamni maturarum
. . . . *quantum opus est.*

Ita obterantur ut semina maneant integra, sicque per triduum in pelve quiescant, ut fermentescere incipiant; subjiciantur deinde praelo, succusque per pannum trajiciatur. Liquor colatus post tres aut quatuor horas decapuletur, deinde sub calore modico vaporet, donec succus in Extractum constiterit.

3. EXTRACTUM FUMARIAE.

(*Fumaria officinalis.*)

℞. Succi recentis et eliquati Fumariae,
. . . . *quantum opus est.*

Vaporet balneo maris donec in Extractum consistat.

Simili modo fiant Extracta

Menyanthis trifoliatae;
Scandicis Caerefolii;
Borraginis officinalis;
De Fructibus Elaterii (*Ecbalium Elaterium*), etc.

4. EXTRACTUM CICUTAE ABSQUE FECULA.

(*Cicuta officinalis* sive *Conium maculatum.*)

℞. Herbae recentis, tantum non floridae, et sedulo mundatae Cicutae officinalis . . *quantum opus est.*

Contunde in mortario marmoreo, aspergendo pauxillum aquae, et exprimatur succus. Hic succus vel balneo maris, vel bulliendo leviter repurgatus, et deinde colatus, vaporet leni igne, donec in Extractum consistat.

5. EXTRACTUM CICUTAE CUM FECULA.

℞. Herbae recentis et mundatae Cicutae officinalis . . . . *quantum opus est.*

Contunde in mortario marmoreo, sensim addendo pauxillum aquae, et succum exprime. Succus per incerniculum coletur; bulliat leniter: inter bulliendum, ubi aliquantulum coierit, trajice per manicam; deinde vaporet leni igne, donec in Mellis spissitudinem devenerit. Quo facto, et vase ab igne remoto, adde faeculam in manica superstitem. Dein misce et inspissa balneo maris, identidem agitando, fere ad massae pilularum densitatem.

Simili modo parantur Extracta

Aconiti (*Aconitum Cammarum*);
Hyoscyami nigri, albi;
Atropae Belladonae.

6. EXTRACTUM RHOIS TOXICODENDRI.

℞. Foliorum recentium Rhois Toxicodendri . . . . *quantum opus est.*

Vultu personato, manibus manicis prius ab acerrimo succi vaporisque contactu praemunitis, folia haec contunde in mortario marmoreo, pistillo ligneo, inspergendo pauxillum aquae; exprime fortiter succum;

dein cola. Liquor colatus leni calore vel balneo maris vaporet, donec in Extracti spissitudinem constiterit.
Serva ad usum.

N. B. Extractum idem parari potest ex foliis siccatis eodem modo quo Extractum Absinthii et alia. (*V.* n° 8.)

II. EXTRACTA EX MACERATIS, INFUSIS, DECOCTIS.

7. EXTRACTUM JUNIPERI.

(*Juniperus communis.*)

℞. Baccarum Juniperi maturarum et integrarum libras duas, vel 1,000
Affunde
Aquae tepidae libras octo, vel 4,000
Infundantur per octo et quadraginta horas, identidem agitando; dein cola, et liquor eliquatus vaporet leni igne, donec in Extractum consistat.

8. EXTRACTUM ABSINTHII.

(*Artemisia Absinthium.*)

℞. Summitatum Absinthii majoris siccatarum . . . . *quantum opus est.*
Infunde per quatuor et viginti horas in aquae bullientis . . . *quod sufficit.*
Dein cola. Colatus liquor vaporet leni igne, ut in Extractum consistat.

Eodem modo fiant Extracta:

Cardui benedicti (*Centaurea benedicta*);

Centaurii minoris (*Erythraea Centaurium*);
Chamaedryos (*Teucrium Chamaedrys*);
Et aliarum herbarum siccatarum.

N. B. Potest etiam eodem modo, sed cum cautelis praedictis (n° 6), parari Extractum *Rhoïs Toxicodendri* ex foliis siccatis.

9. EXTRACTUM RHEI.

(*Rheum palmatum.*)

℞. Rhei electi in frustula concisi libram unam, vel 500

Affunde aquae limpidae frigidae libras quatuor, vel 2,000

Macerentur vase clauso, per viginti quatuor horas circiter, identidem agitando: dein cola et materiae superstiti affunde novam quantitatem aquae. Macerentur ut supra, et colentur cum levi expressione.

Ambos liquores mixtos per manicam trajice, et vaporent balneo maris, ut in Extractum consistant.

Simili modo parantur Extracta Radicum:

Helenii (*Inula Helenium*);
Liquiritiae (*Glycyrrhiza glabra*);
Lapathi (*Rumex acutus*);
Gentianae (*Gentiana lutea*);
Valerianae (*Val. hortensis*);

Florum Narcissi (*Narcissus Pseudo-Narcissus*;)
Fructuum Colocynthidis (*Cucumis Colocynthis*);
Leguminum, vulgo Folliculorum, et Foliorum Sennae (*Cassia Senna*), etc.
Agarici albi (*Boletus Laricinus*).

10. EXTRACTUM KINAEKINAE MOLLE E DECOCTO CORTICE PARATUM.

(*Cinchona Condaminea.*)

℞. Corticis Kinaekinae crassius contriti libras duas, vel 1,000

Aquae communis libras duodecim, vel . 6,000

Bulliant leniter per quadrantem horae; dein cola. Decocti quod residuum est bulliat per quadrantem horae.

In aquae communis libris octo, vel . . . 4,000

Liquor colatus et priori mixtus trajiciatur per pannum, et sic repurgatus indesinenter agitando vaporet, leni igne, donec in Extractum consistat.

11. EXTRACTUM KINAEKINAE SICCUM E MACERATO CORTICE PARATUM, DICTUM VULGO *SEL ESSENTIEL DE LAGARAYE.*

℞. Corticis Kinaekinae crassius triti libras duas, vel 1,000

Aquae frigidae libras duodecim, vel . . 6,000

Macerentur, identidem agitando, per viginti quatuor horas, quibus elapsis, liquorem trajice per pannum et serva.

De maceratione quod residuum est maceretur denuo in aquae frigidae libris octo, vel . 4,000 saepe saepius agitando:

Deinde cola.

Tum ambo liquores commixti vaporent balneo maris ad syrupi densitatem.

Hunc liquorem sic addensatum divide, ut diffundas super orbes planos faventinos, ita ut non superet in singulis altitudinem duarum linearum, et sic balneo maris, aut in clibano, vaporet ad siccitatem.

Extractum orbibus haerens cultello obtuso abrade; quod sic secedet in lamellas tenues, nitidas, pellucidas, hyacinthino colore; servandum in vase accurate clauso.

Eodem modo parari possunt Extracta sicca:

Sennae (*Cassia Senna*);
Rhei (*Rheum palmatum*);
Opii;
Et multarum herbarum et radicum.

12. EXTRACTUM IPECACUANHAE, *EMETINA* DICTUM, JUXTA METHODUM D. PELLETIER, PHARMACOPOEI PARISIENSIS.

(*Cephaelis emetica.*)

℞. Radicis Ipecacuanhae in pulverem tritae, excluso ligneo meditullio, unciam unam, vel 32

Aetheris sulfurici (50 = 60 Bé) uncias duas, vel 64

Pulvis simul cum Aethere excipiatur clauso vase, et, ne dispereat Aether, destillationi apto; deinde maceretur sub modico calore, per aliquot horas.

Quod supererit iterum teratur, et in Alcoolis (30 = 40 Bé) unciis quatuor, vel 128 maceretur primo, ac deinde bulliat.

Coletur liquor, residuaque materies iterum, tertiumque etiam, novo Alcoole maceretur bulliatque, donec nihil prorsus ex radice in Alcoolem cedat.

Tunc mixti liquores Alcoolici vaporent ad siccitatem. Extractum hoc Alcoolicum maceretur in Aquae stillatae frigidae . . . . . *sufficienti quantitate*, ut quidquid in aqua solubile est extrahatur.

Solutio aqua sic parata coletur per chartam, et vaporet ad siccitatem.

Extractum hoc aqua solubile *Emetina* dictum est, et aequat radicis ipsius aut 0,16, aut 0,14, scilicet, circiter 1/6 vel 1/7.

N. B. *Emetina* haec, quantumvis ad usus medicos pura haberi possit, etiamnum creditur tenere Acidi Gallici circiter 0,005; quod, ad severiorem analysim, posset facile ab ipsa separari artificio viris chymicis non ignoto; quod tamen hic omittendum censuimus, ut supervacaneum.

III. EXTRACTA E SUCCIS CONCRETIS, MEDIANTIBUS AQUA AUT VINO.

13. EXTRACTUM OPII VINO PARATUM, SEU *LAUDANUM OPIATUM.*

℞. Opii electi et mundati, frustulatim secti . . . . *quod volueris.*

Vini albi quantum sufficit ad solvendum Opium. Fiat solutio sub balnei maris calore.

Solutionem fortiter exprime per linteum densum; dein liquor, positis faecibus, sedulo decapulatus, vaporet balneo maris, ut in Extractum consistat.

*12

14. EXTRACTUM OPII AQUA FRIGIDA SOLUTI, JUXTA METHODUM CEL. CARTHEUSER A D. CROHARE EMENDATAM.

℞. Opii electi et in taleolas secti libram unam, vel 500
Aquae communis libras quatuor, vel . . 2,000

Simul mixta reponantur in tepidario, identidem agitando per biduum. Liquor percolatus per biduum alterum quiescat; cui tum innatabit pellicula odoris virosi. Liquor ope chartae emporeticae percolatus vaporet leni igne ad dimidias; qui, adhucdum modice turbidus, rursus quiescat in tepidario per biduum, et supernatabit pellicula virosa nova. Denuo percolatus liquor vaporet demum, donec in Extractum consistat; quod tunc fiet, ipso ad finem usque puro et minime turbido permanente, et sic habebitur Extractum omni odore viroso carens.

15. EXTRACTUM OPII FERMENTATIONE PARATUM JUXTA METHODUM D. DEYEUX.

℞. Opii selecti in taleolas dissecti . . . . *quantum opus est.*

Maceretur in aqua cum fermenti de Cerevisia quantitate sufficienti, sub eo caloris gradu (scilicet 20=25 centig.) qui fermentationi faveat.

Liquor ubi limpidus evaserit, aqua addita diluendus est, et colandus per chartam emporeticam. Bulliat deinde, donec odor virosus omnis evanuerit; denique vaporet, et in Extractum solidius addensetur; quod sic carebit omni virosa parte.

16. EXTRACTUM OPII PER LONGAM DIGESTIONEM PARATUM, JUXTA FORMULAM DOCTORIS DE DIEST.

℞. Opii electi et in taleolas secti libram unam, vel 500

Aquae communis libras quatuor, vel . . . 2,000

Bulliant leviter per semihoram: dein cola et colatum liquorem serva.

Quod residuum est eodem modo decoquatur, et pari aquae quantitate, bis terve. Quo facto, decocta colata excipiantur cucurbita stannea quae imponatur balneo arenae, ita ut liquor, supposita lampade calefactus, bulliat indesinenter, leniterque per sex menses.

Curandum est ut cucurbita semper fere plena sit; quod fit, si liquori per ebullitionem in vapores disperso identidem aequa sufficiatur quantitas aquae communis stillatae.

Notandum est etiam liquorem interdum transfundendum esse, ut a limo qui in fundo cucurbitae secessit separetur. Post sex menses liquor refrigeratus coletur accurate per *pannum* aut chartam bibulam, et vaporet balneo maris, ut consistat in massam pilulis informandis aptam.

Servetur ad usum in vase probe clauso.

N. B. Hanc formulam servavimus, ut diu celebrem, et cui viri in arte non mediocris auctoritatis peculiarem tribuere amant etiamnum efficaciam, innocentiaeque pretium.

17. EXTRACTUM MYRRHAE.

℞. Myrrhae electae . . . . . . *quod opus est.*

Solvatur in aquae bullientis sufficienti quantitate;

frigescat: coletur liquor cum expressione et vaporet donec in Extractum consistat.

18. EXTRACTUM ALOES AQUA PARATUM.

℞. Aloës Soccotrinae contusae *quantum opus est.*
Affunde aquae ferventis . . *quod sufficit.*
Fiat solutio balneo maris, identidem agitando; liquorem cola; positaque tenuiori faece, decapula; dein vaporet balneo maris, eodem modo, et in iisdem vasis ad siccitatem.

N. B. Potest etiam aqua frigidissima eadem solutio parari, ut Extractum resina omnino careat.

19. EXTRACTUM SEU *PRAEPARATIO CATHECU.*

℞. Cathecu selecti et in pulverem contriti libram unam, vel 500
Aquae calentis libras quatuor, vel . . . 2,000
Infunde per aliquot horas ad perfectam solutionem; cola per setaceum. Liquor residendo defaecatus vaporet ad siccitatem balneo maris.

20. EXTRACTUM CASSIAE.

℞. Pulpae e Cassiae leguminibus exemptae, et a seminibus et dissepimentis separatae, libram unam, vel 500
Solve agitando in aquae communis frigidae libris quatuor, vel. 2,000
Dein liquorem per *pannum* trajice, et vaporet leni calore, donec in Extractum consistat.

21. EXTRACTUM FELLIS BOVINI.

℞. Fellis Bovini recentis . . *quantum opus est.*
Diluatur in pari quantitate aquae, bulliat, despu-

met, coletur per linteum; dein vaporet balneo maris, donec in Extractum consistat.

Eodem modo paratur Extractum

Fellis Vitulini.

IV. EXTRACTA MEDIANTIBUS VINO ET ALCOOLE, ADJUVANTE SUBCARBONATE POTASSAE.

22. EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI, JUXTA METHODUM DOCTORIS BACKER.

℞. Radicis siccatae Hellebori nigri mundatae et contusae libras duas, vel 1,000
Carbonatis Potassae libram semis, vel . . 250
Alcoolis (12=22 Be) libras octo, vel . 4,000

Omnia excipiantur *matratio*; supra arenam mediocriter calentem imponantur; digeranturque per duodecim horas, identidem agitando: cola et exprime.

Residuae materiei affunde Vini albi veteris et generosi libras octo, vel 4,000

Et in *matratio* arenae balneo imposito digerantur per viginti quatuor horas; cola et exprime: quiescat liquor per quatuor horas, positaque faece, cum limpidus evaserit, ipsum transfunde; cum priori misce, simulque vaporent leni calore, donec in Extractum consistant.

V. EXTRACTA EX INFUSIS ALCOOLICIS.

23. EXTRACTUM KINAEKINAE ALCOOLE PARATUM.

(*Cinchona Condaminea.*)

℞. Tincturae de Kinakina plene saturatae ope Alcoolis gradus (12 = 22 Bé) . . . . *quantum opus est.*

Destillet balneo maris ut quarta pars supersit, quae leni calore deinde vaporet, donec in Extracti sicci soliditatem consistat; quod Extractum servandum est in vasis accurate clausis.

Pari ratione possunt Extracta parari Alcoolica de aliis Cinchonae corticibus, scilicet *oblongifoliae* aut rubro, *lancifoliae* aut aurantiaco, etc.

Simili modo parari potest Extractum

Ratanhiae (*Krameria Ixina*);

24. EXTRACTUM DE NUCE VOMICA ALCOOLE PARATUM.

(*Strychnos Nux vomica.*)

℞. Nucis vomicae radula in scobem redactae 50
Alcoolis (12 = 22 Bé) 200
Excipiantur cucurbita operculo tecta; incalescant per viginti quatuor horas; per telam trajice; quod residuum est praelo exprime; expressa massa, affusis iterum Alcoolis . . 150
eodem modo digeratur; trajiciatur liquor, exprimatur, coletur, priori misceatur;

Tum simul destillent balneo maris, donec pars totius quarta supersit. Quod superest vaporet balneo eodem, donec in Extractum consistat.

N. B. Alcool destillatione elicitus nota inscripta servabitur, ut simili Tincturae unice inserviat.

25. EXTRACTUM DE CANTHARIDIBUS ALCOOLE PARATUM.

℞. Tincturae Cantharidum modo superius proposito paratae . . . . *quantum opus est.*

Destillet prius balneo maris, donec quarta pars supersit.

Quod residuum est vaporet balneo eodem, donec in Extractum constiterit.

N. B. Alcool in destillando elicitus, nota inscripta servetur, ut Cantharidum tincturae parandae unice inserviat.

EXTRACTIO RESINARUM.

Praeter Resinas sponte ex vegetantibus vel illaesis, vel incisis stillantes, sunt aliae, quae, ipsorum textui intermixtae, variis eliciuntur artificiis, nec purae aliter obtineri queunt.

Quaedam venales vulgo prostant apud pharmacopolas; verum, ut plerumque impuriores sic habentur, ita nullis uti debet Pharmacopoeus, nisi propria illas ipse manu paraverit, aut admixtis saltem purgaverit heterogeneis.

Sit in exemplum JALAPAE RESINA.

℞. Tincturae Jalapae, modo superius praescripto (*v.* pag. 121) paratae . . . . . *quantum opus est.*

Destillet balneo maris, donec liquoris dodrans in excipula transierit. Quod residuum est aequali aquae

stillatae quantitate remisceatur; fiet turbidus liquor. Praeceps ad ima feretur materies copiosa, quam percolando separabis omnem. Eluatur eadem aqua stillata repetitis vicibus; et humore penitus exhausto, caute exprimatur: habebitur materia fere sicca, friabilis, quae, denuo modico calore Alcoole soluta, vaporabit ad siccitatem, et erit pura admodum Jalapae Resina.

Simili modo parabuntur:

Resina Scammonii,
Corticis Peruviani,
Et aliorum Corticum et Radicum.

SECTIO SEPTIMA.

Medicamenta per analysim Chymicam e corporibus elicita.

ACIDA, ALKALIA ET SUBCARBONATES ALKALINI, METALLA, SULFUR, PHOSPHORUS, CARBONES.

I. ACIDA.

Acida in usus medicos non mineralia tantum aptantur, sed et ea plurima quae e vegetantibus, animalibusque eruuntur.

Qua arte pura et sincera parari possint, suo loco patebit, ubi de singulis agetur.

Mineralia tamen, cum in multiplices artium usus majoribus in officinis magna copia parentur, a Pharmacopoco confici non expedit; sed ipsi ea certe incumbit cura, ut quae coëmpta suscepit, ea sibi purgando summe pura comparet, ut nullum ex ipsis medicamentum nisi sincerum, et ab omnibus alienis perfecte liberum habeatur.

Praetera necessarium est ut, antequam in compositiones chymicas adhibeantur acida quaelibet, eorum densitas areometro omnino probata et perspecta

sit, quandoquidem natura componendorum varia emergit, prout diversimode addensata acida in varias syntheses admittuntur.

1. ACIDUM SULFURICUM.

Acidum huc vulgo venale coëmitur; tamen ut purum habeatur, sequenti artificio purgari debet.

PURGATIO ACIDI SULFURICI.

℞. Acidi sulfurici vulgo venalis (66g) . . . 1,000

Infundatur in retortam vitream loricatam et longioris colli, ita ut pars quarta capacitatis vacua supersit. Balneo arenae imponatur, balnei trulla craticula furni suffulta; aptetur retortae collo excipulum vitreum sphaericum, juncturis luto liberis. Collum autem retortae in excipuli cavum ad ipsius medietatem usque protendatur. Ac demum, fornice supra retortam furno aptata, ignis submittatur. Modice primum incalescat apparatus, crescenteque igne, acidi primum debilioris exstillabit circiter pars quindecima, quam seponi curabis. Aptato iterum excipulo, circumpositis pannis calentibus, vis ignis ita increscat, ut leniter in retorta bulliat acidum, destilletque totum, fere ad siccitatem.

Purum sic habebitur acidum sulfuricum, quod asservabitur in laguncalis probe obturatis. Notabit gradus in areometro 66, ipsiusque densitas erit, 1,847.

2. ACIDUM SULFUROSUM.

℞. Mercurii purissimi 500
Acidi Sulfurici puri (66g) 750

Destillent simul in retorta vitrea loricata, cui aptabitur vasorum apparatus dictus *de Woulf*; quatuor constans laguncalis, tubis ad apparatus securi-

tatem, ut artis est, intersertis. Laguncula prior parcam admodum aquae stillatae quantitatem teneat; tres autem subsequentes singulae capiant aquae circiter 250; ita vero disponatur apparatus, ut incurvorum tuborum pars longior, cuique lagunculae inserta, fundo tenus aquae immergatur.

His ita dispositis, vasorumque juncturis luto obseratis, igne submisso, tamdiu incalescat retorta, donec nulla pars vaporis acidi lagunculárum aqua jam solvi queat, integraeque per eam ad ultimam usque lagunculam transeant bullae; quod fiet, sub temperie 10 ad 15^{g}, ubi aquae mensura una receperit tres et triginta mensuras gaz acidi sulfurosi, pondere aequantes aquae ipsius $\frac{91}{1000}$.

Absoluto opere, vase luto liberentur, sepositaque prioris lagunculae aqua, cui Acidi Sulfurici non nihil solutum inhaerebit, quidquid in reliquis habebitur, Acidum erit Sulfurosum liquidum. Hujus in areometro nota erit 7, densitas autem invenietur 1,053.

Qui vero in retorta superest *Sulfas Mercurii Acidus* servari potest alios in usus.

Nota. Aquae purae in locum si lagunculis immissa fuerit solutio, seu Potassae, seu Sodae, seu Ammoniae, habebuntur, pro solutionum natura, *Sulfites Potassae, Sulfites Sodae, Sulfites Ammoniae*, qui vaporando ita addensari poterunt, ut in crystallos concrescant.

5. ACIDUM NITRICUM.

℞. Nitratis Potassae purissimi	. . . . . .	3,000
Acidi sulfurici (66^{g})	. . . .	2,000

Congerantur in retortam fictilem capacissimam, furnoque, fornice imposita, committantur; aptato ad retortae collum tubo intermedio in ventrem ampliato (*allonge*), et sphaerico excipulo tubulato. Hujus ostio inseratur tubus incurvus in sphaerulam dilatatus.

cujus crus alterum descendat in lagunculam, et in ea aquae immergatur. Eidem lagunculae tubus alius insertus, rectus, longior, in auras superne ita pateat, ut vapores inde altius erumpentes, quibus inest aliquid saepe gaz nitrosi, os oculòsque opificis afficere nequeant. His omnibus sic dispositis juncturae obturentur luto; modico igne ita incalescat retorta, ut Acidum expeditum guttatim stillet tantum; subque finem operis gradatim ignis increscat, donec nihil amplius in excipulum transeat. Absoluto opere, frigescente demum apparatu, Acidum Nitricum in excipulo collectum invenies et servabis in usum.

N. B. Quod si, ex Nitrate minus puro, minus quoque sincerum Acidum obtinuisse contigerit, scilicet Acidis Sulfurico, Nitroso, Muriatico, aut Muriatico oxygenato (*Acido hydrochlorico, aut Chloro*) adulteratum; ipsum tunc in retortam vitream indito cum

Nitratis Potassae 60

Tubumque collo retortae intermedium et sphaericum excipulum aptato, juncturis luto liberis; tunc destillet supra arenam ad siccitatem. Hac arte Acido Sulfurico Nitricum liberabitur.

Deinde ipsum hoc indito in *matratium* colli longioris, ibique, partitis vicibus, aequali aquae quantitate agitando remisceatur. Deinde supra arenam incalescat et vaporet, donec gradum 42 in areometro notaverit, densitatemque obtinuerit 1,412 aequalem. Tunc demum dissipatis Gaz Nitroso et Muriatico Oxygenato (*Chloro*), purissimum evadet Nitricum Acidum; quod servabis in laguncula crystallo obturata, loco reponenda obscuro.

4. ACIDUM NITROSUM LIQUIDUM.

℞. Cupreae scobis 600
Acidi Nitrici (18°) (1) 2,000

Acidi Nitrici purioris (42g) 500

Cuprum in laguncalam ostio duplici tubulato patentem indito. Uni ostio inseratur tubus, bis susdeque in ∽ figuram reflexus et inflexus, superius in infundibuli formam dilatatus. Ex altero ostio, tubo mediante incurvo, siphunculi forma, via pateat in secundam laguncalam, qua contineantur aquae circiter 200

Huic extremum longiusque tubi crus immergetur. Ex hac laguncula simili tubo via similiter pateat in tertiam, tenentem Acidum Nitricum purum, quantum praescripsimus, in quod extremus profunde descendet tubus: ac demum tubus alius ex tertia laguncula extus in aquam ultimo immergatur. Tunc intersertis, ad apparatus securitatem, rectis in secundam et tertiam laguncalam tubis, juncturae omnes luto obturentur.

His ita dispositis, Acidum Nitricum debilius paulatim, partitisque vicibus, intra spatium duorum, triumve dierum, totum per infundibulum tubi prioris infundatur in laguncalam Cuprum tenentem. Effervescet Acidum Cupro mixtum. Gaz inde expeditum Nitrosum, per aquam transmissum, in Acidum Nitricum deferetur, quod, eo soluto, fiet Acidum Nitrosum. Opere plene absoluto, Nitrosum acidum laguncula excipies crystallo obturata, et loco reponenda obscuro. Hoc acidum gradus notabit 38, densitate aequabit 1,359.

5. ACIDUM MURIATICUM LIQUIDUM, RECENTIORIBUS DICTUM *ACIDUM HYDROCHLORICUM.*

℞. Salis marini, postquam igne sat concrepuit, ut ipsius quantitas apprime constet 3,000

---

(1) *N. B.* Acidum Nitricum habebis notans decem et octo gradus, si Acidum Nitricum vulgo venale, scilicet 34 graduum, pari aquae stillatae quantitate remiscueris.

Aquae communis 70

Congere in *matratium* longioris colli capacissimum, et misce intime. Imponatur arenae *matratium*, ipsiusque collo tubi duo inserantur; unus bis, sus deque, in ∽ figuram erit incurvus, et superius dilatatus in infundibuli formam; alterius tubi, siphunculi forma, crus extremum excipietur laguncula sub aquae circiter 200

Inde quoque per tubum alium via pateat in aliam lagunculam quae contineat aquae . . 2,000

Tubusque sub ipsam aquam non ita profunde descendat. Ex secunda demum hac laguncula tubus ultimus aquae quoque exterius immergatur.

His ita dispositis, tubisque ad apparatus securitatem intersertis, juncturas obtura. Tunc, partitis vicibus, in *matratium* per infundibulum prioris tubi injice, ubi post misturam refriguerint,

Acidi sulfurici (66g) 3,000

Remixti Aquae stillatae 750

Modice admodum arena tamdiu incalescat, dum Gaz erumpens vividius aestuabit; sub finem autem, ubi paululum defervuerit liquor, vis ignis augeatur sensim, perstetque donec nullum prorsus Gaz emanet.

Haec dum peraguntur, aqua prioris lagunculae vapore satura flavescit primo, deinde reliquum Gaz purius per ipsam transmittitur in ultimam lagunculam, cujus aqua demum ipsa quoque saturata vertetur in Acidum Muriaticum purissimum et colore carens. Gradus notat 24, densitate aequat 1,200.

N. B. Lagunculararum capacitas aquae contentae copiam tertia totius parte superare debet, ut ipsi capiendae par sit, cum liquoris quantitas, post absumptum gaz, non parum increverit.

6. ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM LIQUIDUM, QUOD *CHLORUM AQUA SOLUTUM* RECENTIORES NUNCUPAVERUNT.

℞. Salis marini, postquam igne sat concrepuit	1,000
Oxidi Manganesii	250
Aquae stillatae	500

Sal et Oxidum misceantur, congeranturque in retortam vitream, ostio tubulato superius instructam

Aquam tunc super affunde, et omnia agitando probe misceantur.

Imponatur arenae retorta, colloque tubus aptetur, quem ex altera parte excipiet lagena triplici ostio tubulato patens, et aqua stillata ad summum fere plena.

Huic duo vel tres aliae lagunculae, aqua ita plenae, ut quarta pars vacua supersit, tubis mutuo perviae, adjungantur; tubique alii recti ad securitatem interserantur; juncturae luto obturentur.

His ita dispositis,

Acidi Sulfurici (66^{g})	1,000
Remixti Aquae stillatae	500

postquam mistura refriguerit, in retortam una vice injiciantur.

Ostium retortae tubulatum obturetur illico; continuo Gaz sese expediet, et perget per duos tresve dies, etiam calore non adjuvante. Tunc, subductis, si satura fuerit aqua, prioribus lagunculis subjiciantur aliae, ac demum igne modico retorta incalescente, nova bullarum copia ita erumpet, ut aqua laguncularum iterum ipsis saturetur.

Hanc aquam Acido Muriatico Oxygenato, seu Chloro saturam servabis in lagenis perfecte obturatis, charta nigra extus glutinata obductis, et in loco reponendis prorsus luci impervio.

N. B. Ea quam praescripsimus materiarum copia sufficiet ut inde facile saturari possint aquae 40,000 adeoque commode admodum adhiberi poterunt lagunculae, e quibus, peculiari ostio, prope fundum pro lubitu aperiendo, in alia vasa, non soluto apparatu, defluere possit saturatus liquor; vacuataeque lagunculae aqua, iterum saturanda, impleri poterunt, per tubos ipsos securitatis causa intersertos. Aquae mensura una sesquialteram Chlori absumere valet; adeoque ponderis sui $\frac{1}{194}$.

7. ACIDUM PHOSPHOROSUM.

℞. Phosphori bacilli tubis inserantur vitreis sesquidecimetrum longis, centimetrali diametro, altera extremitate in capillarem fere tenuitatem ducta. Tubi isti aequo ordine dispositi immittantur in infundibulum, cujus emissarium inseratur collo lagunculae. Omnibus tunc superinducatur campana vitrea, ad fastigium et ad latus tubulata, vase excipienda, cui tantum aquae infundatur quantum sufficiet, ut ora inferior campanae ipsi immergatur. Phosphorus diffluet, in acidum liquorem versus, guttatimque, et ex tubis, et ex infundibulo destillans, in lagunculam confluet.

Hac opera, non equidem brevi absolvenda, habebitur Acidum Phosphorosum liquidum, sed lentescens et coloris expers. Nullius huc usque rebus in medicis usus est.

8. ACIDUM PHOSPHORICUM.

℞. Phosphori 500
Acidi Nitrici (52^{g}) 4,000

Arenae balneo imponatur retorta vitrea tubulata, interpositoque tubo, ipsi aptetur excipulum sphaericum, et lagunculae duae *Woulfianae*, tubis ad apparatus securitatem intersertis, aquam tenentes. Jun-

cturis luto obseratis, retortae infunditur Acidum, quod deinde igne incalescet donec bulliat; tunc demum immittatur frustatim Phosphorus.

Tamdiu vero operi instandum est, quamdiu introrsus exhalabit nitrosus vapor; abstinendum autem ubi, hoc cessante, Acidum Phosphoricum quod in retorta perstitit omni colore carebit.

Acidi Phosphorici frigidi plerumque nota 70 est graduum, densitas 1,946; ipsum vero in usus medicos aqua stillata ita diluunt, ut ad gradum 45 deducatur, et ad densitatem 1,454.

Notandum autem, dum opus peragitur, Acidum fieri densius, ita ut sub finem Phosphorus non jam fundum petat, sed innatet; aëris igitur contactu tunc tantum combustus, in excipulum transiret. Haec ne contingant, tunc temporis cessandum est, et apparatu frigefacto, refuso in retortam quod in excipulum cesserat Acido, iterum incalescat retorta, additoque quod Phosphori superest, fieri pergat, donec absoluta sit, operatio.

9. ACIDUM ACETICUM. ACIDI ACETICI DESTILLATIO DEBILIORIS, VULGO *ACETUM STILLATITIUM.*

℞. Aceti de vino optimi . . . *quantum opus est.*

Destillet balneo arenae ex retorta vel cucurbita vitrea, fere ad dodrantem, divisis in duo aut tria excipula, pro destillationis tempore, partibus,

Tunc, destillatione interrupta, quidquid in excipula transiit in lagunculis totidem servetur.

Qui primus destillavit liquor Acidum Aceticum est debilius, sed suavius olens.

Ultima pars densior est meraciorque, sed ob odorem empyreumaticum deterior.

10. ACIDUM ACETICUM PURUM, VULGO *ACETUM RADICALE.*

℞. Acetatis Cupri in pulverem redacti et exsiccati . . . . *quantum opus est.*

Ex retorta fictili in excipula destillet, igne sensim aucto, donec exhaustus sit Acetas.

Liquorem saepe tantillum viridem arenae balneo, ut artis est, destillando puriorem habebis.

Sic prodibit Acidum Aceticum, coloris expers et fragrantissimum, quod in areometro notabit 10 gradus, et cujus densitas aequabit 1,075.

11. ACIDUM TARTARICUM.

℞. Tartratis aciduli Potassae 1,000

Dilue in aquae bullientis sufficiente quantitate.

Dein partite et paulatim injice Carbonatis Calcis in pulverem redacti. 400

Vel quantum sufficit ad perfectam Acidi saturationem. Liquor turbidus quiescat. Transfundatur qui limpidus evaserit; qui vero subsedit Tartras Calcis, eluatur affusa identidem, donec insipida exstillet, aqua. Tunc Tartrate Calcis in vase fictili recepto et aqua calida diluto affunde,

Acidi Sulfurici (66^{g}) 400

Liquor acidus quiescat, limpidus decapuletur, vaporet balneo maris ad dimidias et ultra.

Iterum, igne remoto, quiescat, factusque illimis transfundatur liquor, ac demum vaporet ad eam densitatem ex qua concrescant crystalli, quas, repetitis solutionibus, puras, nec non pellucidas obtinebis. Iis Acidum Tartaricum constat.

N. B. Liquor primus, in quo Tartras Calcis subsedit, Tartratem Potassae nullatenus acidulum continet, qui in crystallos concretus servari potest ad medicos usus.

12. ACIDUM OXALICUM.

℞. Sacchari in pulverem triti 500
Acidi Nitrici (528) 3,000

Intromittatur Saccharum in retortam multi liquidi capacem, tubulatam, arenae balneo imponendam. Huic aptetur sphaericum excipulum, ex quo per tubum incurvum pateat exitus in lagunculam aqua plenam.

Per retortae tubulum primo injiciantur Acidi 1,500

Seu dimidia pars totius; modice incalescat arena; effervescet liquor; ubi cessaverit, vaporet; formabuntur crystalli, quas, ubi secesserint, eximes; tunc superstiti liquori affundes quod Acidi superest; qui, ubi defervuerit iterum, vaporabit, crystallosque ponet. Has quoque exemptas, prioribus admixtas aqua bulliente solves, purioresque demum Acidi Oxalici crystallos, ubi sufficienter liquor vaporaverit, obtinebis.

13. ACIDUM CITRICUM.

℞. Succi de Citreis expressi . . *quantum opus est.*

In vas faventinum indito; incalescat balneo maris; addatur deinde partitim.

Carbonatis Calcis . . . . . . *quantum sufficit,* ut saturetur Acidum. Ubi subsederit Citras Calcis, effuso liquore, eluatur aqua calida pluries, donec ea exstillet colore fere expers. Quo facto, siccetur.

Deinde

℞. Citratis Calcis dicta methodo parati . . . 3,000

Vase fictili, siliceo, vel faventino excipiantur, additis Aquae 6,000

Diluto penitus Citrate, adde

Acidi Sulfurici (66°) 2,000

Moveatur massa, quiescat; diluatur etiamnum in aquae 12,000

Incalescat lente, et demum bulliat liquor in vase argenteo vel plumbeo; et, ubi subsederit Sulfas Calcis, transfundatur et percoletur.

Sulfas qui subsidit eluatur, donec aqua nihil prorsus inde sapiat; aquae omnes, liquori commixtae priori, vaporent balneo maris, donec superficiei pellicula innatet; tunc in calidario reponatur liquor; subsidet in crystallos Acidum Citricum.

Quae, ut purae evadant, aquae stillata solvendae sunt, formataeque iterum, iterumque solutae, demum purissimae obtinebuntur et servabuntur ad usum.

14. ACIDUM BENZOICUM JUXTA METHODUM SCHEELIANAM.

℞. Calcem aqua solutam dilutamque, quam dicunt *lac Calcis*, scilicet Calcis 1

Dilutae in aquae 32

Benzoës in pulverem tritae 4

Misceatur primum Benzoës pulvis cum solutae Calcis quinta circiter parte, ac deinde paulatim addatur tota solutio. Bulliat sic mixtus liquor per horae quadrantem, simulque agitetur indesinenter; mox ab igne remotus quiescat, et qui limpidus evaserit transfundatur. Quod subsidet sedimentum nova ejusdem aquae calcis quantitate eluatur iterum atque iterum. Liquores singulis vicibus elutriati, et qui prius sepositus est, simul misceantur. Vaporent donec pars liquidi 16a tantum supersit.

Sic parato liquori guttatim admiscebitur Acidum Muriaticum, donec nihil prorsus subsidat, et liquor ipse gustu sentiatur non obscure acidus.

Quae subsederit materies charta bibula percolata, frigidaque lota non semel aqua, Acidum est Benzoïcum, quod duplici interpositum chartae exsiccabitur.

Hoc si, igne supposito, sublimare velis, habebis crystallos, acicularum forma; levissimas et laetissime splendentes.

Vasis vitreis perfecte obturatis, et obscuro in loco repositis, asservandum est *Acidum Benzoïcum*.

15. ACIDUM BENZOICUM PER SUBLIMATIONEM, OLIM *FLORES BENZOINI*.

℞. Benzoës optimae, in pulverem tritae non tenuissimum . . . . *quantum opus erit.*

Habeantur cymbia duo fictilia, quorum unum inversum alteri imponatur. Benzoë impleatur inferius, superiusque ipsi aptetur, junctis invicem oris, circumducta chartacea fascia conglutinatis. In superius autem cymbium aëri, cum lubebit, identidem pateat exitus per angustum foramen chartula obturandum.

His ita coaptatis, igne supposito, modico calore in superius cymbium Acidum Benzoïcum concrescet in flores albissimos, singulis horis colligendos. Ubi autem flavescent cessandum est.

Servabuntur in vase accurate clauso.

16. ACIDUM BORACICUM AUT IN CRYSTALLOS CONCRETUM AUT SUBLIMATUM.

℞. Sub-Boratis Sodae purissimi 320
Solvatur in Aquae stillatae bullientis . . 1,600
Cola et partitim adde
Acidi Sulfurici (66^{g}) 100

Resideat liquor, quo frigescente subsident crystalli, quas frigida lotas, iterum aqua bulliente dilues; un-

de iterum subsident crystalli puriores, quibus constat Acidum Boracicum.

Quod Acidum si sublimatum habere volucris, concretumque nivis instar, florum nomine, vaporet liquor donec pellicula supernatet; tunc, aptato cucurbitae capitello et receptaculo, destillet super arenam ad siccitatem. Aqua, quae prior destillavit, abjiciatur; quae posterior, servetur. Cum nihil stillat humoris amplius, sal volatilis sublimatur nivem aliquatenus referens: hoc exempto, vasis refrigeratis, materiae superstiti servatam liquoris stillatitii postremam partem affunde; destillet, liquorem serva: sublimati flores prioribus habebuntur copiosiores; servatusque liquor, superstiti materiae affusus, novos aget flores; quod iterari potest, donec nihil amplius sublimando concrescat.

17. ACIDUM SUCCINICUM.

V. Sect. IV, art. IV, pag. 64.

18. GAZ ACIDUM CARBONICUM.

℞. Carbonatem Calcis marmoreum, electo Marmore candidissimo.

Eum in frustula comminutum, in apparatu vasorum convenienti, Acido affuso muriatico (seu *Hydro-Chlorico*) ita dissolve, ut Gaz Acidum Carbonicum ex effervescente carbonate emanans, per aquam, ut purius habeatur, trajectum, excipiatur vasis notae capacitatis, quibus ad usum asservabitur.

Si, ad idem Gaz parandum, Cretam in Marmoris locum suffeceris; ad prius igne modico incandescat, ut odore prorsus careat. Tunc tritam et aqua dilutam solve, admixto Acido Sulfurico; et eodem vasorum apparatu Gaz excipiatur.

N. B. Acido Muriatico praestat uti, cum e Marmore Gaz elicitur; quia ex Acido Sulfurico concretus ad frustulorum superficiem sulfas calcis, brevi efficeret ne penitus Acido solveretur marmor; atque adeo, opere infecto, Acidi Carbonici effluvium subsisteret.

II. ALKALIA ET SUBCARBONATES ALKALINI.

ALKALIA LIXIVA; CARBONATES ET SUBCARBONATES ALKALINI; ALKALIA.

ALKALIA LIXIVA, ALKALIA E CINERIBUS LIXIVIS VAPORANDO CONCRETA, SALES LIXIVI DICTA.

Alkalia ista generatim constant mixtis Carbonate Potassae aut Sodae et neutris aliis salibus, quales sunt Sulfas Potassae, Sodaeque, Murias Sodae aut Potassae, etc., quibus abundant cineres ex combustis variis plantarum speciebus.

Inde conjectandum est, e tali variorum incertaque mistione, varios edi debere effectus; neque certe constare quid ab hoc medicamentorum genere expectandum sit. Nihilominus, cum ea saepius a medicis usurpentur, quo modo parari debeant a Pharmacopoeis hic exponere utile visum est.

Hoc salium genus semper fusco calore infectum est, et vasis asservandum perfecte clausis; pleraque enim humorem aëreum in se contrahere amant.

1. SAL PLANTARUM TACHENII METHODO PARATUS.

℞. Plantae cujuslibet siccatae, Absinthii (verbi gratia) . . . . *quantum opus est.*

Injice in cacabum ferreum operculo munitum; ignem admove ita temperatum, ut lente comburatur planta et in carbonem vertatur, fumos quidem emittendo quam plurimos, sed nulla erumpente flamma. Dein auferatur operculum, et igne continuato ustuletur carbo praedicto modo paratus, cavendo imprimis ne scintillando flammas emittat, massamque indesinenter agitando virga ferrea, quamdiu aliquid remanserit carbonis in cineres nondum conversi. Cinis ille postea cum aqua purissima, quae ipsius pondus superet sexies, fortissime bulliat. Lixivia haec fervens coletur per linteum: colata vaporet in vase ferreo ad siccitatem, summa cura sub finem movendo, ne ad fundum vasis adhaereat materies residua; quae sapore acris, colore subfusca, in aëre humido deliquescens, servetur in vase subere perfecte obturato.

Simili modo parari possunt Sales Lixivi

De Erythraea Centaurio,

Genista (*Spartium Scoparium*), etc.

SUBCARBONATES ALKALINI.

Quantumvis in sectione VIII et inter Sales melius certe Carbonates Alkalini et Subcarbonates ipsi locum tenuissent suum; nihilominus huc loci utilius referendos censuimus, propter praeparandi modum, proprietatem quarumdam analogias, et pronum adeo facilemque ipsorum ex ipsis Alkalibus ortum sub aëris contactu, parumque vulgarem me-

dicis in rebus usum Alkalium omni Acidi Carbonici connubio carentium.

2. SUBCARBONAS POTASSAE EX TARTARO COMBUSTO, VULGO DICTUS *SAL TARTARI.*

(Juxta Nomenclaturam Recentiorem *Sub-Deuto-Carbonas-Potassii.*)

℞. Tartratis aciduli Potassae communis . . . . *quantum volueris.*

Congestus in caldarium ferreum igne incandescat, moveaturque, donec nullus e materia exusta fumus emanet. Tunc aqua stillata solvetur; vaporet ad siccitatem; exsiccata materies servetur in vase subere perfecte obturato.

3. SUBCARBONAS POTASSAE EX DEFLAGRANTIBUS SIMUL TARTRATE ACIDULO POTASSAE ET NITRATE POTASSAE PARATUS, VULGO *NITRUM EX TARTARO FIXUM.*

((1) N. R. *Sub-Deuto-Carbonas-Potassii.*)

℞. Nitratis Potassae puri, et
Tartratis aciduli Potassae exsiccatorum et in pulverem tritorum . . . . . aa *partes aequales.*

Misce in mortario ferreo; materiam incende admoto Carbone candente; facta deflagratione, massam solve in Aquae stillatae . . *quantitate sufficienti.*

Cola, vaporet ad siccitatem, etc.

(1) Hae litterae N. R. indicabunt Nomenclaturam Recentiorem.

4. SUBCARBONAS POTASSAE EX DEFLAGRANTE CUM CARBONIBUS NITRATE POTASSAE PARATUS, VULGO *NITRUM FIXUM.*

(N. R. *Sub-Deuto-Carbonas Potassii.*)

℞. Nitratis Potassae puri 16

Igne liquescat in caldario ferreo, et supra fusam materiam projiciantur partitis vicibus

Carbonis in crassiorem pulverem triti . . . 2

Donec nullum appareat deflagrationis indicium.

Materiam adhuc calentem, e crucibulo exemptam, aqua stillata solve, cola, vaporet ad siccitatem.

5. CARBONAS POTASSAE.

(N. R. *Deuto-Carbonas Potassii.*)

℞. Carbonatis Calcis in minuta frustula divisi . . . . *quantum opus est.*

Conjiciantur vel in doliolum, vel in lagenam fictilem, duobus aperturis perviam. Aptetur uni tubus bis superius inferiusque in ∽ figuram incurvus, cujus pars superior pateat infundibuli forma. Alteri tubus alius inseratur, cujus curvaturae crus alterum descendat in lagunculam aqua plenam, collo et ore triplici; huic aptetur praeterea tubus ad securitatem rectus unus, aliusque incurvus alia laguncula excipiendus, ibique mergendus in aquam Subcarbonate Potassae ita saturam, ut notet gradus 28—30.

Omnibus ita dispositis, per infundibulum prioris tubi affundatur Acidum Muriaticum, aut Sulfuricum quod notet 20g. Atque ubi ex primo Acidi contactu Gaz Acidum Carbonicum efferbuerit, sedato motu, perge Acidum novum affundendo, interruptis pro effervescentia vicibus, donec, ex Potassae Subcarbonate in Carbonatem verso, sedimentum in floccos siliceum seponatur. Qua ope chartae emporeticae

separato; et ulterius ad Calcis usque saturationem Acido affuso, ab opere cessandum erit. Tunc in ultima laguncula sponte per quietem Carbonas Potassae secedet in crystallos, quas aqua stillata elues et servabis ad usum.

N. B. Si Sulfurico uteris, praestabit, non Cretam, sed Acidum in lagenam prius injecisse et huic deinde Cretam seu Calcis Carbonatem aqua dilutam affudisse; sic enim plenius, placidius et aequalius Acidum Carbonicum expedies, ut solutum Subcarbonati facilius uniatur.

6. SUBCARBONAS SODAE.

(N. R. *Sub-Deuto-Carbonas Sodii.*)

℞. Sodae Alicantinae,
Aut alius cujuscumque vulgo venalis . . . . *quantum opus est.*

Contundatur in pulverem crassiorem, aëri exponendum et identidem commovendum; qui, ubi albescet, aqua pluviali solvendus erit. Lixivia vaporabit donec ad densitatem, deducatur graduum 28 ad 40. Tunc quiescat, ut secedant crystalli, iterum aqua solvendae, iterumque vaporando reformandae, ut puriores habeantur.

7. SUBCARBONAS AMMONIAE.

℞. Muriatis Ammoniae in pulverem triti et exsiccati 6
Carbonatis Calcis in pulverem triti et exsiccati 5

Misceantur intime, simulque injiciantur in retortam siliceam, opime luto loricatam, cujus collo aptabis aut lagenam fictilem siliceam, aut vas plumbeum excipuli forma. Tunc igne supposito, imposita fornice, calor increscat sensim, donec nihil amplius in exci-

pulum transeat; quod facile cognosces, ubi omnem in eo caloris sese expedientis fervorem cessasse senties. Haec scilicet dum fiunt, aqua frigida aut glacie temperandus erit increscens excipuli calor, simulque expanso vapori, qui densari nequit, exitus aliquis inter juncturas concedendus est.

Idem excipulum pluribus destillationibus aptari valet; atque ubi requisita collecta est salis concreti copia, aut frangi si fictile, aut discindi si plumbeum sit, potest; quo facto, sal eximitur, et illico vasis perfecte obturandis committitur, et sic asservandus est.

Potest etiam idem Subcarbonas obtineri, adhibito Carbonate Potassae, in Carbonatis Calcis locum; et sic etiam àliquatenus purior habebitur; quidam, scilicet, ex Carbonate Calcis credunt nonnihil Calcis ipsius cum Ammoniae Subcarbonate in sublime evehi.

Vid. et Subcarbonatem Ammoniae destillatione paratum.

Sect. IV, art. IV, pag. 66 et 68.

9. SUBCARBONAS MAGNESIAE.

(N. R. *Sub-Carbonas Magnesii.*)

℞. Sulfatis Magnesiae 10
Solve in Aquae purissimae 50

Cola, affunde Subcarbonatis Potassae liquidi sufficientem quantitatem, quae Magnesiae disjunctio ab Acido sulfatis absolvi possit.

Quod secesserit sedimentum supra telas repone, ut exstillet totus humor. Aqua deinde pura ablue, donec ex lotura, solutione Muriatis Barytici instillata, nihil prorsus subsidat.

Quo facto, ut Magnesia probe siccetur, reponenda est supra tabulas e materia maxime bibula confectas,

scilicet cretaceas, gypseas, ligneas e ligno albo leviori, loco sicco, modice calenti reponendas.

ALKALIA.

9. POTASSA OPE CALCIS PARATA ET IGNE FUSA, OLIM *LAPIS CAUSTICUS.*

(N. R. *Deutoxidum Potassii.*)

℞. Subcarbonatis Potassae	200
Calcis in minima frustula contritae . . .	100
Fiat Lixivia cum aquae communis . . .	1,200

Cola per linteum. Liquor colatus, vase aeneo exceptus, vaporet igne aperto ad siccitatem. Sicca materies in crucibulo fusa, lenteque diffluens, in patinam aut calidum marmor effundatur, et ubi friguerit durueritque, in frustula divisa, diligenter in vase sicco, magna cum cura obturando, reponatur.

POTASSA LIQUIDA.

Si eadem Lixivia fiat majori quantitate Aquae, scilicet . . . . 3,000, similiter percoletur, et eo vaporando usque addensetur, donec, immerso areometro, gradum 36 non superet; eadem post subsidentiam elutriata, habebitur *Potassa liquida*, cujus densitas aequabit 1,334; adeoque phiala trium Aquae unciarum capax, capiet hujus liquoris uncias quatuor. Ea praesertim utuntur in conficiendo Sapone, ex quo paratur Balsamum dictum *Opodeldoch. V:* infra sect. VIII. art. *Sapones,* n° 6.

N. B. Si Potassam omnino puram, scilicet et alienis salibus, et omni carbonate admixtis liberam, tibi comparare volueris, chymicos praesertim in usus, Potassam liquidam, vaporando exsiccatam, solvas Alcoole purissimo (30=40 Bé.); deinde pars Alcoolis

destillando exhauriatur. Quod in retorta superest vaporet in pelve argentea. Superficiei obducetur pellicula nigricans, cochleari eximenda. Liquorem residuum diffunde super orbes planos argenteos. Concrescet Potassa purissima, lagunculis illico concludenda perfecte obturatis. Haec est quam vocant *Potassam ex Alcoole*, ipso Lapide Caustico, si igne fusa fuerit, multo majorem vim exerens, ad cauteria certe nimiam, imo nocivam.

Si Alcool (26=36 Bé) sit hac Potassa satur, ipsius quartam sui partem solutam tenebit, et tincturam constituet colore intense flavo aut rubicundo notandam, similem prorsus illi tam celebratae olim *Metallorum Tincturae*, quam alio nomine *Lilium Paracelsi* chymici veteres nuncupavere.

10. SODA CAUSTICA LIQUIDA, VULGO *LIXIVIA SAPONARIORUM.*

℞. Calcis in minima frustula contritae . . . 500
Carbonatis Sodae 1,000
Bulliant cum aquae . . . *sufficienti quantitate.*

Coletur lixivia; vaporet, donec vas aquae communis drachmarum octo capax teneat lixiviae densatae drachmas undecim, eadem vero frigida, notet gradus in areometro 36.

Tunc repone, ut post subsidentiam elutrietur liquor, excipiendus vase vitreo clauso.

11. AMMONIA, VULGO *SPIRITUS SALIS AMMONIACI OPE CALCIS PARATUS.*

℞. Muriatis Ammoniae 400
Calcis novissime extinctae. 400

Utraque materies, seorsim in pulverem tritae, mixtae celeriter, conjiciantur in retortam capacem

loricatam. Retortae aptetur excipulum sphaericum, cui addatur aliud intermedium longius, quo mediante series omnis desinat in apparatum *Woulfianum.*

Statim affunde in secundam tertiamque lagenam Aquae stillatae 400

In primam autem multo pauciorem aquam, Gaz eluendo tantum destinatam, et quae, opere confecto, rejicienda est. Ammoniam enim prior haec aqua tenebit minus puram et alieno colore inquinatam.

His ita dispositis, et commissuris probe obturatis destillent, ignem gradatim augendo, donec nihil amplius prodeat, refrigeratis omnibus, aquam Ammonia saturam celeriter exime, et serva in vase perfecte obturato.

Ammonia liquida hoc modo parata notat gradus 12=22 Bé, et densitate aequat 0,923.

12. MAGNESIAE PURAE PRAEPARATIO.

(N. R. *Oxidum Magnesii.*)

℞. Carbonatis Magnesiae . . . *quantum opus est.*

Hic exceptus crucibulo fictili, ignis experiatur vim non mediocrem, donec ita sit exustus, ut Acidi Muriatici contactu nullatenus effervescat. Tunc frigescat, servetur in vase perfecte obturato.

His ita peractis, exclusis dissipatisque acido et aqua, Magnesia superstes aequabit partem tertiam carbonatis adhibiti.

III METALLA ET OXIDA METALLICA.

Metallis Pharmacopoei utuntur quibusdam integris et nitore metallico splendentibus, aliis in Oxidorum formam versis.

Oxida ut *Oxidationis* gradu varia sunt; atque adeo variam medicamentis impertiunt efficaciam, maxima cura talia eligi debent, qualia conveniunt ad propositum finem.

Metalla integra, purissima aut eligi, aut effici debent; adeoque propriis indiciis exploranda sunt ea quae ex officinis majoribus in varios usus efferuntur. Iis enim saepius adulteratis vis medicamentis accedit a requisita efficacia prorsus aliena.

Neque minus vulgo venalibus Oxidis attendere debet Pharmacopoeus; saepius enim, praesertim quae ex Plumbo, Antimonio, Zinco, Bismutho parata sunt, impura reperiuntur, et arte indigent sollicita, ut in sinceritatem debitam referantur.

1°. METALLA.

1. STIBIUM, olim *REGULUS ANTIMONII.*

℞. Sulfureti Stibii	16
Tartratis aciduli Potassae	12
Nitratis Potassae	6

Seorsim et tenuissime trita, ac deinde commixta, in crucibulum eumdem ope cochlearis ferrei per partes injice; singulis vicibus deflagrent, cooperto crucibulo; omni deflagratione peracta, augeatur ignis donec fluida fiat materia; hanc fluentem in conum ferreum calefactum, illitumque sebo effunde; ictibus identidem modicis concute conum. Solidescet materia. Stibium ipsum, quod fundum occupat, excipe exemptis scoriis.

2. HYDRARGYRUM EX SULFURETO RUBRO PURUM.

℞. Hydrargyri in Sulfuretum rubrum conversi 1,000
Terendo misce cum Scobis Ferri, vel cum Calcis 500

Ingerantur in retortam fictilem siliceam, loricatam, cujus dimidia vel tertia pars vacua remaneat. Excipulum aptetur vitreum, amplum, aquam frigidam tenens. Collum autem retortae sit solito longius, et aquae superficiem contingat. Huius ori circumducatur ope vinculi linteum, jacturae evitandae causa, ut globuli Hydrargyri ex collo delabentes, per linteum madidum collecti trajectique, aquae fundum petant.

His ita dispositis, igne sensim aucto, donec incandescat retorta, fiat destillatio. Hydrargyrum autem quod stillavit aqua inhaerente liberabitur, si aut linteo densiori, aut pelle Rupicaprae exceptum, noduloque conclusum expresseris.

2°. OXIDA METALLICA.

Huc referenda censuimus, non Oxida tantum pura, sed quaedam quibus Acidorum quantitas adhucdum inhaeret adeo parva, ut ea diu Oxidis annummerare soliti fuerint Pharmacopoei; quorum caeteroquin differentiam a veris Oxidis singulatim indicavimus.

1. OXIDUM AUT POTIUS SUBNITRAS BISMUTHI, DICTUM VULGO *MAGISTERIUM BISMUTHI.*

(N. R. *Sub-Nitras Bismuthi.*)

℞. Bismuthi 60
Acidi Nitrici (32°) 180

Bismuthum in frustula contusum dissolve Acido Nitrico; solutum misce cum Aquae stillatae 240

Liquor fiet turbidus, quem colatum effundes in vas vitreum, amplum, quod teneat aquae stillatae copiam vicies circiter majorem. Pulverem subsidentem album, perfectissime elutum, loco calido, radiis solaribus impervio, sicca et usui serva.

2. OXIDUM FERRI NIGRUM AQUA PARATUM, VULGO *AETHIOPS MARTIALIS.*

(N. R. *Protoxidum Ferri.*)

℞. Scobis seu *Limaturae* Ferri praeparatae . . . . *quantum opus est.*

Repone in vas late patens, vitreum aut testaceum; affunde aquam communem optime repurgatam, quae limatum ferrum superemineat ad sex digitorum altitudinem. Singulis diebus, vas saepius exagites, servesque continuo tectum, ne Aëri ad Ferrum detur accessus, et, si fuerit opus, novam aquam adjice, ut nullo non tempore ferrum ad eamdem altitudinem supereminеat. Quod ni feceris diligenter, ferrum in grumos concrescet non facile terendos, et operam perdes. His per plures hebdomadas repetitis, pulvis nigerrimus et subtilissimus turbabit aquam supernatantem, quam sic turbidam in colum chartaceum conjicies, unde sedulo colliges sedimentum, probe ac celeriter exsiccandum in cucurbita destillatoria capitello tecta.

Nota. Brevius adhuc et facilius parari potest Oxidum Ferri nigrum, ope machinae ita dispositae, ut scobs Ferri aquae immersa continuo motu indesinenter exagitetur.

5. OXIDUM FERRI NIGRUM, VULGO *AETHIOPS MARTIALIS* ACIDI ACETICI OPE PARATUM.

℞. Sulfatis Ferri purissimi 500
Aquae stillatae simplicis 4,000

Aqua solvatur Sulfas, coletur, et ipsi per vices addantur

Subcarbonatis Sodae 500

Soluti in Aquae stillatae 4,000

Materies quae subsidet, effuso liquore, eluatur perfecte, lente exsiccanda; cui deinde affundatur Acidum Aceticum debilius, cujus ad materiam sit ratio ut 5 ad 8; haec intime mixta ingerantur in retortam fictilem siliceam loricatam; destillent, ut artis est, sub fornice; frigescant, Oxidum e retorta residuum eximatur et servetur medicos in usus.

4. OXIDUM FERRI FUSCUM, DICTUS VULGO *CROCUS MARTIS APERIENS.*

(N. R. *Sub-Deuto-Carbonas Ferri.*)

℞. Sulfatis Ferri 500

Soluti in Aquae stillatae 4,000

Subcarbonatis Potassae vel Sodae liquidi . . . . *quod sufficit,*

ut omne Oxidum praeceps subsidat; praecipitatum aqua calida ablue, sicca, in pulverem tere, et vase clauso serva.

Idem quoque Rori expositum paratur sequenti modo.

℞. Scobis Ferri purissimae . . *quantum opus est.*

Rori exponatur, vel aqua pluviali identidem irroretur, donec in rubiginem vertatur, supra porphyriten absque aqua levigandam. Serva ad usum.

5. OXIDUM FERRI RUBRUM, DICTUM VULGO *COLCOTHAR.*

℞. Sulfatis Ferri . . . . . . *quantum opus est.*

Exceptum crucibulo igne forti exure, donec in massam obscure rubram vertatur; serva ad usum.

Quam si materiam aqua bullienti probe eluas, ha-

bebitur Oxidum Ferri rubrum, seu *Deutoxidum* purissimum.

6. OXIDUM ZINCI, *FLORES ZINCI* DICTUM.

(N. R. *Oxidum Zinci.*)

℞. Zinci . . . . *quantum opus est.*

Excipe crucibulo amplo et alto, medias inter prunas reponendo. Eousque ignis intendatur, donec fluat Metallum, ac tandem erumpat in flammam ex caeruleo viridem. Tum crucibulum contege, vel Cochleari Ferreo, vel alio crucibulo inverso, ut colligantur flocci seu *Flores* (sic dicti vulgato nomine) albi et levissimi, floccorum nivis instar. Nisi scilicet retineantur, totum sic dissipabitur et avolabit Zincum, et officinae spatium omne lanugine quadam per aëra volitante obnubilabitur; unde Oxidum illud non inepto nomine vocabatur a veteribus *Nihil album*, atque etiam *Lana philosophica*. Istos tamen floccos id ntidem Cochlearis ope eximes, ut metalli superficies nudetur et libere deflagrare pergat.

7. OXIDUM ZINCI PRAECIPITATIONE PARANDUM AUT POTIUS SUBCARBONAS ZINCI.

(N. R. *Sub-Carbonas Zinci.*)

℞. Sulfatis Zinci purissimi . . *quantum opus est.*

Aquae sufficienti quantitate solvatur. Soluto adjiciatur paulatim Subcarbonas Potassae, tandiu dum nihil subsidat. Praecipitatam materiem seu Subcarbonatem Zinci, probe elues, et habebitur Oxidum Zinci praecipitatione paratum.

Exsicca et serva ad usum.

8. OXIDUM STIBII ALBUM, MEDIANTE NITRO CONFECTUM, vulgo *ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.*

℞. Stibii purissimi (olim *Reguli Antimonii*).
Nitratis Potassae purissimi a a 250
In pulverem redacta misce. Mixta cochlearis ope conjice in crucibulum candens; singulis vicibus deflagrabit materies; peracta omni deflagratione, augeatur ignis per horam circiter dimidiam, qua quidem elapsa, materies semifluens projiciatur in aquam. Qui subsidet pulvis lotionibus pluries repetitis eluatur, donec aqua nullo sapore imbuatur.

Ea materies constat unitis Oxido Antimonii et parte circiter quinta Potassae: si vero aquae, qua materies eluta est, admisceatur Acidum Aceticum, ea lactescit, praecepsque subsidit materies albissima, quae charta emporetica collecta, lota pluries et exsiccata, constituet peroxidum Stibii. Eam vulgo nuncuparunt *materiam Kerkringii perlatam.*

9. OXIDUM, seu SUBMURIAS STIBII, PRAECIPITANDO PARATUM, dictum olim *PULVIS ALGAROTH*, vel *MERCURIUS VITAE.*

(N. R. *Sub-Murias Stibii.*)

℞. Muriatis Stibii liquidi, vulgo *Butyrum Antimonii* vocatum . . . . *quantum opus est.*
Aquae stillatae . . . . . . *quod sufficit.*
Agitando misce, subsidet illico pulvis.
Hunc repetitis vicibus aqua pura frigidaque elue, sicca et serva ad usum.

10. OXIDUM HYDRARGYRI NIGRUM PRAECIPITANDO PARATUM.

(N. R. *Protoxidum Hydrargyri.*)

℞. Proto-Nitratis, seu Nitratis Hydrargyri parum Oxidati 100
Soluti in aquae stillatae 1,600
Instilla paulatim
Potassae liquidae purae . . . . *quod sufficit;*
scilicet, donec nihil amplius subsidat: pulverem nigrum aqua stillata probe ablutum sicca, et in vase vitreo clauso loco obscuro, usui serva.

11. OXIDUM HYDRARGYRI NIGRUM, MEDIANTE AMMONIA EX PROTO-NITRATE HYDRARGYRI PRAECIPITATUM, VULGO DICTUM *MERCURIUS HAHNEMANNI SOLUBILIS.*

(N. R. *Sub-Proto-Nitras Hydrargyri et Ammoniae.*)

℞. Hydrargyri liquidi purissimi 6
Acidi Nitrici puri (35°). 4

Excipiantur phiala vitrea, et igne supposito incalescant, ut solvi incipiat Hydrargyrum. Liquor bulliat pergat, donec in ipso manifesta fiat massa flava crystallina; continuatoque etiamnum aliquantisper calore, subducatur tandem ignis, exagiteturque liquor, ut coeat in crystallos confuse intermixtas, flavescentes.

Tunc quidquid in phiala est effundatur in mortarium vitreum; et quod Hydrargyri intactum superest terendo sali commisceatur. Affundatur interim aqua stillata cum Acidi Nitrici pauxillo, teranturque diu; resideant paululum; decapuletur liquor. Residuae materiei affundantur iterum et aqua et Acidi Nitrici pauxillum, teranturque; et sic perge, donec quidquid

salis est solutum sit, et solum supersit quod intactum remansit Hydrargyrum.

His peractis, liquores omnes in vas vitreum collige, et, ope bacilli vitrei assidue commovendo, ipsis guttatim instilla Ammoniam, ita caute, ut non excedat quod sufficit ut praeceps subsidat Oxidum Hydrargyri nigrum, Acido liberum. Resideat paulisper liquor, positoque pulvere decapuletur. Tunc qui subsidit pulvis eluatur pluries, extendatur supra chartam emporeticam, ut exstillet humor, pressusque etiam intra chartam duplicem bibulam penitius siccetur, ac demum in tepidario, aversa luce, omnino exarescat.

Servetur hic pulvis in laguncula, charta nigra extus obducta.

Nonnulli inter chymicos viros hunc Oxidum putant insigniendum nomine *Sub-Proto-Nitratis Hydrargyri et Ammoniae.*

12. OXIDUM HYDRARGYRI RUBRUM SEU PEROXIDUM HYDRARGYRI, OLIM *MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.*

(N. R. *Deutoxidum Hydrargyri.*)

℞. Hydrargyri e Sulfureto redivivi 160
Acidi Nitrici (32^{g}) 180

Scilicet quantitatem sufficientem ut ea Mercurius plene solvi queat.

Mercurius ingeratur in *matratium*, cujus ima pars plana sit, arenaeque tepidae insideat. Acidum affunde, modicoque adjuvante calore, fiat solutio. Qua peracta, aucto calore, vaporet liquor ad siccitatem usque; ac demum haecce materies incandescat igne increscente, donec nullus amplius emanet nitrosus vapor. Lente deinde frigescat Oxidum residuum, quod exime et serva.

Si Oxidum omni Acido carens, adeoque nulla prorsus vi caustica metuendum habere necesse sit, parabitur sequenti modo.

13. OXIDUM SEU PEROXIDUM HYDRARGYRI RUBRUM, ABSQUE ACIDO, PROTRACTA CALORIS VI CUM AERIS CONTACTU PARATUM, DICTUM OLIM *MERCURIUS PRAECIPITATUS PER SE.*

(N. R. *Deutoxidum Hydrargyri.*)

℞. Hydrargyri puri . . . . . *quantum opus est.*

Excipiatur pluribus ampullis fundo planis, collo in capillarem tenuitatem ducto, ea quantitate qua uniuscujusque ampullae fundus tantummodo obtegatur. Imponatur supra arenam, igne sensim aucto, fere ut bulliat; et sic pergat non intermissum opus per aliquot menses; interea pulverem oblinebis subrubrum; quo seposito, digeretur usque eodem modo Hydrargyrum superstes, donec in pulverem rubicundum fere totum abierit.

SULFUR.

SULFUR PRAECIPITATUM, DICTUM OLIM *MAGISTERIUM SULFURIS.*

℞. Sulfureti Potassae, vel Sodae, vel Calcis
. . . . *quantum opus est.*
Solve in Aquae bullientis . . *quantum sufficit.*
Cola et instilla
Acidi Acetici . . . . *quod sufficit.*
ut Sulfur omne subsidat; dein cola, et praecipitatum probe elutum et siccatum usui serva.

N. B. Quantumvis purum videatur, etiamsi bene lotum, Sulfur hoc modo paratum quibusdam notis differt a sublimato; subtiliorem multo pulverem constituit; ubi recens est, odore proprio adhucdum distinguitur; igne fusum, mollius est ac tractabilius, nec adeo fragile est ut Sulfur alia methodo praeparatum.

SULFUR SUBLIMATUM, seu *Flores Sulfuris*, inter venalia recensendum est. Sed, ob inhaerentem Acidi semper aliquam partem, semper est sollicite eluendum; de qua lotione, *vide* pag. 9, art. *Purgatio et Mundatio*, n° 5.

PHOSPHORUS.

℞. Ossium Boum aut Ovium, ad albedinem exustorum et in tenuissimum pulverem redactorum 12,000

Cupa lignea aut plumbea exceptum pulverem aqua dilue, quantum sufficit ut coeat in pultem lente diffluentem, cui paulatim adde

Acidi Sulfurici (66^{g}) . . . . , 10,000

Bacillo simul exagita; effervescet et incalescet multum liquor, et in magma spississimum densabitur; quod, affusa nova aquae copia diluetur rursus, ut diffluat in pultem sat liquidam; quam residere sines per viginti quatuor horas, ut Acidi Sulfurici vis in Phosphatem calcis sese exserat penitius;

Hanc pultem tunc aqua bullienti elue; per telam textus densioris cola; tamdiuque eluendo perge, donec nulla in aquis lixivis aciditatis nota deprehendatur. Aqua autem e colo diffluens excipietur vasis aut fictilibus siliceis, aut ligneis, videlicet nullatenus acido erodendis.

Haec aqua, soluto Phosphate calcis acido feta, tenet insuper non nihil sulfatis calcis acido mediante soluti, quo sequenti modo liberabitur.

Vaporet, scilicet, in cupreo aut plumbeo caldario et in Syrupi spissitudinem addensetur. Sulfas calcis ad fundum praeceps feretur, qui etiamnum eluetur, et inde diffluentes aquae priori commiscebuntur. Tunc omnes solo jam fere Phosphate calcis acido fetae, vaporabunt iterum ad Syrupi densitatem.

Quo facto, sic addensata materies, remixta ipsi quarta parte carbonis in pulverem triti, in pelve ferrea, ad rubedinem usque exuretur, et penitus exsiccabitur.

Eam tunc excipiet retorta fictilis silicea, ipsaque implebitur ad capacitatis dodrantem usque. Furno retorta committatur fornice lecto. Ipsius collo aptetur vas cupreum, in tubum productum, quod, trajecto subereo obturaculo, excipietur lagena vitrea, aqua ad medietatem usque plena. Luto contegantur cuprei vasis orae retortae collo coaptatae. Tubus quoque rectus vitreus, Suberi insertus, intra lagenam pateat, centimetrali diametro, octo aut novem decimetra altus.

His ita dispositis, furni, quotquot sunt, juncturis luto perfecte obseratis, lutoque ad perfectam siccitatem perducto, submittatur retortae ignis, calorque ita paulatim increscat, ut non ante alteram horam fundus retortae rubescat. Tunc impleatur ita carbone furnus ut nunquam nisi ardentibus prunis ipsa contingatur retorta. Saepius interea, virga ferrea, furni craticula cineribus, quibus erit impedita, liberetur.

Post expeditum primis horis gaz, carbonis oxido et hydrogenio carbonato constans, elapsis tandem quatuor ut plurimum horis, prodit Phosphorus, oxido carbonis et hydrogenio Phosphorato simul comitantibus forma elastica, per tubi ostium superius

facile observanda; si aliquando remittant, indicium est ignis incitandi, donec tale nihil amplius prodeat; quod fiet post elapsas viginti quatuor aut triginta horas. Tunc, opere confecto, ab igne cessandum est.

Phosphori quae prodiit pars prior pura est, pellucida et fere incolor, posterior admixto carbone aliquo opacior et ex flavo rubens. Hanc inclusam nodulo, ex pelle Rupicaprae confecto, sub aqua ad gradum 45 incalescente exprimes, et transadiges fusum aquae calore et puram. Phosphorum puriorem etiam obtinebis, si retorta vitrea, sed parca simul quantitate, scilicet aliquot grammatum, destillare curaveris.

Phosphorum facile asservabis, si fusum sub aqua, ad gradum 45 incalescente, in tubos vitreos, ore ad ostium superius aptato, caute attrahas: plenos deinde tubos in aquam frigidam immerges: sic informabitur Phosphorus in cylindros seu bacillos, facile, vel in ipsis tubis, vel etiam nudos sub aqua conservandos, donec ad usus medicos requirantur.

CARBONES.

Vide Sect I., *Praeparationes*, Art. *in Pulverem Resolutio*, n° 23, pag. 22.

Vide Sect. IV. Art. IV, *Destillatio Cornu Cervi*, pag. 65, 66.

CARBO DE SPONGIIS.

Praeter Muriates Sodae, Magnesiae et Calcis, quibus inficiuntur Spongiae illotae, quales habemus vulgo venalas, multis quoque ipsarum areolae implentur passim conchyliis, sat firmiter adhaerentibus.

Haec omnia accuratius elui debent, antequam exurantur et vertantur Spongiae in Carbonem usui interno destinatum.

Non aeque illas expurgare convenit, quarum Carbo usui externo aptandus est, illotasque sic praeparare satius est.

Ad quemlibet usum apparandae sint, idem esse debet exurendi modus; scilicet:

℞. Spongiarum siccarum lotarum aut illatarum . . . . *quantum opus est.*

Crucibulum fictili ipsis impleatur modice compressis, cooperiaturque operculo filis ferreis revincto, duplici foramine pertuso; prunisque imponatur ardentibus. Tunc ignis folle incitetur, donec nullus per foramina fumus exhalet; quo facto, frigefacto crucibulo, remoto operculo, Carbo reperitur in pulverem terendus, et asservandus in laguncula perfecte obturata.

SECTIO OCTAVA.

Medicamenta per Synthesim, seu ex unitis arte Chymica elementis composita.

AETHERES ET LIQUORES AETHEREI ALCOOLISATI, ACIDA ALCOOLISATA, SALES, SULFURETA, SAPONES, AQUAE MINERALES ARTE FACTAE.

I. AETHERES ET LIQUORES AETHEREI ALCOOLISATI.

Si misceantur simul Acidum et Alcool, debita remixtum utrumque quantitate, cautelisque justis adhibitis, ac deinde apto vasorum apparatu stillent, habebuntur aut *Aetherei* dicti liquores, aut *Aetheres* ipsi.

Acida, Sulfuricum, Nitricum, Muriaticum, Aceticumque, raro Phosphoricum, huc usque sola ad conficiendos Aetheres liquoresque Aethereos adhibita sunt, nec aliis uti solent Medici, nondum autem Phosphorico.

Quod Acido cuilibet nomen, idem quoque Aetheribus ex ipso confectis additum est.

Neque una omnes methodo perfici aeque possunt, variis utimur ad singulos artificiis.

Omnibus id commune est, ut sint summe volatiles et rapidissime conflagrent; unde, lumine averso, transfundere prudentium est. Proprio singuli odore, proprioque sapore discernuntur.

Ab alienis admixtis puros omnino adhibere convenit. Probe obturatis in vasis asservandi sunt, et in frigidissimo loco reponendi.

1. AETHER SULFURICUS.

℞. Alcoolis (26=36 Bé) . . . } aa 5,000 (1)
Acidi Sulfurici (66g) . . . }

Excipiatur primum Alcool retorta vitrea, in quam superius pateat os tubulatum; per hoc infundatur acidum, et agitando permisceatur Alcooli. Tum retorta arenae imponatur calenti; rostrumque ipsius producatur addito tubo vitreo, longo, cui aptetur, juncturis probe consertis, vas sphaericum, amplum, cujus ima pars aquae immergatur perpetuo frigidae; ex hoc autem, per ostium tubulatum, infra liquori stillanti pateat exitus in excipula, aut lagunculas,

---

(1) Notandum, quantumvis generalibus numeris hic solam utrorumque rationem indicare fuerit animus, singulorum quantitate, pro lubitu, unicuique augenda aut minuenda, operam tamen male admodum, si parca nimis copia coëant Alcool et Acidum, meliusque omnino successuram, si mensurae, quae quatuor impleant aut quinque bilibres lagenas, aut aequent totidem kilogrammata, ad opus conficiendnm adhibeantur.

Si vero minori copia Aetherem Sulfuricum parare volueris, habeas retortam, excipulum sphaericum retortae collo aptatum, lagunculas tres, quarum pars dimidia tantum aqua impleatur; tuboque ad securitatem apparatus inserto, et via ab excipulo in lagunculam priorem, ac vicissim ex priore in alteram, indeque in tertiam, per tubos incurvos sub aquam patente, juxta methodum *Woulfianam*, fiat destillatio ut artis est.

progrediente destillatione commutanda. Ori autem retortae tubulato inserendum est infundibulum duplici instructum epistomio, infundibulique os inferius non procul absit a retortae fundo.

His ita dispositis, ignem arenae submittito; quo citius in retorta bulliant mixti liquores. Liquor in excipula stillabit, cujus ubi quantitas 1,000 aequaverit, pari ratione sufficiatur novus Alcool in illius locum qui prius Aetheris forma stillando decesserit; idque repetitis fiat vicibus, donec aequa priori Alcoolis quantitas, scilicet 5,000 adjecta sit. Quod ubi absolutum erit, destillare pergat liquor aethereus, donec in excipula 7,500 transierint.

Hac arte confectus Aether purior evadet si aliquantulum Potassae liquidae ipsi agitando commiscueris, et deinde balnei maris calore destillare curaveris. Quae primo prodibit tertia totius pars, scilicet 2,500, Aether erit purissimus, cujus erit nota 46=56 Bé, densitas autem aequabit 758. Talis Aether ad usus medicos habetur purissimus; potest tamen etiam in densitatem usque 715 tenuari, scilicet, ad gradum usque 56=66 Bé evehi. Pari quantitate sequetur *Aether* dictus *Alcoolisatus*, 35=45 Bé, cujus densitas erit 805, et quem olim *liquorem Hoffmanni anodynum* nuncupabant.

Nota. Si *Aetherem Sulfuricum Alcoolisatum*, seu *Liquorem Hoffmanni* tantummodo obtinere sit animus, misceantur Alcoolis et Acidi pondera, quorum ratio sit 2 Alcoolis et 1 Acidi, et sic destillent. Excipiaturque non interrupte dimidia pars totius, scilicet, ex commixtis Alcoolis 10,000 et Acidi 5,000, habebuntur liquoris Aetherei Alcoolisati 7,500.

2. AETHER NITRICUS.

Si, ut fit aliquoties, speciatim a medico praescribatur Aether Nitricus, Pharmacopoeos ex tempore ipsum methodo sequenti praeparare convenit.

℞. Acidi Nitrici (34°) . . . . } a a 500
Alcoolis (26 = 36 Bé) . . . . . . }

Per os tubulatum infundantur in retortam tripodi ferreo impositam, cui furnus ita supponatur, ut amoveri facile possit. Ante tamen quam ignis admoveatur, rostro retortae addatur tubus in ventrem ampliatus, tuboque globus vitreus amplissimus, globoque apparatus quem dixere *de Woulf*, constans scilicet quinque vel sex vasis, quorum duos trientes implebit Aqua Sodae Muriate satura, ipsorumque vasorum fundus frigidissime excipietur cymbiis, mixtis una glacie et Sodae Muriate plenis.

Tunc modice incalescat igne supposito retorta, et ad primas liquoris subfervidi bullas, subducto igne, sponte et proprio motu totum opus perficietur. Quo peracto, quod liquidi in retorta superest siphunculo eximetur; novaque Acidi et Alcoolis pondera sufficientur, donec habeatur omnis qui requiritur Aether. Interea Aethereus vapor tuborum ductu aquam sale fetam permeat supernatatque, et ab ea facile secerni potest; idemque purior deinde leni calore destillabit in excipula glacie circumsepta.

Ut asservetur Nitricus Aether, misceatur primum cum aqua seu lacte calcis, et saepius unam per diem exagitetur; deinde transfundatur aquam supernatans, serveturque loco obscuro, frigido, laguneulis plenis; nec magna quantitate parandus est, facile enim, aut sponte, aut modico sub calore Acidum ab Alcoole dissociatur.

Potionibus aqueis additus hic Aether in Acidum facile vertitur.

Aether Alcoolisatus Nitricus parari potest in vasis Woulfiani apparatus, si in locum Aquae salitae Alcoole suffecto, huic Aether sese destillando admisceat, donec pondus Alcoolis duplo increverit. Idem aeque paratur, si Alcoolis pars pondere duplex cum simplici Acidi Nitrici simul destillent, neque cura habeatur Aetheris prius conficiendi.

Aetheris Nitrici gradus in areometro erit 16=26 Bé, densitas autem 900,6.

Aetheris autem Alcoolisati gradus 22=32 Bé, densitas 868,5.

3. AETHER MURIATICUS.

(N. R. *Aether Hydrochloricus.*)

℞. Acidi Muriatici (25^g)
Alcoolis (30=40 Bé) a a . . . *pondus aequale.*

Conjice in retortam vitream arenae impositam, cui aptetur apparatus destillatorius dictus *de Woulf.*

In primum hujus apparatus excipulum affunde sufficientem quantitatem aquae ad duodecim aut quindecim usque gradus calentis, altero et sequentibus excipulis, si plura addidisse libuerit, vacuis, altioris multo quam latioris formae, glacie circumdatis. Sic destillent mixti liquores leni igne. Gaz Aethereum in prius excipulum transiens, ibi sese Acido et Alcoole liberabit, in posterioribus refrigescet; liquidi formam induet, et erit Aether Muriaticus, in vase accurate clauso et loco frigido reponendus.

Si in secundum excipulum Alcoolem immiseris, huic Gaz Aethereum admiscebitur, atque ubi pondus Alcoolis duplo increverit, *Aether Alcoolisatus Muriaticus* habebitur.

Aether autem purus ad areometrum gradus notabit 16=26 Bé. Densitas erit 900,6.

Aether Alcoolisatus notabit 22=32 Bé; ejus densitas erit 868,5.

. . . .

4. AETHER ACETICUS.

℞.	Alcoolis (30=40 Bé)	3,000
	Acidi Acetici (10^g)	2,000
	Acidi Sulfurici (66^g)	625

Immittantur primo in retortam vitream Alcool unaque Acidum Aceticum.

Addatur postremo Acidum Sulfuricum, motaque retorta, omnia intime commisceantur: excipulum deinde aptetur retortae, interposito tubo in ventrem ampliato. Tum, igne sensim aucto, destillent donec transierint in excipulum liquoris stillatitii . . . 4,000

Huic liquori modica quantitas Subcarbonatis Potassae agitando commisceatur, quiescat, ut subsidat subcarbonas, transfundatur liquor, destilletque, denuo purioris Aetheris excipiatur quantitas aequans 3,000

Hujus nota erit 13=23 Bé, densitas 917.

Alio quoque modo parari potest Aether idem, non adhibito Acido Sulfurico.

Sumantur scilicet Acidi Acetici (10^g) et Alcoolis (30=40 Bé) pondera aequalia; misceantur intime; destillent ad dodrantem totius: liquor qui destillavit in retortam refundatur, destilletque iterum; tertia similiter vice et refundatur et destillet, ac demum quarta vice. Tunc, ut supra diximus, post admixtum Potassae subcarbonatem destillet, et habebitur purissimus Aether Aceticus.

ACIDA ALCOOLISATA, VULGO *DULCIFICATA* DICTA.

1. ACIDUM NITRICUM ALCOOLISATUM.

℞. Alcoolis (26=36 Bé) 360
Acidi Nitrici (34ᵍ) 120

Misce in *matratio*, et exceptum liquorem laguncilis probe obturatis serva ad usum. Odor hujus Acidi Alcoolisati facile fit Aethereus, et affinis odori malorum redolentium.

2. ACIDUM MURIATICUM ALCOOLISATUM.

℞. Acidi Muriatici (22ᵍ) 120
Alcoolis (26=36 Bé). 360

Misce et serventur ut supra.

3. ACIDUM SULFURICUM ALCOOLISATUM, VULGO *EAU DE RABEL*.

℞. Acidi Sulfurici puri (66ᵍ). 120
Alcoolis purissimi (26=36 Bé) 360

Misce in *matratio* et serva ad usum. Temporis lapsu odor hujus misturae vertitur in Athereum.

II. SALES.

NORMAE GENERALES AD QUAS EXIGI DEBET PRAEPARATIO SALIUM.

Normae istae ad sequentes referri possunt:

1°. Acidorum sinceritas et eorum corporum quibuscum inire connubium debent Acida, omnibus modis probanda est.

2°. Cum siccitas corporum huic officiat connubio, una saltem ex uniendis materiis liquida sit necesse est.

3°. Si neutra salium conficiendorum pars excedere debet, scilicet sal si neutrum perfecte habendum est, ipsius perfectio probanda est Tincturis aquosis florum caeruleorum, ut Violarum, Crotonis tinctorii, quem vulgo dicunt *Heliotropium* (Gallice *Tournesol*), Malvae, etc., aut Chartis cyaneo dictarum plantarum colore infectis.

4°. Connubio hoc rite peracto, solutio salis percolanda est. Vaporabit eadem in vase argenteo, vitreo, aut fictili siliceo, faventino, vel porcellaneo, donec crystallis deponendis aptus videatur liquor. Si tamen sali constituendo, aut cuprum, aut ferrum, aut plumbum inservierint, cupreis cupreum, ferreis ferreum, plumbeis denique plumbeum committi poterunt vasis.

5°. Ubi crystalli mox formandae sunt, solutio salina reponenda est in loco tranquillo, subfrigido, nisi salis ea sit natura, ut aëris in se humorem contrahat; quae conditio si adfuerit, ut crystalli bene informentur, requiritur vaporatio ad extremam densitatem, aërisque ambientis intensior calor, qui lente ad frigidiorem deducendus est.

Similiter et ii sales qui crystallos non ponunt, nisi ad extremam densitatem adducta sit solutio, ut fit *in Tartrate Potassae*, etiamsi humorem aëris non contrahant, in aëre calido reponi debent, tectisque in vasis, ut servetur ea fluiditas in qua liquidi lentor ponendis crystallis impedimento non sit. Simili cau-

tela habentur quoque in officinis sacchari crystalli perfectiores.

6°. Ubi cessant crystalli, liquor superfluus transfundendus est, vaporabitque denuo, ut crystallorum nova copia subsidat; quod fiet tamdiu, dum aptus ponendis novis crystallis liquor videbitur.

7°. Ubi crystalli secesserint omnes, superest ut puriores et sinceriores habeantur. Hoc ut fiat, solutis in aqua purissima salibus, et percolata solutione, nova instauretur vaporatio, et caetera, ut dictum est, conficiantur.

8°. Inter crystallos eae tantum seponendae sunt, quarum sinceritas omnibus notis comprobata et absoluta videbitur.

9°. Sales, qui aegre admodum, quia facile deliquescunt, in crystallos formari valent, aqua soluti, ad siccitatem usque vaporent necesse est, et inter vaporandum continuo agitari debent.

Tali industria indiget praesertim Acetas Potassae et alia similia.

10°. Sales quorum crystalli aëris humorem facilius in se trahunt, aqua solutionis tota exstillando penitus exhausta, vasis excipiendi sunt purissimis, perfecte clausis. Eadem cura adhibenda est ad servandas crystallos quorum in aëre superficies, ut aiunt, *efflorescendo* deteritur.

11°. Qui sublimes feruntur in altum sales, quales sunt Murias uterque Mercurii, Murias Ammoniae, etc., indigent ut sublimatio semel facta iteretur, ut sublimatus sal omni prorsus vitio careat.

12°. Omnes quicumque venales vulgo prostant, purgandi sunt sedulo sales, ut apti fiant ad usum pharmaceuticum.

1°. MURIATES, NUPERRIME *CHLORURETA* AUT *HYDROCHLORATES.*

1. MURIATIS SODAE PURGATIO.

(N. R. *Chloruretum Sodii.*)

℞. Muriatis Sodae venalis . . *quantum opus est.*

Solvatur in quantitate aquae sufficiente. Liquor coletur, vaporetque leni calore, ut crystalli inter vaporandum coalescant, exemtaque, simul ac concrescunt, aqua frigida eluantur, et sic purissimae evadant.

2. MURIAS POTASSAE.

(N. R. *Chloruretum Potassii.*)

℞. Subcarbonatis Potassae . . *quantum opus est.*

Solvatur in aquae sufficiente quantitate: cola, affunde Acidi Muriatici purissimi quantum est satis, ut saturetur Potassa: cola iterum; vaporet liquor donec gradum notet 30. Reponatur demum ut crystalli concrescant.

Aeque sal idem obtinebitur, si, vel Sulfas Potassae, vel Tartras, admixto Muriate Calcis, sua cum ipso elementa permutaverint; idem quoque erit exitus, si Muriati Ammoniae admixtus Potassae Carbonas Potassam Acido Muriatico suam suppeditaverit.

4. MURIAS POTASSAE HYPEROXYGENATUS.

(N. R. *Chloras Potassii.*)

Si Gaz Acidum Muriaticum Oxygenatum, quod *Chlorum* dicunt, ea methodo et forma expedias quae descripta est, pag. 194, et Gaz sic expeditum, mediante eodem apparatu, excipiatur Potassa aqua soluta) V. *Potassa liquida*, pag. 208); tunc ad fundum subsidet Murias Potassae Hyper-oxygenatus, in forma lamellarum nitentium; quem si solvas denuo, in crystallos puriores concrescet, laguncuiis includendas probe obturandis.

4. MURIAS AMMONIAE PURUS.

(N. R. *Hydrochloras Ammoniae.*)

℞. Muriatis Ammoniae venalis . *quantum opus est.*

Solvatur in aquae sufficienti quantitate; solutio colata vaporet, leni igne, donec ipsi pellicula innatet, et seponatur ut in crystallos concrescat.

5. MURIAS CALCIS.

(N. R. *Chloruretum Calcii.*)

℞. Carbonatis Calcis . . . . *quantum opus est.*

Ipsi Acidum Muriaticum affunde, donec in bullas cesset effervescere. Murias sic paratus aqua solvatur, coletur, vaporet ad siccitatem usque; aut si in crystallos solidescere malueris, vaporet ad densitatem 40 graduum, et seponatur. Concretas sic crystallos, aqua quam celerrime exstillando prorsus exhausta, in vase perfecte obturato servabis.

Simili arte parari potest ex Magnesiae Carbonate Murias Magnesiae (N. R. *Chloruretum Magnesii.*)

Potest etiam ex Ammoniae Muriate, dum, ope Calcis aut Carbonatis Calcis, vel Ammonia liquida, vel Ammoniae Carbonas destillando extrahuntur, Murias Calcis obtineri, ubi Acidum cessit in Calcem. *V.* pag. 209, nº 11.

6. MURIAS BARYTICUS.

(N. R. *Chloruretum Barii.*)

℞. Sulfatis Barytici 240
Carbonis e ligno parati 60

In pulverem trita conjiciantur in crucibulum, igne vehementi exurantur per duas horas, materiam (quae tunc Sulfuretum est Barytae) e crucibulo extractam aqua stillata calenti solve, cola, et caute admodum super affunde

Acidi Muriatici . . . . *quantum satis.*

Scilicet donec amplius non effervescat liquor, et ad plenam Sulfuris praecipitationem: liquorem iterum cola, vaporet ad pelliculam et seponatur, ut in crystallos concrescat.

Aeque et forsan melius, sal idem obtineri valet, si conjiciantur in crucibulum 4 partes Sulfatis Barytici, Muriatis Calcis 4, et una tantum Carbonis; simulque igne forti incalescant; solvatur deinde materies, et caetera, ut supra dictum est, perficiantur.

Haec autem convenit ut fiant caelo aperto et aëre liberius circumfluente.

Solutio Muriatis Barytici.

Ut omne vitetur periculum in usu medico Muriatis Barytici, expedit ut, non nisi aqua solutus, exhibeatur, ne ex bilance minus accurata facilis irrepat error; adeoque solutio habeatur Muriatis Barytici sic parata:

℞. Muriatis Barytici 10
Aquae stillatae. 50

Soluto Muriate liquor percoletur et servetur ad usum.

N. B. Nulli requirenti concedendus est iste liquor, nisi ex legitima praescriptione, justoque chirographo.

7. MURIAS FERRI.

(N. R. *Proto-Chloruretum Ferri.*)

℞. Scobis Ferri . . . . *quantum opus est.*

Exceptam ampulla vitrea, Acido Muriatico gradus 22 notante quantum sufficit affuso, dissolve penitus.

Solutionem cola: vaporet ad siccitatem; serva in vase perfecte clauso.

Si *Muriatem Ferri sublimatum* res agenda requirat, ut fit in conficienda *Tinctura de Muriate Ferri Aetherea alcoolisata* (*V.* pag. 133), Muriatem Ferri, ut modo dictum est, exsiccatum in crucibulum conjicies, inverso alio crucibulo contectum, juncturis luto obseratis; quae, cum igne ardenti per horas duas satis incaluerint, frigefacto apparatu, invenies salis partem sublimem superiori crucibulo inhaerentem.

Quam detractam servabis in laguncula probe obturanda.

8. MURIAS AMMONIAE ET FERRI.

℞. Muriatis Ammoniae 360
Muriatis Ferri 120

Solvantur simul in aquae sufficienti quantitate.

Mediante modico calore vaporent ad siccitatem.

Materies exsiccata excipiatur fictili cymbio, cui aliud inversum imponatur angusto foramine pervium, oris luto junctis; imponatur arenae balneo, sensim-

que incalescat apparatus, ut Murias sublimis ad superiora feratur; quo facto, decutiatur sal a superiori cymbio, et servetur in vasis perfecte clausis. Salem hunc sublimatum vocabant olim *Flores salis Ammomaci Martiales.*

Nota. Non aeque semper, pro varia ignis vi, unus et alter sal, servata utriusque proportione simul sublimantur; adeoque certior erit et justa magis utriusque mistio, si tantummodo soluta materies vaporando siccetur.

9. MURIAS HYDRARGYRI DULCIS, SUBLIMATUS, OLIM *MERCURIUS SUBLIMATUS DULCIS.*

(N. R. *Proto-Chloruretum Hydrargyri.*)

℞. Muriatis Hydrargyri Oxygenati (N. R. *Deuto-Chloruretum Hydrargyri*) 480

Hydrargyri purissimi 300

Murias teratur in mortario marmoreo, pistillo ligneo vel vitreo, cum sufficienti quantitate aquae stillatae, ut fiat massa, cui addatur Hydrargyrum, teranturque simul, donec Hydrargyri nihil supersit quod visu possit percipi; massa lenissimo calore exsiccata, excepta ampullis vitreis, arenae collo tenus immersis, sublimetur. Quo peracto fractisque ampullis, ut plerumque aliqua Mercurii pars adhuc libera materiae sublimatae inhaeret, teratur sublimeturque iterum atque iterum; ac demum toto in Muriatem verso Mercurio, supra porphyriten in pulverem subtilissimum redigetur massa, aqua stillata calente abluetur, siccabitur, servabitur ad usum.

Non alia est praeparatio ejusdem Muriatis quam celebrarunt veteres variis nominibus, *Calomelas, Panacea Mercurialis, Aquila alba,* etc.

10. MURIAS MERCURII DULCIS MEDIANTE AQUA SUBTILISSIME DIVISUS.

JUXTA METHODUM JOSIAE JEWEL.

(N. R. *Proto-Chloruretum Hydrargyri.*)

℞. Muriatis Hydrargyri dulcis . *quantum opus est.*

Ingeratur in retortam fictilem siliceam, collo latiori, brevi, luto undique loricatam: collum autem vase fictili, crusta obtecto vitrea, vel porcellaneo aqua plenis excipiatur. Utrimque, hinc inde, igne supposito, incalescant, et retorta ut sublimetur sal, et vas fictile ut bulliat aqua; tum, intermixtis hinc et inde Muriatis et aquae vaporibus, Hydrargyri Murias, aqua exceptus, in pulverem albissimum et mire subtilem divisus subsidet, quem in umbra siccatum ad usum servabis.

. . . .

. . .

11. MURIAS HYDRARGYRI SUBOXYGENATUS PRAECIPITATIONE PARATUS, VULGO *PRAECIPITATUM ALBUM.*

(N. R. *Proto-Chloruretum Hydrargyri.*)

℞. Hydrargyri . . . . *quantum opus erit.*

Solvatur lenissimo calore in Acidi Nitrici 20 gradus notantis . *sufficienti quantitate.*

Solutione peracta, affunde Muriatem Sodae solutum purissimum, donec nihil amplius subsidat.

Liquorem cola et praecipitatum pulverem elue, donec aqua nullum contraxerit saporem. Residuus pulvis in trochiscos informetur, quos in umbra siccabis.

12. MURIAS HYDRARGYRI OXYGENATUS, VULGO *SUBLIMATUS CORROSIVUS*, ET IPSIUS SOLUTIO DICTA *AQUA SWIETENII.*

(N. R. *Deuto-Chloruretum Hydrargyri.*)

℞.	Sulfatis Acidi Hydrargyri non loti . . .	480
	Muriatis Sodae	480
	Oxidi Manganesii nigri	450

Misce intime, conjice in *matratium* ima parte planum, cujus dimidia pars tantum impleatur, et quod arenae immerges collo tenus; incalescat sensim, donec sublimatus sal totus superiora petierit.

SOLUTIO MURIATIS HYDRARGYRI OXYGENATI, DICTA VULGO *AQUA SWIETENII.*

℞.	Muriatis Hydrargyri Oxygenati . . .	0 ,5
	Aquae stillatae	450 ,0
	Alcoolis (26=36 Bé.)	50 ,0

Solvatur in Alcoole Murias, et aquae commisceatur. Liquidi totius Murias erit pars millesima.

Potest etiam, si vulgaribus mensuris placeat uti, sic ratio solutionis ejusdem institui, ut solvendis Muriatis praedicti granis octo, adhibeantur Aquae stillatae unciae quatuordecim et semis, et Alcoolis uncia una et semis.

Uncia tunc liquidi singula tenebit Muriatis Hydrargyri granum semis.

Notandum autem nec *Muriatem Hydrargyri Oxygenatum ipsum*, nec etiam *solutum*, cuiquam requirenti esse concedenda, nisi ex legitima praescriptione justoque chirographo.

13. MURIAS MERCURII OXYGENATUS ET AMMONIAE.

(N. R. *Deuto-Chloruretum Hydrargyri, et Hydrochloras Ammoniae.*)

Si Muriati Mercurii, ut modo dictum est parato (p. 239), admisceatur aequa Muriatis Ammoniae quantitas, his vel solutis simul, vel sublimatis, fiet sal triplex, facilius in aqua solvendum, quod dicere licebit, *Muriatem Ammoniaco-Mercurialem*, olim *sal Allembroth.*

14. DEUTO-MURIAS STIBII SUBLIMATUS, VULGO *BUTYRUM ANTIMONII.*

(N. R. *Chloruretum Stibii.*)

℞. Stibii purissimi 180
Muriatis Hydrargyri Oxygenati, seu Sublimati corrosivi 480

Seorsim utrumque terantur in pulverem tenuissimum in mortario vitreo; misceantur celerrime: destillent ex retorta vitrea brevioris et latioris colli, supra arenam, calore gradatim increscente. Deuto-Murias Antimonii destillans glaciei in modum solidescet; liquandus admoto carbone ardente, si forte in collo retortae concreverit. Sic exceptus Murias in perfecte obturato servetur.

15. MURIAS AURI.

(N. R. *Chloruretum Auri.*)

℞. Auri purissimi in laminas exiles complanati et in frustula dissecti 100

Conjiciantur in phialam aut *matratium* minimae amplitudinis. Affundantur deinde

Acidi Nitro-Muriatici, constantis ex Acidi Nitrici (32[g]) parte una, et Acidi Muriatici (22[g]) partibus duabus 300

Phiala imponatur arenae modice calenti, ibique perstet, donec dissolutum omnino sit Aurum. Tum liquor excipiatur patella vitrea, aut porcellanea, vaporetque ad siccitatem, sed lenissimo calore; ne Aurum liberetur Acido, et in metallum vertatur.

Sic paratus Auri Murias servetur in vase vitreo, crystallino obturaculo, loco luci impervio. Potest etiam idem asservari aqua ita solutus, ut, ratione salis ad aquam apprime perpensa, justa ipsius dosis pro lubitu ministrari possit. Huic liquori addetur non nihil Muriatis Sodae. Nulli autem concedendus est, nisi ex praescriptione justo notata chirographo.

2°. SULFATES.

1. SULFAS POTASSAE.

(N. R. *Deuto-Sulfas Potassii.*)

℞. Carbonatis Potassae . . . . *quantum opus erit.*

Solvatur in aquae quantitate duodecies majori. Liquor percolatus excipiatur vase fictili siliceo, ipsique affundatur Acidi Sulfurici, notantis 20 gradus, tantum quantum sufficiet ut saturetur Potassa, Cola iterum, vaporetque in argenteo caldario, donec pel-

licula tenuis innatet. Lente tum frigescat, ut concrescere possit in crystallos albicantes et justae figurae.

N. B. Minoribus impensis idem sal haberi potest, si aut Potassae Carbonate, aut etiam Calce ipsa saturetur Sulfas Potassae Acidus, quem residuum tenet retorta, post Acidum Nitricum e Nitro, mediante Acido Sufurico, extractum.

Quo facto, soluta materies aqua bulliente coletur, vaporet, et ad crystallos lente formandas, ut dictum est, reponatur.

2. SULFAS SODAE.

(N. R. *Deuto-Sulfas Sodii.*)

℞. Crystallorum Carbonatis Sodae . . . . *quantum opus est.*

Solvantur in aquae sufficienti quantitate. Solutis affunde Acidum Sulfuricum notans 20^{g}, donec ipso satura sit Soda.

Liquor colatus vaporet, donec idem bulliens notet in areometro gradus 25.

Transfundatur in vasa parum alta, atque ita patentia, ut magna liquoris superficies aëri subjiciatur. Sic enim formae perfectioris crystalli concrescent.

Si crystallos autem voles et tenuiores et nivearum instar implicatas, excipietur altioribus vasis liquor, atque identidem spatula lignea dum frigescet exagitabitur.

Sal idem obtineri quoque valet, si Carbonate Sodae, aut ipsa Calce, saturetur sal acidulum residuum ex Muriate Sodae, unde, mediante Acido Sulfurico, Acidum Muriaticum elicitum fuit. Sal, hac methodo paratum, aquae bullientis quantitate sufficienti solutum, colato liquore, in crystallos concrescet solito artificio.

Sal idem venalis prostat ex fontibus salinis Lotharingiae, post Muriatis Sodae praeparationem residuus, et notus est nomine *Salis Epsamensis Lotharingici*; sed iste, minime sincerus, indiget ut solvatur denuo, et in crystallos coalescat hac arte puriores.

Servari debet *Sulfas Sodae* in vasis perfecte obturatis.

. . . .

5. SULFAS MAGNESIAE PURUS.

℞. Carbonatis Magnesiae . . . *quantum opus est.*

Redigatur in pulverem, excipiatur vase vitreo aut porcellaneo, ipsique affundatur Acidi Sulfurici notantis gradus 15, quod saturando sufficiat. Tunc bulliat leniter liquor, coletur, vaporet, atque ubi gradus in areometro 25 attigerit, reponatur in loco frigido, placidoque: sic habebuntur crystalli majores, justaeque figurae; si autem malis tenuiores et confuse implicatas, ut vulgo venalibus similes appareant, exagitandus identidem erit liquor, donec sal concreverit.

Ex eodem autem sale, vulgo venali, quem *Epsamensem* aut *Sedlitzensem* vocant, sed minime sincero, si purum habere volueris verum *Magnesiae Sulfatem*, solvatur illud in aquae quantitate sufficienti, vaporetque, donec bulliens liquor notet gradus 30; coletur et reponatur ut crystalli concrescant. Eas autem tantum excipies quae primae concreverunt. Sequentes eadem iterum methodo purgari indigent, ac demum ubi eo ventum est, ut liquor residuus nulla arte in crystallos possit coalescere, dimittendus est, nihil enim ipsi inest nisi Murias Magnesiae, qui concrescere nequit.

4. SULFAS ACIDUS ALUMINIS ET POTASSAE PURUS.

(N. R. *Super-Sulfas Aluminii et Potassii* aliquoties insuper et *Ammoniae.*)

℞. Aluminis vulgo venalis quantum licet purissimi . . . . *quantum opus est.*

Solvatur in aquae bullientis duplici, triplicive quantitate. Cola, sepone, ut crystalli concrescant; eas, utpote adhucdum impuras, solve denuo ut puriores habeantur.

5. SULFAS FERRI VIRIDIS.

(N.R. *Proto-Sulfas Ferri.*)

℞. Scobis Ferri purissimae . . *quantum opus erit.*

Conjice in vas fictile late patens; affunde sensim Acidi Sulfurici duplum, notantis gradus 20; ubi materies effervescere cessaverit, plene solutam effunde in ferreum caldarium, in quo vaporet, donec notet in areometro gradus inter 30 et 32. Post aliquam quietem elutriatum liquorem sepone, ut in crystallos solidescat, quas, solutas iterum et percolatas, iterum quoque sepones, ut inde habeantur crystalli puriores.

Sulfas Ferri vulgo venalis, Sulfate Aluminis et Sulfati Cupri inquinatus, purgari potest, si solutus bulliat cum Ferri Scobe purissima, ac deinde colatus vaporet et ad crystallos seponatur, ut artis est.

Crystalli, ubi extillaverit aqua, siccae in vasis perfecte obturatis servandae sunt.

6. SULFAS CUPRI CAERULEUS.

(N. R. *Deuto-Sulfas Cupri.*)

℞. Scobis Cupri . . . . *partem unam.*
Acidi Sulfurici (66[g]). . . . . *partes duas.*

Utraque materies, ne acidi sulfurosi vapor pulmoni infestus sit, ingeratur in retortam vitream, arenae imponendam; colloque aptetur *matratium*, ore tubulato patens, cui tubus ad securitatem unus inseratur, et alter inflexus cujus crus alterum in laguncülam aqua ad dimidias plenam immergatur; incalescat retorta ad Cupri solutionem. Acidum Sulfurosum emanabit, laguncula excipiendum. In retorta autem supererit fusca materies salina, aquae quantitate sufficienti solvenda. Liquor colatus vaporet, donec notet gradus 30; atque ubi refriguerit, in crystallos caeruleas egregie figuratas concrescat.

Sic vulgo non paratur Sulfas Cupri, sed frequentius ex Sulfate venali, purgato ut artis est.

7. SULFAS CUPRI ET AMMONIAE.

(N. R. *Deuto-Sulfas Cupri et Ammoniae.*)

℞. Sulfatis Cupri in pulverem redacti
. . . . *quantum opus erit*
Huic in vase vitreo sensim addatur
Subcarbonatis Ammoniae liquidi *quantum sufficit.*

Donec materies viridis, quae praeceps fundum petit, omnino soluta sit.

Liquor cyaneo adde parem et ultra Alcoolis quantitatem; quo facto, crystallos e liquore excussas, val-

de caeruleas, nullo admoto calore exsicca, et serva in vase vitreo accurate clauso.

8. SULFAS ZINCI.

℞. Acidi Sulfurici (20^{g}) . . . quantum opus erit.

Acidum excipiatur patella vitrea aut porcellanea arenae imponenda.

Incalescat modice, et addatur per vices Zincus in micas divisus purissimas.

Liquorem saturum, adhuc calentem, postquam addita aqua ipsum aliquantulum dilueris, cola, vaporet deinde et ad crystallos seponatur.

N. B. Sulfas Zinci vulgo venalis plerumque admixto Sulfate Ferri aliquantulum inquinatur; quem purum habebis exurendo, solvendoque pluries, pluriesque ad crystallos deducendo.

9. SUBSULFAS HYDRARGYRI PEROXYDATI, SEU *TURBITH MINERALE.*

(N. R. *Sub-Deuto-Sulfas Hydrargyri.*)

℞. Hydrargyri purissimi 2,000
Acidi Sulfurici (66^{g}) 2,500

Ingeratur Mercurius in retortam fictilem siliceam loricatam; super ingeratur Acidum: retorta furno imponatur fornice tecto, aptetur collo tubus inflexus, cujus alterum crus aquae immergatur. Ignis ardeat, donec Acidum Sulfuricum nullum fere emanet.

Frigescat retorta, e qua eximatur massa salina albicans, quam in mortario vitreo teres, pluriesque

elues aqua stillata calente, et pulverem flavescentem subsidentem siccabis leni calore, servandum in usus.

3°. NITRATES.

1. NITRATIS POTASSAE PURGATIO.

(N. R. *Deuto Nitras Potassii.*)

℞. Nitratis Potassae post cocturam tertiam vulgo venalis 2,000
Aquae bullientis 1,000
Soluto sale, coletur liquor et seponatur, ut crystalli concrescant.

. . . .

2. NITRAS POTASSAE FUSUS SULFATIS PAUXILLO MIXTUS, *SAL PRUNELLAE*, VEL *CRYSTALLUS MINERALIS* VULGO DICTUS.

℞. Nitratis Potassae repurgati 128
Conjice in crucibulum igni impositum; Nitrate liquefacto, injice per vices Sulfuris sublimati . 1
Deflagratione peracta, crucibulo parumper refrigerato, Nitratem in patinam effunde, ita hinc inde versandam, ut sal fusus et defluens in tabellam refrigeratus concrescat. Exemptum et frustulatim diffractum serva.

3. NITRAS HYDRARGYRI IN CRYSTALLOS CONCRETUS.

(N. R. *Proto-Nitras Hydrargyri.*)

℞. Hydrargyri puri 120
Acidi Nitrici (28°) 240

Mediante modico calore dissolvetur Acido major pars Hydrargyri, liquor exceptus vaporet, et seponatur ut in crystallos albicantes concrescat.

Ex hoc Nitrate parari quoque potest, ut jam dictum est, Mercurius praecipitatus niger, vulgo *Mercurius Hahnemanni solubilis*, cujus praeparandi modum, sub n° 11, inter Oxida, pag. 217, descripsimus.

4. NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUS, VULGO *AQUA MERCURIALIS.*

(N. R. *Deuto - Nitras Hydrargyri aqua solutus.*)

℞. Hydrargyri, ut artis est, purificati . . . 120

Dissolve in *matratio*, mediante leni calore, in

Acidi Nitrici (33ᵍ) 150

Solutione peracta affunde aquae stillatae . . 900

Post aliquot dies, cola et serva ad usum.

5. NITRAS ARGENTI IN CRYSTALLOS CONCRETUS.

℞. Argenti purissimi 120

Exceptum vase vitreo, vel porcellaneo dissolve

in Acidi Nitrici purissimi (33ᵍ) 240

Vaporet liquor igne leni ad quartae partis consumptionem.

Sepone ut Crystalli concrescant.

Quod superest liquidum vaporet iterum et seponatur; et sic pergas, donec quidquid Crystallorum haberi potest concreverit.

6. NITRAS ARGENTI FUSUS, VULGO *LAPIS INFERNALIS.*

℞. Nitratis Argenti exsiccati . . . . *quod volueris.*

Conjice in crucibulum argenteum aut porcellaneum amplum; leni igne tumet primum materia, postea detumescit; demum, aucto igne, instar olei liquescit.

Effunde illico in modiolum fusorium (Gallice *lingotière*), prius calefactum, seboque litum.

Concreta massa eximatur, servetur in vase probe obturato, et in loco sicco reponatur.

4°. ACETATES.

1. ACETAS POTASSAE, DICTUS *TERRA FOLIATA TARTARI.*

(N. R. *Acetas Potassii.*)

℞. Sub-Carbonatis Potassae . *quantum opus erit.*

Injiciatur per vices in Aceti stillatitii, vel Acidi Acetici, quantum sufficit ad plenam sub-carbonatis saturationem; cola.

Vaporet liquor in argenteo caldario; et ubi dodrans pars circiter vaporaverit, frigescat quod superest, positoque sedimento inutili, transfusus latex denuo incalescat, et addito etiamnum Acido Acetico aliquantulo, vaporet demum ad siccitatem, assidue agitando.

Sal sic paratus in laguneulam rite obturatam congeratur, et servetur ad usum.

N. B. Quidam, ut Acetatem hunc obtineant albissimum, liquorem, postquam ad dimidias vaporavit, calidum in carbones e lignis paratos, supra idoneum colum dispositos, conjicere amant, et sic percolare, alieno colore prorsus liberum.

2. ACETAS SODAE, DICTUS *TERRA FOLIATA MINERALIS.* (N. R. *Acetas Sodii.*)

℞. Sub-Carbonatis Sodae Crystallorum. . . . . *quantum opus erit.*

Affunde per vices Aceti stillatitii, quod satis est ut Carbonas sit plene satur.

Liquor colatus vaporet in vase argenteo, donec areometri gradum 32 attigerit, aut ipsi pellicula obducatur; tunc quiescat, ut, dum frigescet, Crystalli concrescant; quas, pluries solutas pluriesque concrescentes, habebis tandem purissimas.

3. ACETAS AMMONIAE LIQUIDUS.

℞.	Acidi Acetici purissimi gradus 3 notantis	480
	Sub-Carbonatis Ammoniae concreti circiter	30

Scilicet quantum sufficit ut Acidum plene saturum evadat.

Incalescat leviter Acidum in pelve argentea, aut in cucurbita balneo maris imposita: tunc, addito per vices, ad saturationem usque, Sub-Carbonate Ammoniae, liquorem cola et serva in lagunculis perfecte obturatis.

Liquor autem sic paratus colore expers esse, nullatenus Acidus, et in areometro gradum 5 attingere debet, densitatem nempe 1,036 aequalem.

DE SPIRITU IPSO, SIC DICTO, *MENDERERI.*

Notandum tamen, si salem velis ipsum quem nuncupavere *Spiritum Mendereri*, tunc non Sub-Carbonatem Ammoniae purum, sed *Subcarbonatem Ammoniae Oleosum Pyrogenaeum*, qualem suppeditat destillatio Cornu Cervi, esse sumendum, eumque vel liquidum, vel potius concretum, ea quantitate quae sufficiat saturando Acido. Acidum autem speciatim praescribebant, quod *Spiritum Aceti* vocitabant, illud scilicet quod prodit in Aceti destillatione, postquam liquidi tertia pars prior,

aquosa nimis debiliorque, excepta est, et antequam pyrogenacum odorem spiraverit Acidum factum densius, destillatione ad finem vergente.

Hac methodo, ut optime annotavit D. CHAUSSIER, *Spiritus Mendereri* tenet quoddam saponuli ammoniacalis genus, Oleo Pyrogenaeo et Ammoniae Subcarbonate constans, cui et tonica et diaphoretica vis non immerito forsan tribuitur, qua non aeque pollet Acetas Ammoniae cum Carbonate Ammoniae puro confectus.

Ad praescriptam Acetatis Ammoniae densitatem, gradumque areometri quintum, facile sub leni calore vaporando adduci potest *Spiritus* ipse *Mendereri*, etiamsi adhibito Subcarbonate Ammoniae oleoso liquido confectus fuerit. Verum, cum calore facilis fiat Ammoniae dissipatio, ipsum quoque Acetatem Ammoniae in Pharmacopoliis saepius Acidum inveniri contingit; atque adeo, utendi tempore, ipsum probare convenit caeruleo aquosarum Crotonis, Violarum, aut Malvae tincturarum colore, et, si Acidior fuerit, Ammonia ex tempore saturare.

In Acetate autem Ammoniae utrovis, quales hic constituendos indicavimus, ut constat experimentis a D. VAUQUELIN institutis, continetur circiter decima pars tantum Acetatis Ammoniae omni aqua quantum fieri licet liberi; et hoc ipso in Acetate ratio Acidi Acetici puri ad Ammoniam erit circiter ut 6,9 ad 2,5, sive ut 7,3 ad 2,7.

Quam analysim hic loci exponere utile duximus in medicamento usitatissimo, et quod parce nimium Medici plerique in formulis praescribere solent.

4. ACETAS HYDRARGYRI.

(N. R. *Proto-Acetas Hydrargyri.*)

℞. Proto-Nitratis Hydrargyri 60
Aquae stillatae 360

Nitratem aqua solve, soluto sali affunde Acetatis Potassae liquidi quantum satis, ut nihil amplius subsidat; effundatur liquor, praecipitatus Acetas eluatur pluries, et siccetur celeriter.

5. ACETAS PLUMBI IN CRYSTALLOS CONCRETUS, DICTUS *SACCHARUM SATURNI.*

℞. Oxidi Plumbi semivitrei *Lithargyrum* dicti 1,000
Acidi Acetici stillatitii quantum ad saturationem requiritur.

Vaporet liquor donec pellicula supernatet, et loco frigido reponatur, ut Crystalli concrescant; residuus liquor vaporet denuo similiter, reponaturque; idque tandiu iteretur, donec Crystalli nullae possint concrescere.

6. SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

(N. R. *Sub-Acetas Plumbi.*)

℞. Acetatis Plumbi in crystallos concreti partes 3
Aquae stillatae circiter partes 9

Excipiantur pelve Cuprea, et leni calore crystalli solvantur; adde

Oxidi Plumbi semivitrei fusi 1

Bulliant, spatulaque interea exagitentur, donec oxidum sit solutum, et liquoris densitas aequet 30 in areometro gradus; frigescat liquor, coletur, et vasis excipiatur accurate clausis.

Ad hunc densitatis gradum ubi devenit hic Sub-Acetas vulgari nomine *Extractum Saturni* audit.

Cujus si uncia semis, vel 16

Solvatur in Aquae stillatae libris duabus, vel 1,000

Additis Alcoolis (12=22 Bé) unciis duabus, vel 64

Habebitur solutio dicta vulgo *Aqua Vegeto-Mineralis.*

Si aqua vulgari eadem pararetur, latesceret plerumque, verso partim aut in Carbonatem, aut in Sulfatem Plumbi, Plumbi Acetate, et parte aliquantula Acetatis Calcis in ipsius locum aqua soluta.

5°. TARTRATES.

1. TARTRAS ACIDULUS POTASSAE PURUS.

(N. R. *Super-Tartras Potassii.*)

℞. Tartratis aciduli Potassae venalis . . . . *quantum opus erit.*

Solvatur in aquae bullientis sufficienti quantitate; liquor coletur, ut aliena admixta quibus inquinatur excludi queant; tunc albuminis ope liquetur, despumet, per pannum trajiciatur, ut Crystalli concrescant.

2. TARTRAS ACIDULUS POTASSAE SOLUBILIS, ADMIXTO ACIDO BORACICO.

℞. Tartratis aciduli Potassae puri in pulverem triti 210

Acidi Boracici 30

Aquae stillatae 20

Acidum Boracicum et aquam simul misce in argenteo caldario. Calescant, simulque exagitentur

spatula. Ubi satis incaluerint, partite et per vices addatur Tartras acidulus, semper agitando; omnia sic commixta mire liquescent, et eodem calore ad siccitatem deducta pulverulenta evadent; tunc hypocausti calore ad perfectam siccitatem perducantur, et terantur in pulverem tenuissimum, in vase perfecte obturato asservandum.

3. TARTRAS POTASSAE, olim *SAL VEGETABILIS.* (N. R. *Deuto-Tartras Potassii.*)

℞. Tartratis aciduli Potassae . *quod volueris.*
Bulliat cum Aquae pluvialis . *quantum sufficit.*

Tum adde Sub-Carbonatis Potassae quod requiritur ad plenam saturationem.

Bulliant leviter; liquor coletur, vaporet, donec notet in areometro gradus 45. Tunc sub aëre modice calido quiescat, ut sensim Crystalli concrescant.

. . . .

4. TARTRAS POTASSAE ET SODAE olim *SAL POLYCHRESTUM SOLUBILE*, vulgo *SEL DE SEIGNETTE.*

(N. R. *Deuto-Tartras Potassii et Sodii.*)

℞. Tartratis aciduli Potassae 200
Solve in aquae pluvialis 640
Tum adde
Sub-Carbonatis Sodae circiter 160
Vel quantum sufficit ad plenam saturationem.

Solutio coletur, vaporet ad 35 gradus, ut sensim refrigescendo concrescant crystalli; quas, si res postulabit, iterata solutione puriores obtinebis.

5. TARTRAS POTASSAE STIBIATUS, VULGO *TARTARUS EMETICUS.*

(N. R. *Deuto-Tartras Potassii et Stibii.*)

℞. Oxidi Stibii Sulfurati vitrei supra porphyriten laevigati 160
Tartratis aciduli Potassae 240
Fiat pulvis excipiendus vase fictili aut potius argenteo cum aquae purissimae . . *quod sufficit.*
Bulliant per semi-horam, addendo identidem aquam ferventem. Liquor tepidus coletur; vaporet in cymbio porcellaneo ad siccitatem usque; residua post vaporationem materies aqua bulliente solvatur, vaporetque denuo, donec notet 20 gradus; seponatur ut concrescant crystalli, quas hac methodo omnino puras obtinebis.

6. TARTRAS HYDRARGYRI.

(N. R. *Proto-Tartras Hydrargyri.*)

℞. Proto-Nitratis Hydrargyri 20
Solvatur in aquae stillatae 160
Liquori colato adde sensim Tartratem Potassae aqua solutum, addendoque pergas, donec nil amplius subsidat. Praecipitatus pulvis, Hydrargyri Tartras, effuso liquore, frigida affatim eluatur, siccetur et servetur ad usum.

7. TARTRAS POTASSAE ET FERRI LIQUIDUS, OLIM *TINCTURA MARTIS TARTARISATA.*

(N. R. *Tartras Potassii et Ferri.*)

℞. Scobis Ferri purae et nitidae 64
Tartratis aciduli Potassae 160

Conjice in ollam ferream, amplam; adde tantum aquae pluvialis purissimae, quantum sufficiet ut fiat massa mollis, per viginti horas seponenda.

Tum affunde

Aquae pluvialis 200

Bulliant per duas horas, identidem agitando et aquam ferventem addendo; postquam ebullire cessaverit, paululum quiescat liquor, et qui purior supernatabit transfundatur; coletur vaporetque, donec gradus 32 attigerit; tum adde Alcoolis (26=36 Bé) 10

Serva ad usum.

Ex hoc liquore paratur *Extractum* dictum *Martis*, si vaporet in Extracti dentitatem.

8. TARTRAS POTASSAE ET FERRI, OLIM *TARTARUS CHALIBEATUS SOLUBILIS.*

(N.R. *Tartras Potassii et Ferri.*)

℞. Tartratis Potassae in pulverem triti . . . 40

Tartratis Potassae et Ferri liquidi (*Vide supra*, nº 7) 160

Misceantur et vaporent simul igne leni in vase ferreo ad siccitatem; residuus sal in vase probe obturato serva.

N. B. Non erit multum absimilis sal, qui parari potest, si Tartratem Potassae et Ferri liquidum, servata eadem ratione, miscueris cum Tartrate Potassae et Sodae. Verum hic non aeque liquescit (N.R. *Tartrates Potassii, Sodii et Ferri.*)

9. TARTRAS POTASSAE ET FERRI SOLIDUS, VULGO *GLOBULI MARTIALES*, DICTI . . . . *NANCEIANI.*

℞. Scobis Ferri supra porphyriten levigatae . . 500

Tartari de Vino rubri in pulverem tenuissimum triti 1,000
Alcoolis (8 = 18 Bé) . . . . . . *quantum satis.*

Coeant omnia in pultem lente diffluentem, syrupi instar spissioris, excipiendam vase faventino aut fictili crusta vitrea obducto, deinde per quinque sexve dies seponendam sub aëris modico tepore, et de die pluries exagitandam.

His ita peractis, igne supposito, incalescat circiter ad gradum 60 aut 64 Reaumur, moveaturque saepius spatula materies; atque ubi mellis instar densioris vaporando erit inspissata, nova Alcoolis ejusdem notae copia diluatur, iterumque et inspissetur et diluatur, et tandiu idem repetatur, donec massa, amissa omni metallico splendore, nigrescat penitus. Tunc temporis, non jam addito Alcoole, vaporare pergat, donec, in massam redacta plasticam manibusque tractabilem, informari possit in globos, quorum singuli aequabunt grammata circiter aut duo et triginta, aut sexaginta quatuor, sive unciam unam duasve; in tepidario lente exsiccandi. Sic parati isti globi non jam fissuris, ut saepius fit, deturpabuntur.

. . . .

6°. PHOSPHATES, CARBONATES, MALATES, ARSENITES.

1. SUB-PHOSPHAS SODAE.

(N. R. *Sub-Phosphas Sodii.*)

℞. Ossium donec albescant exustorum, et in pulverem contritorum 1,500
Acidi Sulfurici (66^{g}) 900
Ossium pulvis diluatur in Aquae communis 3,000
Tunc super affunde Acidum, omniaque moveantur

spatula lignea, ut misceantur intime. Reponantur deinde per aliquot dies, addita praeterea aqua, quantum sufficere videbitur.

Liquorem deinde cola, et qui pulvis supererit insuper eluatur; liquor prior, et is qui de loto pulvere secessit, una misceantur, vaporent ad syrupi densitatem, aqua deinde diluantur, colentur, ut auferatur qui praeceps secessit Sulfas calcis. Tunc liquori, cui solutus inest Phosphas Calcis acidus, addatur Sub-Carbonas Sodae, eoque saturetur plene superque. Atque ubi Phosphas Calcis Soda exclusus omnis subsederit, elutriatus liquor calescat, coletur, vaporet donec gradus 25 attigerit, et seponatur ut crystalli concrescant, quas solutas iterum habebis deinde puriores.

Si, post depositas primo crystallos, acidum adhuc sapiat, Sub-Carbonate Sodae saturetur liquor; si vero alkalinus deprehendatur, addito Phosphate Calcis Acido, mitescat.

2. CARBONAS ZINCI.

℞. Sulfatis Zinci purissimi 100
Solve in Aquae stillatae fervidae 1,000
Cola et instilla paulatim Carbonatis Sodae in Aqua soluti . . . . *quantum sufficiet*, ut Carbonas Zinci praeceps subsidat; pulverem album praecipitatum, probe elutum et siccatum, serva ad usum.

3. MALAS FERRI.

(N. R. *Proto-Malas Ferri.*)

℞. Scobis Ferri supra porphyriten levigatae 500
Succi de Malis acidulis (*Malus communis*) 2,000
Misceantur intime, et per triduum digerantur in vase vitreo clauso, sub calore 50 g (37,5 centig.); sen-

sini deinde incalescant et modico calore vaporent ad dimidias. Coletur liquor, et balneo maris, clauso vase, vaporet in extracti spissitatem. Quem sic addensatum serva ad usum vitreis in vasis accurate clausis.

4. ARSENITES POTASSAE.

ET LIQUOR ARSENICALIS dictus *FOWLERI.*

(Ph. Lond., pag. 46, Ed. 1809 in-18.)

(N. R. *Arsenias Potassii.*)

℞. Oxidi Arsenici albi, seu Acidi Arseniosi (N. R. *Protoxidum Arsenici*) in pulverem redacti	5
Sub-Carbonatis Potassae	5
Aquae stillatae purissimae	500
Misceantur accurate, bulliantque simul in cymbio vitreo, donec Acidi Arseniosi nihil non solutum supersit. Liquori frigefacto adde	
Alcoolati de Melissa compositi	16
Tunc super addatur Aquae tantum quantum sufficiet, ut liquoris totius pondus aequet	500

Ratio Arsenitis Potassae ad totum liquorem erit $\frac{1}{50}$. Guttae adeo 72, quarum pondus aequat grana 50, tenebunt Arsenitis Potassae granum unum.

N. B. Nulli requirenti hic liquor concedendus est, nisi ex legitima praescriptione justoque chirographo.

IV. SULFURETA.

DE SULFURETIS.

Sulfureta vocantur composita quaedam ex Sul-

fure, quod Metallis, Terris, aut Alcalibus chymica affinitate consociatur.

Multa ex his, Metallica praesertim, ex ipsis Terrae visceribus aliquando effodiuntur adeo sincera, ut ea praeparatione tantum indigeant, qua materie, cui inhaerent, excussa liberentur. Verum, ut plurimum, solertissimam requirunt analysim, operationumque seriem multiplicem ut pura et usui aptiora evadant.

Praeterea Metallica Sulfureta arte quoque chymica confici queunt. Ipsorum confectio magnis in officinis, magno apparatu perficitur imprimis; atque inde venalis prostare solent.

Verum Sulfureta Alcalina et Terrea a Pharmacopoeis ipsis ea industria parari debent, quae mox praescribetur.

Metallica quidem Sulfureta plerumque paucis admodum cautelis indigent ut intemerata asserventur, utpote parum in aëre mutabilia; alkalina vero et terrea, quae facile ad aëris contactum immutantur, vasis includenda sunt perfecte obturatis.

Inter Metallica, quatuor tantum hodiedum aut inter medicamenta recensenda sunt, aut quibusdam compositis admiscentur.

Talia habentur,

Sulfureta Arsenici flavum rubrumque, vulgo venalia.

Sulfureta Hydrargyri rubrum nigrumque. Rubrum inter vulgo venalia haberi potest, sed praestat arte factum a Pharmacopoeo. Nigrum semper arte factum habendum est.

Sulfuretum Stibii, vulgo venale.

Ferri Sulfuretum arte factum habetur, aut fusis simul Sulfure et Ferro, aut quod residuum est post praeparatum Hydrargyrum ex Sulfureto rubro purum (*V.* pag. 212).

1. SULFURETUM HYDRARGYRI NIGRUM, VULGO *AETHIOPS MINERALIS.*

℞.	Hydrargyri puri	80
	Sulfuris sublimati	160

Terantur simul in mortario marmoreo, pistillo vitreo; et sic perge, donec nullatenus splendeat Hydrargyrum, mixtaque nigrum praeferant colorem.

N. B. Temporis lapsu pulvis iste nigrior fiet; quae nota est intimioris Hydrargyrum inter Sulfurque connubii. Inde quoque sequitur vetustiorem hunc pulverem virtutibus frui non omnino iisdem quibus recentior.

Sulfuretum idem alio quoque modo parari valet. Nempe fuso in trulla ferrea sulfure, si Hydrargyrum quam tenuissime divisum inspergas, cum videlicet pelle praeparata Rupi-caprae (*peau de chamois*) inclusus, per poros trajicitur pluitque Hydrargyrum; tunc Sulfuris fusi contactu cum ipso coalescit, praesertim urgente pistillo assidue adactus, aut ferrea spatula, donec materies omnis, igne amoto, friguerit.

Verum hac methodo paratum Sulfuretum in usus internos non adhibetur: vulgo anteponitur illud quod terendo tantum, nec mediante igne, confectum est.

2. SULFURETUM HYDRARGYRI RUBRUM, VULGO *CINNABARIS.*

Vulgo venale prostat hoc Sulfuretum; at enim, si Pharmacopoeus illud ipse sibi parare praetulerit

sequenti methodo uti conveniet; quam, ut fama est, adhibere solent Batavi.

℞. Sulfuris sublimati et loti 150
Hydrargyri puri 1,080
Incalescant simul in vase ferreo mediocriter alto, fundo complanato, intus expolito, calorque sufficiat ut Sulfur liquatum fluat. Interea moveantur continuo Hydrargyrum et Sulfur, ne recusent consociari, prae ponderis differentia. Elapso horae quadrante, subducto igne, frigescat materies, coloris tunc nigri; quae in pulverem trita projiciatur illico in crucibula igni imposita; quibus sensim incalescentibus demum erumpet flamma obscure violacea; quae ubi cessaverit, tegentur crucibula tegminibus ferreis. Sic continuato igne Cinnabaris sublimabitur totus.

3. HYDROSULFURETUM RUBRUM STIBII SULFURATI, VULGO *KERMES MINERALE*.

℞. Aquae pluvialis 1,280
Bulliat ad expellendum aërem ipsi natura immixtum, quo discusso, solve
Carbonatis Sodae 128
Liquor bulliat per horam dimidiam, spatulaque lignea agitetur, admiscendo
Sulfureti Stibii in tenuissimum pulverem triti 6
Liquor coletur fervens; colo vas supponatur tenens aquam tepidam, ex qua prius bulliendo aër exclusus fuerit; in eam deciduus ubi excipietur liquor, subsidet pulvis obscure ruber; aqua ipsa, ubi refriguit, transfundatur seponaturque; pulvis autem, supra telam densioris textus expansus, eluatur affusa identidem aqua pura, frigida primum, deinde calente, et

cujus aër bulliendo prius exclusus erit; idque tandiu iteretur, donec aqua insipida exstillet. Praelo subjiciatur pulvis, ad aquam exprimendam; qui demum, penitus celeriterque in umbra exsiccatus, servabitur in vase luci impervio.

Nota. Kermes eodem modo parari quoque potest mediante Sub-Carbonate Potassae; verum multi illum anteponunt qui mediante Sodae Sub-Carbonate praeparatus est; hunc scilicet magis sibi constare arbitrantur.

4. HYDROSULFURETUM LUTEUM OXIDI STIBII SULFURATI, VULGO *SULFUR ANTIMONII AURATUM*.

℞. Liquoris, ex praecedenti operatione, posito Kermete residui . . . . *quantum opus est.*

Cui sensim instillando adde:

Acidi Acetici (5^{g}) . . . . *quantum sufficiet.*

Pergasque donec cesset subsidere pulvis luteus, qui, aqua stillata perfecte elutus et exsiccatus, in vase vitreo servandus est.

5. SULFURETUM POTASSAE.

℞. Sulfuris sublimati 100

Sub-Carbonatis Potassae exsiccati 200

Misce simul, et, igne sensim aucto, liquefiant in *matratio*. Materies fusa, cum refriguerit, rupto *matratio*, diligenter in vase perfecte obturato asservitur.

Arte simili obtinentur

Sulfuretum Sodae.

Sulfuretum Calcis.

6. SULFURETUM AMMONIAE HYDROGENATUM, AUT HYDROSULFURETUM AMMONIAE, VULGO *LIQUOR FUMANS BOYLII.*

(N. R. *Hydrosulfas Ammoniae Sulfuratus.*)

℞. Calcis in pulverem tritae 160
Muriatis Ammoniae 160
Sulfuris sublimati 80

Misceantur intime et ingerantur in retortam fictilem siliceam loricatam. Aptato huic excipulo, additoque vase intermedio, atque inserto tubo incurvo, cujus crus inferius aquae immergatur, destillent leni igne. Transibit liquor, olei instar fluens, colore ex rubro luteo, aut qualis est intensus Aurantiorum color, vapores emittens fetidos, quem servabis in vase perfecte obturato.

7. SULFITES SODAE SULFURATUS.

(N. R. *Deuto-Sulfites Sulfuratus Sodii.*)

℞. Vas habeatur in quo solvantur
Sub-Carbonatis Sodae 320
In Aquae purissimae 640
Admisceanturque
Sulfuris sublimati 40

Huic liquori immergatur crus unum tubi inflexi, cujus altera pars aptabitur collo retortae fictilis siliceae tubulatae.

In retortam ingerantur
Hydrargyri 640
Acidi Sulfurici (66°) 800

Igne retortae supposito, impositaque fornice, dum solvitur Acido Mercurius, sese expediet Gaz Acidum Sulfurosum, et Carbonati Sodae aqua soluto Sulfurique miscebitur; quod, continuato igne, tandiu fiet, dum, peracta solutione, nullum amplius gaz emanabit. His peractis, Aqua tenebit solutum Sulfitem Sodae Sulfuratum. Postquam aliquantisper bullierit, coletur liquor, vaporet modico calore, lenteque frigescat, ut sal in justae formae crystallos possit concrescere.

Qui superest in retorta Hydrargyri Sulfas inservire valet ad parandum Sulfatem Hydrargyri Oxygenatum, vulgo *Turbith minerale*, ut suo singula loco exposita sunt.

Potest tamen in Hydrargyri locum suffici Carbo, cujus satis erunt partes 200, eadem caeterorum ratione servata.

V. SAPONES.

1. SAPO EX SODA AMYGDALINUS, VULGO *SAPO MEDICINALIS AMYGDALINUS.*

℞. Sodae liquidae (quam causticam dicunt, seu Saponariorum Lixiviam) notantis 36^{g} 100
Olei Amygdalini recentis 210

Oleum excipiatur vase faventino aut figulino, et ipsi per partes admisceatur Soda, quae simul spatula ex ligno albo confecta agitetur, donec oleo ita coëat, ut simul concrescant, modica partium cohaerentia; quod intra paucos dies contingere solet.

Tunc in formas aut Chartaceas, aut e ligno albicante confectas, charta intus obducta, Sapo ad-

hucdum mollior dividitur; in quibus demum solidescit. Tunc exemptum serva ad usum.

N. B. Hic Sapo non aptus est ad usus medicos nisi bimestris.

Simili modo parari potest

Sapo ex Olivo.

2. SAPO EX OLEO TEREBINTHINAE VOLATILI ET POTASSA, SEU *STARKEYANUS.*

Cum aegre admodum oleis volatilibus quibuscumque Potassa societur, atque, ubi demum operose coaluit, facile hic Sapo, resoluto partium nexu, prorsus immutetur, sequenti modo praestat ipsum parari:

℞. Sub-Carbonatis Potassae penitus exsiccati,
Olei volatilis de Terebinthina stillatitii,
Terebinthinae Venetae . . ā ā *partes aequales.*

Teratur Sub-Carbonas in mortario marmoreo, pistillo vitreo, ipsique admisceatur oleum volatile, ac deinde Terebinthina. Quae, ubi in debitam spissitudinem coaluere, supra porphyriten levigentur, sapoque sic paratus in vase faventino asservetur.

Hoc modo confectus Sapo iste, in extracti densitatem consistit, homogenaeus perstat, nec temporis lapsu immutatur, caretque vitiis quae sat cito contrahit sapo vulgari methodo confectus Starkeyanus.

Caetera olea volatilia, si saponis forma ipsis placeret uti, Saponi amygdalino determinata dosi possunt admisceri.

3. SAPO CALCAREUS, VULGO *LINIMENTUM OLEOSO-CALCAREUM.*

℞. Aquae Calcis recenter paratae 800
Olei Amygdalarum dulcium 100
Misce accurate simul agitando.

N. B. Oleum Calci mixtum aquae innatabit, atque inde eximi potest in usus medicos. Sapo iste ex tempore tantum parandus est, pro rei necessitate. Extus praecipue, et ad ambusta usurpatur.

4. SAPO AMMONIACALIS, VULGO *LINIMENTUM VOLATILE*, SEU *AMMONIACALE.*

℞. Ammoniae liquidae gradum 22 notantis . . 16
Olei Amygdalarum dulcium 128

Misce, agitando in phiala probe obturata, et fiet Linimentum in quo Ammoniae ratio erit ad Oleum ut 1 ad 8. Iste Sapo temporis tractu lentescere, atque etiam potest demum in massam mollem, nec jam diffluentem, addensari.

5. LIQUOR EX AMMONIA OLEO SUCCINI VOLATILI COMMIXTA VULGO *AQUA LUCIAE* DICTUS.

℞. Olei succini destillando depurgati (*rectificati*). 12
Balsami seu resinae Meccanae 8
Alcoolis (26=36 Bé) 500
Digerantur per quatriduum et sic fiat tinctura.
Tum
℞. Tincturae praedictae 1
Ammoniae liquidae (20°) 16

Tincturam Ammoniae instilla. Admissa tinctura liquor lactescet, agitandus ut commisceantur, oleo in Saponulum verso, et non tam soluto quam diluto,

quibus constat aqua dicta *Luciae*, quam servabis ad usum.

Quidam tincturae aliquantulum saponis addunt Amygdalini, ut olei solutio in Ammonia plenius absolvatur.

6. SAPO EX MEDULLA BOVINA, AMMONIACALIS, CAMPHORATUS, VULGO *BALS. OPODELDOCH.*

Paratur primo Sapo animalis de Medulla Bovina sequenti modo.

℞. Medullae Bovinae, ut jam dictum est (pag. 8), praeparatae	500
Potassae liquidae (*v.* pag. 208)	250

Misceantur et simul liquescant igne leni, spatulaque moveantur, donec intime mixta coalescant in Saponem aqua omnino solubilem.

Quo facto, solvatur Sapo iste	
In Aquae bullientis	2,000
Addaturque soluto	
Muriatis Sodae	180
Solutae in Aquae stillatae	1,000

Sapo brevi praeceps agetur; idem frigefactus, abjecta aqua, per linteum exprimendo transadigatur et siccetur, dividaturque ut erit opus.

Hic est *Sapo ex Medulla Bovina.*

Tum *ex ipso hoc Sapone parabitur* Sapo Ammoniacalis Camphoratus sequenti modo.

℞. Saponis de Medulla Bovina	64
Alcoolis purissimi (26=36 Bé)	376
Aquae de Thymo stillatitiae	64
Camphorae purissimae	4

Sapo in frustula concisus ingeratur in vas ampullatum longioris colli (*matratium*), caeteris admixtis. Vasis ostium vesica obducta innexaque contegatur. Vesica

autem acu pertundatur, ut aëri pateat exitus. Haec mistura deinde liquefiat balneo maris, calidaque percoletur, et ubi paulisper refriguerit, ipsi admisceantur

Oleorum volatilium
 Rosmarini 6
 Thymi 2
Ammoniae liquidae 8

Sic paratum Saponem *Opodeldoch* affundere solent in lagunculas cylindricas, ore latiori patentes.

Potest etiam idem Sapo parari ex *adipe porcino* sive *arvina*, parata ut dictum est *de Medulla Bovina.*

N. B. Causticus idem et vesicans fit vulgo apud Germanos, aucta tantum ratione Ammoniae. Hanc autem praecipue sibi comparant ex Muriate Ammoniae, ope Subcarbonatis Potassae, admixto ad destillationem Alcoole purissimo; et Ammoniam sic paratam vocant *Liquorem Ammoniae vinosum.*

7. SAPONES RESINIS MEDICATI.

℞. Resinae Jalapae,
 Aut Scammonii,
 Aut alius cujusvis 8
Saponis Amygdalini 16
Solvantur in Alcoolis (22=32 Bé)
. . . . *sufficienti quantitate.*

Vaporet deinde Alcool; residuaque materies inspissetur in extracti densitatem.

Hujus Saponis grana tria tenebunt Resinae granum unum.

VI. AQUAE MINERALES ARTE FACTAE.

Cum, teste medicorum multorum experientia, manifestum sit multis in casibus Aquas, seu solutiones aquosas mineralium arte factas, non carere virtutibus, quibus ipsi nobilitantur fontes Aquarum Mineralium, quas passim diversis in locis scaturientes objicit Natura, non inutile visum est hic quaedam subjicere de methodo, qua non absimiles omnino naturalibus aquas ars chymica parare consuevit.

Paucas hic in exemplum attulisse sufficiat ex praecipuis et frequentius usitatis: ex his nempe facile et alias plures conficiendi methodus innotescet, pro singularum natura analyseos ope perspecta.

Caeterum hic non tam Naturam aemulari, quam ad eam, quantum fieri potest, propius accessisse animus est, et non omnes, sed praecipuas, quibus indiget Medicina, attingere naturalium aquarum virtutes.

Aquas arte factas hic dividimus
in Aquas acidulas;
Aquas acidulas salinas;
Aquas acidulas materiales, seu Ferrum tenentes solutum;
Aquas hydro-sulfuratas.

1. AQUA ACIDULA SIMPLICIOR.

℞. Primum Gaz Acidi Carbonici, arte jam descripta parati (*vide* p. 201), tantum quantum pro opere conficiendo requiritur: Tunc, ope antliae comprimentis, ad doliolum Aqua stillata fere plenum aptatae,

gaz in dolium adigatur ea copia, quae in aëre libero quinquies Aquae mensuram aequare valeat; post viginti quatuor horas, quam celerrime in lagenas urgeatur aqua sic parata, illico diligentissime obturandas, obturaculo cito resina liquata obducendo. Lagena autem singula sit circiter 650 grammatum, aut unciarum plus quam viginti capax. Supinae in cellis subteraneis reponantur ad usum.

AQUAE ACIDULAE SALINAE.

2. AQUA VICIENSIS (DE VICHY).

℞. Aquam acidulam, recepta Gaz Acidi Carbonici dupla mensura praegnantem . *quantum opus erit.*

Solve . . . .

Pro Aquae istius unciis viginti et semis, vel 650 gram.

Sub-Carbonatis Sodae grana triginta duo, vel . . . . 1 ,6

Sulfatis Sodae grana sexdecim, vel . . 0 ,8

Muriatis Sodae grana quatuor, vel . . 0 ,2

Sub-Carbonatis Magnesiae granum semis, vel . . . . 0 ,025

Muriatis Ferri grani unius quartam partem, vel 0 0125

Sales primum in lagenam justae capacitatis ingerantur; in ipsam deinde urgeatur Aqua acidula; obturetur illico et diligenter lagena servetur in frigidario.

Eodem artificio parandae sunt

Aquae sequentes, varia pro variis admissa salium quantitate, scilicet.

3. AQUA SELTERANA.

(DE SELTZ ou SELTER.)

℞. Pro Aquae acidulae, quintupla Gaz Acidi Carbo-

nici mensura medicatae, unciis viginti et semis, vel . . . . 650 gram.

Sub-Carbonatis Sodae grana quatuor, vel . . . . 0 ,2

Sub-Carbonatis Magnesiae grana duo, vel . . . . 0 ,1

Muriatis Sodae, grana viginti duo, vel 1 ,1

Caetera ut supra peragantur.

4. AQUA SEDLITZENSIS.

(DE SEDLITZ.)

1°. *Debilior.*

℞. Aquae acidulae, Gaz Acidi Carbonici triplici mensura praegnantis, uncias viginti et semis, vel . . . . 650 gram.

Sulfatis Magnesiae circiter drachmas duas, vel . . . . 8 ,0

Muriatis Magnesiae grana octodecim, vel . . . . 0 ,9

2°. *Saturatior.*

Si Saturatiorem, naturalique propriorem velis, augenda est ratio sulfatis Magnesiae et pro Aquae acidulae unciis viginti et semis, vel 650

Solvantur Sulfatis Magnesiae drachmas quatuor, vel 16

Muriatis Magnesiae grana triginta sex, vel 1 ,8

N. B. Aqua Sedlitzensis naturalis Acido Carbonico aut nullo feta est, aut paucissimo; et talis facile parari potest, solutis in Aqua simplici Sulfate Magnesiae et Muriate. Verum usus apud nos invaluit Aquam acidulam ad solvendum Sulfatem adhibendi, unde et ingrata minus haec Aqua, et ventriculo videtur esse amicior. Idem fieri etiam solet in aliis omnibus salinis Aquis conficiendis.

5. AQUA BELLILUCANA.

(DE BALARUC.)

℞. Pro Aquae acidulae, Gaz Acidi Carbonici dupla mensura praegnantis, unciis viginti et semis, vel . . . . 650 gram.
Muriatis Sodae drachmam unam et semis, vel 6
Muriatis Calcis grana octodecim, vel . . 0 ,9
Muriatis Magnesiae grana sex et quinquaginta, vel . . . . 2 ,8
Carbonatis Magnesiae granum unum, vel 0 ,05

6. AQUA BORVONENSIS.

(DE BOURBONNE-LES-BAINS.)

℞. Pro Aquae acidulae, dupla Gaz Acidi Carbonici mensura praegnantis, unciis circiter viginti et semis, vel . . . . 650 gram.
Muriatis Sodae circiter drachmam unam, vel . . . . 4 ,0
Muriatis Calcis grana decem, vel . . . 0 ,5

AQUAE ACIDULAE MARTIALES.

7. AQUA SPADANA.

(DE SPA.)

℞. Pro Aquae acidulae, quintuplici Gaz Acidi Carbonici mensura medicatae, unciis circiter viginti et semis, vel . . . . 650 gram.
Sub-Carbonatis Sodae, grana duo, vel . 0 ,1
Muriatis Sodae, granum unum, vel . . 0 ,05
Sub-Carbonatis Magnesiae grana quatuor, vel . . . . 0 ,2
Sub-Carbonatis Ferri granum unum, vel . . . . 0 ,05

8. AQUA PYRMONTANA.

(DE PYRMONT.)

℞. Pro Aquae acidulae, quintuplici Gaz Acidi Carbonici mensura praegnantis, unciis circiter viginti et semis, vel . . . . 630gram.
Muriatis Sodae grana duo, vel . . . 0 ,1
Sulfatis Magnesiae grana octo, vel . . 0 ,4
Carbonatis Magnesiae grana duodecim, vel . . . . 0 ,6
Carbonatis Ferri granum unum, vel . 0 ,05

AQUAE HYDROSULFURATAE.

9. AQUA HYDROSULFURATA SIMPLEX, SEU *AQUA HEPATICA*.

℞. Sulfureti Ferri 1,000
Acidi Sulfurici (66 gr.) 2,000
Diluatur acidum in aquae stillatae 4,000
Sulfuretum autem in pulverem tritum ingeratur in phialam vitream;

Cui aptetur apparatus vasorum Woulfianus quinque aut sex lagenis constans aqua plenis sat capacibus, quarum ultima teneat duo et triginta circiter Potassae purae grammata in Aquae kilogrammate uno soluta, sive unciam unam pro libris duabus. Acidum per vices Sulfureto affunde, ut gaz prodeat Hydrosulfuratum, quod sic, post saturatam priorum laguncularum Aquam, Potassa mediante, in ultima laguncula detinebitur, nec tetro odore Officinam inficiet. Aqua autem hujus ultimae lagenae abjicietur, ut inutilis.

N. B. Aqua, barometro intra centimetra 76 stante, Gaz Hydrosulfurato maxime satura, istud non ultra mensuram sibi ipsi aequalem absorbere valet. No-

tandum autem est hanc Aquam longe esse saturatiorem quam ut inserviat ad usus medicos, imo et dici posse venenatam, adeoque Aqua pura varia ratione esse, pro re nata, diluendam. Saepius vero, ut patebit in sequentibus, aquae hujus mensura una mensura quadruplici aquae stillatae erit remiscenda.

. . . .

10. AQUA BARETGINENSIS.

(DE BARÈGES.)

℞. Aquae Hydrosulfuratae saturae circiter uncias quatuor, vel	130
Aquae purae circiter libram unam et unciam semis, vel	520
Carbonatis Sodae grana sexdecim, vel	0 ,8
Muriatis Sodae granum semis, vel	0 ,025

Sales ingerantur in lagenam justae capacitatis, deinde affundantur Aqua et Aqua Hydrosulfurata; obturentur lagenae diligenter et serventur ad usum.

In hac mistura Aqua tota tenebit gaz Hydrogenii Sulfurati quintam partem suae ipsius mensurae.

Eadem methodo sequentes aquae confici debent, scilicet:

. . . .

11. AQUA BONNENSIS.

(DE BONNES.)

℞. Aquae purae circiter libram unam et unciam semis, vel	520
Aquae Hydrosulfuratae circiter uncias quatuor, vel	130
Muriatis Sodae grana triginta, vel . .	0 ,15
Sulfatis Magnesiae granum unum, vel	0 ,05

12. AQUA AQUISGRANENSIS.

(D'AIX-LA-CHAPELLE.)

℞. Aquae purae circiter libram unam et unciam semis, vel 520

Aquae Hydrosulfuratae circiter uncias quatuor; vel 130

Carbonatis Sodae grana viginti, vel . . . 1 ,0

Muriatis Sodae grana novem, vel . . . 0 ,45

13. AQUA ACIDULA HYDROSULFURATA, QUAM DICUNT VULGO *NEAPOLITANAM.*

(DE NAPLES.)

Juxta methodum DD. TRIAYRE *et* JURINE.

℞. Aquae Acidulae, quadruplici Gaz acidi Carbonici mensura medicatae, circiter uncias quindecim et drachmas tres, vel . . . 492 ,0

Aquae Hydrosulfuratae uncias quinque et drachmam unam, vel . . . . 164 ,0

Carbonatis Sodae grana circiter octodecim, vel . . . . 0 ,9

Carbonatis Magnesiae grana circiter decem, ... 0 ,5

Ingestis prius salibus, urgeantur in eamdem lagenam Aqua Hydrosulfurata, ac deinde Acidula; et habebitur Aqua triplici Gaz acidi Carbonici mensura, et insuper Gaz Hydrogenii Sulfurati mensurae unius quarta parte praegnans; quae, iisdem, quibus caeterae, cautelis adhibitis, servabitur ad usum.

14. AQUA AD BALNEUM HYDROSULFURATA.

Pro Balneo 640 librarum aut kilogrammatum 320

℞. Hydrosulfureti Sodae liquidi, gradus in Areometro 25 notantis, uncias decem, vel 320

Solutionis salino-gelatinosae, mox describendae, uncias quatuor, vel 128

Misceantur simul, et deinde in balnei Aqua, paulo ante ingressum, agitando et penitus commovendo, dissolvantur.

Ipsa autem solutio salino-gelatinosa sequenti modo parari debet.

15. SOLUTIO SALINO-GELATINOSA.

℞. Aquae stillatae libram unam, vel . . .	500
Carbonatis Sodae unciam unam, vel . .	32
Gelatinae animalis unciam unam, vel . .	32
Sulfatis Sodae unciam semis, vel . . .	16
Muriatis Sodae unciam semis, vel . . .	16
Naphthae ex Petroleo paratae grana viginti, vel	1,0

Misceantur simul.

N. B. Ratio Hydrosulfureti et liquoris Salino Gelatinosi ad aquam Balnei, non eadem semper esse debet; et, pro variis casibus, varie a Medico definienda est. Neque in metallicis Balnei hujus aqua apparanda est, sed in ligneis tantummodo labris.

SECTIO NONA.

Medicamenta ex mixtis tantum Simplicibus conflata.

SPECIES, PULVERES COMPOSITI, MASSAE MOLLIORES, CONSERVAE, TABELLAE, ELECTUARIA ET OPIATAE, PILULAE ET BOLI.

Quantumvis medicamenta, in hac Codicis sectione proposita, veluti mixta tantum considerari soleant, non omnia tamen suam ex sola variorum cumulatione virtutem ita mutuari intelliguntur, ut nullis chymicarum affinitatum credantur subjacere legibus. Neque certe dubitandum est, quin, verbi gratia, in Electuariis, faventibus Melle, Saccharo, Syrupis, Aqua aut Vino, quaedam elementorum consociatio et commutatio intercedat, unde totum medicamentum, a simplici singulorum, quibus conflatur, additione magnopere differat. Cujus rei exemplum, ut infra videbitur, conati sumus proferre in ipsa Theriaca. Verumtamen in miscendis multis Pharmacopoeae Galenicae compositis, non alia saepe cura magis invaluit, quam cumulandarum virtutum

caeca satis sollicitudo. Quorum medicaminum utilitas et vis, duce potius experientia quam ratione innotuit, ita tamen ut iis jam nunc Ars ipsa carere nequeat. Ex iis igitur, quae usitatiora sunt, neque spernenda, neque negligenda arbitrati, hic loci collegimus.

I. SPECIES.

Specierum nomine apud Pharmacopoeos designantur commixtae aut Herbae aut partes Herbarum plures, siccae, minutim concisae, ex quibus parabilia fiunt, aut infusa, aut decocta, aut alia ejusdem generis.

Si quas Medicus praeceperit Species, in medicamentorum *Magistralium* compositione admittendas, semper determinata dosi eas ipsum praescribere convenit.

1. SPECIES DICTAE *EMOLLIENTES.*

℞. Foliorum siccatorum

Malvae rotundifoliae,
Althaeae officinalis,
Verbasci Thapsi,
Senecionis vulgaris,
Parietariae vulgaris . āā *partes pondere aequales.*

Misce et serva ad usum.

2. SPECIES EX FLORIBUS, *BECHICAE* DICTAE, SIVE AD *TUSSIM.*

℞. Florum siccatorum

Malvae rotundifoliae, vel Althaeae officinalis

Florum Gnaphalii Dioïci (*Pes Cati*),
Tussilaginis Farfarae,
Petalorum Papaveris Rhaeados . . ãa *partes pondere aequales.*
Misce et serva ad usum.

3. SPECIES EX FRUCTIBUS, DICTAE *BECHICAE.*

℞. Dactylorum (*Phoenix Dactylifera*), nucleis exclusis,
Zizyphorum (*Zizyphus sativa*),
Ficuum Caricarum,
Passularum (*Vitis vinifera* aut *Apyrena*) . . .
aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

4. SPECIES AMARAE.

℞. Foliorum siccatorum
Teucrii Chamaedryos,
Summitatum Erythraeae Centaurii,
Artemisiae Absinthii ãa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

5. SPECIES AROMATICAE, DICTAE *VULNERARIAE* (1).

℞. Foliorum Siccatorum
Salviae officinalis,

(1) Hoc sub nomine enumerantur vulgo herbae, quarum natura insignitur aliqua in quibusdam amaritie, cui semper junctum est nonnihil quod astringere percipitur. His plus minusve adjungitur

Foliorum Thymi vulgaris,
Thymi Serpylli,
Hyssopi officinalis,
Menthae aquaticae,
Artemisiae Absinthii,
Origani vulgaris . aa *partes pondere aequales.*

Misce et serva in usum.

6. SPECIES AROMATICAE, *PECTORALES* DICTAE.

℞. Foliorum siccatorum
Adianti pedati,
Veronicae officinalis,
Hyssopi officinalis,
Glecomae hederaceae aa *partes pondere aequales.*

Misce et serva ad usum.

7. SEMINA EX OMBELLIFERIS, VULGO DICTA *CARMINATIVA*, SEU *FLATIBUS DISCUTIENDIS APTA.*

℞. Seminum Pimpinellae Anisi,
Anethi Feniculi,

---

aroma, in quibusdam debile admodum, in aliis sat potens, sed quod organa tantum suscitare, caput autem nullatenus tentare valet. Pleraeque desumuntur inter Rosaceas, Labiatas, et Compositas, has vero praecipue flosculosas, herbas. *Vulnerariarum* autem ideo ipsis additum nomen videtur fuisse, quod non inutiliter, sive infusae, sive decoctae, extus intusve adhiberentur, in vulneribus aegre coalescentibus, ob inertiam mollitiemque solidorum, superfluam qua turgent seri colluviem, adeoque difficilem in iis puris legitimi generationem. Hic autem herbas tantum inscripsimus quae non debili pollent aromate.

Coriandri sativi,
Cari Carvi . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

8. SPECIES ANTHELMINTHICAE.

℞. Foliorum et florum siccatorum
Tanaceti vulgaris,
Artemisiae Absinthii,
Anthemidis nobilis aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

9. SPECIES DIURETICAE.

℞. Radicum siccatarum et minutim concisarum
Anethi Feniculi,
Rusci aculeati,
Ononidis spinosae,
Asparagi sativi,
Apii Petroselini . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

10. SPECIES SUDORIFICAE, AD PARANDA INFUSA.

℞. Ligni Sassafras scobe abrasi (*Laurus Sassafras*),
Florum Sambuci (*Sambucus nigra*),
Foliorum Borraginis (*Borrago officinalis*),
Petalorum Papaveris Rhaeados . . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

11. SPECIES SUDORIFICAE, AD DECOCTA PARANDA.

℞. Ligni Guaïaci officinalis, scobe abrasi,
Radicum Smilacis Salsaparillae concisarum,
Radicum Smilacis Chinae in taleolas dissectarum
. . . . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

12. SPECIES ASTRINGENTES.

℞. Radicum siccatarum et minutim concisarum
Polygoni Bistortae,
Tormentillae erectae,
Corticis Punicae granati, seu *Malicorii* minutim concisi . . . . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

13. SEMINA, DICTA VULGO *FRIGIDA.*

℞. Seminum
Cucurbitae Lagenariae,
Cucurbitae Citrulli,
Cucumeris Melonis,
Cucumeris Sativi . . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

14. FARINAE EMOLLIENTES DICTAE.

℞. Farinarum Lini usitatissimi,
Secalis Cerealis,
Hordei distichi . aa *partes pondere aequales.*
Misce et serva in usum.

15. FARINAE RESOLVENTES (1) DICTAE.

℞. Farinarum
Trigonellae Feni-graeci,
Fabae majoris,
Orobi sylvatici,
Lupini albi . . . aa *partes pondere aequales.*

Misce et serva in usum.

II. PULVERES COMPOSITI.

Parva quantitate semper parandi sunt compositi Pulveres, saepiusque renovandi. Nonnullos etiam praestat commisceri ubi praescribuntur, eos praecipue quos aëris contactus, aut loci tepor humorisve facilis allapsus immutare valent: numeros igitur hic tantum formulis generales apposuimus, et mutuam miscendarum rationem summasque omnium subscripsimus. Numeros enim in drachmas vertere aut grammata, pro lubitu, servata omnium ratione, cuique licebit.

Inter Pulveres, quidam hic quoque (ut Pulvis *James*, et Pulvis *Dover*) numerantur, qui consociatis ignis vi partibus valent, adeoque inter chymice praeparata melius forsan conscriberentur; sed cum incerta satis chymicarum operationum lege sint conflati, demumque commixtis, quantumvis im-

---

(1) Inter medicamenta externa, resolventium nomine vulgo insigniuntur ea, in quibus emolliendi facultas tonicae cuidam et astringenti consociatur, et discutientia rectius forsan vocarentur.

mutatis, sed non unitis partibus constent, in aliis Sectionibus locum nullibi proprium nancisci potuerunt.

1. PULVIS DE SULFATE POTASSAE COMPOSITUS, dictus vulgo *TEMPERANS STAHLII.*

℞. Sulfatis Potassae	9
Nitratis Potassae purissimi	9
Sulfureti Hydrargyri rubri praeparati	2
Summa omnium	20

Misceantur et supra porphyriten levigentur, donec habeatur Pulvis tenuissimus.

2. PULVIS DE MAGNESIA COMPOSITUS, dictus *ANTIACIDUS*, seu *ABSORBENS.*

℞. Magnesiae purae, seu igne exustae,
Sacchari albi . . . aa *partes pondere aequales.*
Misce diu in mortario vitreo, et fiat Pulvis.
Servetur in vase accurate clauso.

N. B. Parca tantum quantitate parandus et asservandus est iste Pulvis; imo praestat componi, ubi praescriptus requiritur.

3. PULVIS DE ARO COMPOSITUS.

℞. Radicum Ari	48
Acori Veri	48
Pimpinellae Saxifragae	48
Concrementorum de Cancris praeparatorum	12
Cinnamomi	9

Sulfatis Potassae	6
Muriatis Ammoniae	2
Summa omnium	173

Misce accurate et fiat secundum artem Pulvis tenuissimus, in vase vitreo probe obturato servandus.

4. PULVIS DE SULFURE ET SCILLA, VULGO DICTUS *ANTI-ASTHMATICUS*, VEL *INCISIVUS*; SEU *AD MUCUM PULMONALEM LIBERIUS CIENDUM.*

℞. Sacchari albi	3
Sulfuris sublimati loti	2
Scillae (*Scilla maritima*) exsiccatae et in pulverem tritae	1
Summa omnium	6

Misce diu et fiat Pulvis.

5. PULVIS DE AMARIS COMPOSITUS, VULGO DICTUS *ANTI-ARTHRITICUS AMARUS.*

℞. Radicum Gentianae (*Gentiana Lutea*) .	2
Aristolochiae rotundae	2
Florum Erythraeae Centaurii	4
Foliorum Chamaedryos (*Teucrium Chamaedrys*)	2
Chamaepithyos (*Teucrium Chamaepithys*)	2
Summa omnium	12

Misce et fiat Pulvis.

6. PULVIS DE SENNA, SCAMMONIO ET LIGNIS COMPOSITUS, DICTUS *ANTI-ARTHRITICUS PURGANS.*

℞. Gummi Arabici	4
Tartratis aciduli Potassae	4

Foliorum Sennae mundatorum (*Cassia Senna*)		4
Corticis Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*)		4
Scammonii (*Convolvulus Scammonium*) . .		2
Radicum Salsaparillae (*Smilax Salsaparilla*)		2
Chinae (*Smilax China*)		2
Ligni Guaïaci (*Guaïacum officinale*) . . .		2
Summa omnium		24

Fiat ex omnibus Pulvis tenuissimus.

Sennae et Scammonii ratio ad Summam erit ut 1 ad 4.

7. PULVIS DE JALAPA ET SCAMMONIO COMPOSITUS, DICTUS *CATHARTICUS.*

℞. Pulverum Jalapae (*Convolvulus Jalapa*)	1
Tartratis aciduli Potassae	2
Scammonii Alepensis	1
Summa omnium	4

Misce diu in mortario vitreo, et erit Pulvis in vase clauso servandus.

8. PULVIS DICTUS *CORNACHINI*, SIVE *DE TRIBUS.*

℞. Scammonii Alepensis,
Tartratis Aciduli Potassae,
Oxidi Stibii albi (vulgo *Antimonium diaphoreticum*) loti . . . . aa *partes pondere aequales.*

N. B. Parva tantum hujus Pulveris copia singula vice praeparari debet; ne vis ipsius purgans temporis lapsu immutetur, et vertatur in emeticam. Melius etiam parabitur ex tempore, et ubi praescribitur.

9. PULVIS E GUMMI GUTTA SEU CAMBOGIA COMPOSITUS, DICTUS *HYDRAGOGUS.*

℞. Radicum Jalapae (*Convolvulus Jalapa*) .	24
Mechoacannae (*Convolvulus Mechoacanna*)	12
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*)	8
Rhei electi (*Rheum Palmatum*)	8
Gummi Guttae	5
Foliorum Convolvuli Soldanellae siccatorum	6
Seminum Anisi	12
Summa omnium	73

Teratur seorsim, summa cum cura, Gummi gutta in pulverem tenuissimum; deinde cum caeteris pulveribus accurate misceatur; et fiat ex omnibus Pulvis. In quo aromaticorum ad purgantia ratio erit 1 ad 2,65.

10. PULVIS E SULFURETO HYDRARGYRI NIGRO ET SCAMMONIO DICTUS *VERMIFUGUS MERCURIALIS.*

℞. Pulveris e Scammonio compositi dicti de tribus *vide* n° 8),
Sulfureti Hydrargyri nigri recenter terendo praeparati . . . . . aa *partes pondere aequales.*
Mixta conterantur in mortario vitreo et fiat Pulvis.

11. PULVIS EX HELMINTHOCHORTO COMPOSITUS, DICTUS *VERMIFUGUS ABSQUE MERCURIO.*

℞. Fuci Helminthochorti,
Seminis-contra (*Artemisia contra*, vel *Artemisia Judaïca*).

Summitatum Absinthii (*Artemisia Absinthium*),
Tanaceti (*Tanacetum vulgare*),
Foliorum Scordii (*Teucrium Scordium*),
Sennae (*Cassia Senna*),
Rhei electi (*Rheum Palmatum*) aa *partes pondere aequales.*

Misce et fiet Pulvis secundum artem.

12. PULVIS GUMMOSUS ALKALINUS, VULGO DICTUS *SAPO VEGETABILIS.*

℞. Gummi Arabici in pulverem redacti tenuissimum 32
Carbonatis Potassae crystallorum 4

Tere simul diuque, ut intime misceantur, et fiat pulvis ex tempore et ubi praescribitur parandus.

13. PULVIS DE PHOSPHATE CALCIS ET STIBIO COMPOSITUS, DICTUS *ANTIMONIALIS DOCTORIS JAMES.*

(JAMES'S POWDER.)

℞. Sulfureti Antimonii crassiuscule triti,
Cornu Cervini scobina abrasi aa *partes pondere aequales.*

Mixta conjiciantur in sartaginem ferream, igne sic ardentem ut rubeat, et continuo agitentur, donec colorem cinereum induerint. Massam refrigeratam et in pulverem tritam indito in crucibulum loricatum, tectum alio crucibulo inverso, ex quo parvum pateat foramen. Aduratur materies in hoc apparatu per duas horas, ignem sensim augendo, donec candescat; deinde refrigerata teratur in Pulverem tenuissimum.

14. PULVIS EX IPECACUANHA ET OPIO COMPOSITUS DICTUS *DOVERI*.

(DOVER'S POWDER.)

℞. Sulfatis Potassae 4
Nitratis Potassae 4

Simul trita conjiciantur in crucibulum ut igne liquentur. Massae dein in mortarium ferreum effusae et pene refrigeratae adjice

Extracti Opii siccissimi in Pulverem redacti . 1

Hisque simul tritis adde demum

Radicis Ipecacuanhae (*Cephaelis emetica*) . 1
Glycyrrhizae (*Glycyrrhiza glabra*) . 1

Terantur omnia in Pulverem tenuissimum.

(*Swediaur Pharmacopoea.*)

15. PULVIS DE ASARO COMPOSITUS DICTUS *STERNUTATORIUS*.

℞. Foliorum siccatorum
Majoranae (*Origanum Majorana*) 2
Betonicae (*Betonica officinalis*) . 2
Asari (*Asarum Europaeum*) . . 2
Florum siccatorum
Lilii convallium (*Convallaria Majalis*) 2

Summa omnium. 8

Misce et fiat Pulvis secundum artem.

16. PULVIS DENTIFRICIUM.

℞. Boli Armenii praeparati 24
Coralli rubri praeparati 24
Ossis Sepiae supra Porphyriten levigati . . 24

Resinae Sanguis-Draconis dictae. . . . 12
Coccinellae (*Coccus Cacti*) in Pulverem redactae 3
Tartratis aciduli Potassae 56
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) . . 6
Caryophyllorum (*Caryophyllus aromaticus*) 1

Summa omnium 130

Misce accurate et fiat Pulvis subtilissimus, in quo Tartratis aciduli ad summam ratio erit circiter 1 ad 3,6.

III. MASSAE MOLLIORES, DICTAE VULGO *PASTAE*.

Massae, ex medicaminibus una subactis constantes, mollitie pistoria, plasticae, partibus ita inter se cohaerentibus, ut digitis pressae non adhaerescant, dicuntur a recentioribus *Pastae* (Graecae vox originis, quasi farinae, quae mollescit aqua conspersa, πας̣η). Gummi Saccharumque, aqua aut infuso quolibet decoctove soluta, vaporando sensim addensata, in *Pastis* omnibus vinculum fiunt subactarum partium, mollitiemque ipsis propriam conciliant.

1. MASSA DE GUMMI ARABICO, VULGO *PASTA DE ALTHAEA*.

℞. Radicis Althaeae recentis et mundatae uncias quatuor, vel 125
Infunde per duodecim horas in Aquae communis libris quinque, vel 2,500

Cola; hoc deinde infuso, moderato calore et identidem agitando, solvantur

Gummi Arabici albissimi electi et contusi librae duae, vel 1,000

Sacchari albissimi librae duae, vel . . . 1,000

Colentur per linteum densum, exprimantur, et superfluus humor exhalet, igne aperto, ad spissitudinem extracti mollis, continuo movendo spatula lignea. Tum fortiter et assidue conteratur et subigatur Massa, identidem aspergendo,

Pro Massae libris quinque,

Spumam albuminis ovorum recentium duodecim,

Subactam in

Aquae de floribus Aurantiorum stillatitiae unciis quatuor, vel 128

donec albescat. Ea tunc Massa, nivei coloris, indesinenter agitata, inspissetur calore leni, usque dum spatulae imposita et manui admota ipsis non adhaereat. Tunc extendatur supra tabulam marmoream pulvere amylaceo conspersam.

Nota. Saepius Aqua communis in locum infusi radicis Althaeae sufficitur.

Eodem modo parari potest Massa Liquiritiae, radicem Glycyrrhizae sufficiendo in locum radicis Althaeae.

2. MASSA SEU PASTA DE DACTYLIS.

(*Phoenix Dactylifera.*)

℞. Dactylorum electorum et nucleis mundatorum libram unam et semis, vel 750

Sacchari purissimi libras quinque, vel . 2,500

Gummi Senegalensis seu Arabici electi et albissimi libras sex, vel 3,000

Aquae purissimae libras triginta, vel . . 15,000

Aquae Naphe uncias novem, vel 288

Ex quibus rite, ut mox dicendum est, praeparatis, habebitur Massa, pondo circiter libras novem, vel 4,500

Praeparandi modus.

Dactyli in minutissima frustula concisi in Aquae libris decem, vel 5,000

Bulliant per horam circiter; scilicet, donec molliores facti, facile inter digitos elidantur; decoctum deinde percoletur.

Seorsim contundatur Gummi et solvatur in Aquae libris viginti, vel 10,000

Solutum deinde per linteum densius trajiciatur. Liquores commixti in caldario igni imponantur, addito saccharo; quo soluto, albumina ovorum recentium quinque, cum aquae pauxillo agitando subacta, adjiciantur, bulliantque; subinde ut supernatabit, eximatur spuma, bullientique undatim liquori tenuis identidem frigidae vena affundatur.

Liquor ubi pellucidissimus evaserit, quod fiet tunc demum cum ad tertias vaporaverit, per pannum trajiciatur, atque iterum vaporet, nudo igne, donec in syrupi densioris lentorem inspissatus fuerit.

Admixta tunc Aqua Naphe, balneo maris vaporare pergat, nec amplius agitetur liquor, ea tantum adhibita cura, ut quae, cuticulae in modum, ad superficiem concreverit materies, ad latera vasis detrahatur.

Ubi liquor in densitatem extracti mollioris et lente fluentis, quale Juniperinum esse solet, devenerit, in formas laminis ferreis stanno obductis confectas (*moules de fer-blanc*), oleo primum plenius obductas, dein leviter detersas dividatur, atque ita vaporario demum committatur, ut calore moderato (30^{d}) et, quantum fieri potest, constanti perficiatur Massae ex-

siccatio, cujus quadrulae non ante inverti debent, quam Massa in soliditatem sufficientem constiterit.

Id autem sedulo observandum est ut vaporarium nec abrupte, nec nimium incalescat; ne Massa, ignis vi violentiori quasi correpta, nimium contrahatur, et amissa pelluciditate, rigida, tenaxque in corneam soliditatem induresc at.

. . . .

3. MASSA DE ZIZYPHORUM FRUCTU, VULGO *PASTA DE JUJUBIS.*

℞. Jujubarum (*Zizyphus Sativa*) lectissimarum et mundatarum libram unam, vel 500

Gummi Senegalensis electi et albissimi libras sex, vel 3,000

Sacchari purissimi libras quinque, vel . 2,500

Aquae percolatae libras triginta, vel . 15,000

Tincturae Alcoolicae de cortice Citrei, Aqua stillata dilutae, unciam unam, vel 32

His omnibus comparatis, non alia methodo Massa conficiatur ac de Dactylis praescriptum est.

Inde habebuntur Massae praeparatae seu *Pastae* circiter librae novem, vel . . . 4,500

4. MASSA DE EXTRACTO GLYCYRRHIZAE, SEU *PASTA GLYCYRRHIZAE* GUMMATA ET ANISATA.

℞. Extracti Glycyrrhizae purissimi libram unam, vel 500

Gummi Senegalensis libras duas, vel . 1,000

Sacchari albi libram unam, vel . . . 500

Radicis Iridis Florentinae in pulverem redactae drachmam unam, vel 4

Olei volatilis seminum Anisi grana circiter viginti quatuor, vel . . . . 1 ,2

Diluatur Gummi Aquae sufficienti quantitate.

Dilutum cola, sinito residere, elutriato liquori adde extractum Glycyrrhizae, vaporet leni igne, donec in mellis densitatem lentescat; tunc adde pulverem Iridis; et, cum, protacta, vaporatione, in extracti spissitudinem constiterit, adde demum oleum Anisi Saccharo commixtum.

Caeterum eodem haec exsiccanda est modo quo Massa seu *Pasta* de Jujubis.

IV. CONSERVAE.

Conservarum nomine designantur Pulpae omnes sive ex fructibus, sive ex recentibus herbis floribusve, sive ex herbarum pulveribus aqua sufficienti subactis paratae, quibus, condiendi gratia, aliqua sacchari quantitas admiscetur. Vulgo Conservae habentur molles et densitate Melli similes, quaedam vero ita siccae, ut Sacchari instar frangi possint. Facile ut plurimum vitiantur, atque adeo non nisi mediocri copia singulis vicibus erunt parandae.

1. CONSERVA ROSARUM RUBRARUM RECENTIUM.

℞. Rosae Rubrae petalorum recentium, ungue abscisso mundatorum 150

Sacchari albi in pulverem redacti . . . 300

Contunde simul in mortario marmoreo, pistillo ligneo, ut fiat pulpa tenuissimarum partium, quam trajice, mediante spatula pulmentaria, per incerniculum setaceum densioris textus.

Pulpae hoc modo elicitae adde

Sacchari albi ita decocti, ut in electuarii densitatem consistat, postquam paululum refriguerit 1,200

Misce accurate, et erit Conserva,

Petalorum Rosae ratio ad Massam erit 1 ad 11.

Simili modo conficiuntur

Conservae Herbarum et Florum recentium.

2. CONSERVA ROSARUM OMNI TEMPORE PARANDA.

℞. Petalorum Rosae rubrae, ungue abscisso, siccatorum et in pulverem redactorum 90

Admisceatur Aquae Rosarum fragrantis quantum sufficit, ut coëant in pulpam: macerentur in vase faventino per sex horas, saepius agitando spatula eburnea: dein adde sacchari aqua Rosarum soluti et ita cocti ut cogi possit in tabellas 1,000

Misce accurate in mortario marmoreo, pistillo ligneo, et erit Conserva.

Petalorum autem ratio ad massam erit . 1 ad 12

5. CONSERVA CYNORRHODI.

℞. Pulpae fructuum Rosae caninae seu Cynorrhodi, ut supra dictum est paratae 500

Sacchari albi ad electuarii densitatem usque cocti 750

Misce accurate; fiat Conserva secundum artem.

Ratio Pulpae ad Massam erit . . . . . . 2 ad 5

4. CONSERVA CASSIAE, SEU *CASSIA COCTA.*

℞. Extracti Cassiae 160

Syrupi Violarum 120

Sacchari in pulverem redacti 50
Vaporent balneo maris, identidem agitando, ad extracti mollis densitatem, cui refrigerato
Adde Olei volatilis florum Aurantiorum . ℔ ,1
Serva ad usum.

5. CONSERVA DE RADICE HELENII.
(*Inula Helenium.*)

℞. Pulpae radicis Helenii coquendo paratae, ut praescriptum est ad conficiendam Pulpam ex herbis emollientibus, et per setaceum incerniculum trajectae 250
Sacchari albi in decocto radicis Helenii ad electuarii solidi densitatem cocti. 1,000
Misce; fiat Conserva secundum artem.
Ratio Pulpae radicis ad Massam erit 1 ad 5.

Simili modo parantur Conservae

de Angelica (*Angelica Archangelica*);
Apio (*Apium graveolens*).

6. CAULES ANGELICAE SACCHARO CONDITI.

Cum saepius, condiendi causa, Angelicae et Apii Caules, Citreorum aut Aurantiorum cortices Saccharo conditi, medicamentis aut admisceantur, aut infundantur, etiamsi inter Bellaria frequentius ista recenseantur, utile credidimus ea in Pharmacopoeorum officinis ad usum medicum apparari.

Elige caules Angelicae tenerrimos; detracta cuticula concidantur in frusta tres quatuorve digitos longa.

Bulliant, quod dealbare (*blanchir*) vulgo dicitur, in Aquae sufficienti quantitate, quae saporis vim aliquatenus refringat.

Eximantur deinde, et supra incerniculum disponantur ut superfluus exstillet humor. Haec dum

peraguntur, fiat Syrupus de Saccharo purissimo ad graduum 36 densitatem usque decoquendus, in quem caules immergantur bulliantque, donec ab iis omnis humor abscesserit; quod tunc demum factum esse intelliges, cum cauliculi saccharo satis incocti solidescent; quo facto, cochleari foraminulis pertuso exempti, supra crates ferreas ligneasve reponentur, ut humor exstillet in supposita fictilia; ac demum exsudabunt in calidario, donec fragiles evaserint.

Caules Apii graveolentis, ipsique flores Aurantiorum et Citreorum cortices sive integri, sive summi, quos dicunt flavedines, eodem modo conservari queunt; sed integri quidem sic parabuntur Apii caules; Angelicae vero frustatim, ut et Citreorum cortices, condire praestat.

7. CHOCOLATA SIMPLICIOR, QUAM VULGO DICUNT *CHOCOLAT DE SANTÉ.*

Cum saepissime Chocolata, lucri causa, nimium adulteretur, vel admixtis heterogenaeis, unde Massae moles increscat, vel adhibitis malae admodum notae seminibus; indeque in diaetam a medicis praescriptam non mediocre vitium saepius inferatur; utile futurum hic loci credidimus, si methodum conficiendae Chocolatae inter formulas Pharmacopoeis proponendas exscriberemus. Cui quidem si, ex medici judicio, aliquid addere placuerit quod aut ad diaetae utilitatem, aut ad morborum curam conferat, id ex peculiari praescriptione, non clam, ut solent, nec promiscue, neque indefinite fieri conveniet.

℞. Seminum Caracensium Theobromae Cacao tostorum, teguminibus et radiculis mundatorum 1,750

Seminum Theobromae, insularum dictae, similiter tostorum et mundatorum 5,000
Sacchari albissimi 5,000
Cinnamomi corticis in pulverem redacti . 40

Semina utriusque Cacao ferreo mortario, prius calefacto, contunde cum quarta parte Sacchari; quae ubi in massam contrita coaluerint, partitim axe ferreo conterentur supra lapidem laevissimum huic operi aptum, et ita calefactum ut Massa, facta calore mollior, facilius penitiusque attenuetur; cui, ubi ad subtilitatem debitam pervenisse visa fuerit, Cinnamomum et Sacchari quod reliquum est addetur, pergeturque conterendo per horae semiquadrantem: Massa demum, sic parata, in formas confectas ex laminis ferreis stanno obductis purissimas dividetur; in quibus frigefacta in soliditatem requisitam concrescet.

N. B. Prout vel magis, quod apud Italos, vel minus, quod apud Hispanos solitum est, torrentur semina, amaritiem quoque majorem minoremve contrahunt, et minorem aut majorem unguedinis propriae suppeditant in Chocolata copiam. Torrendo enim Chocolatae color ex obscure rubro in fuscum et saepe fere nigricantem vertitur; eademque simul amaritiem, non sine aromate, gustui non ingratam objicit. Ex alterutra igitur methodo, Itala aut Hispana, modo tonica magis, modo demulcente et analeptica virtute pollet Chocolata. Itaque haec omnia a Medico, pro re nata, definienda et requirenda sunt.

8. CHOCOLATA VANILLAE ODORE.

℞. Massae, modo supra praescripto paratae, quantitatem supra dictam.
Cui adde, cum ad debitam subtilitatem pervenerit,
Vanillae in pulverem tritae 40

Misce accurate conterendo; deinde in formas divide, ut dictum est superius.

V. TABULAE SEU QUADRAE ET PASTILLI.

Tabulae seu *Quadrae* et *Quadrulae*, aut, si minores sint multo, *Pastilli* dicuntur medicamentorum genus siccum, fragile, variis Pulveribus et Saccharo constans, quibus additur mucaginis cujuslibet ea quantitas, cujus ope devinctae mollescunt in massam tractabilem, quae in planum ducta et in quadrulas divisa aequaliter, in vaporario exsiccari debet.

Quandoque in mucaginis locum sufficitur saccharum ipsum aqua solutum, ad plumulas usque percoctum, quo devinciuntur pulveres.

Hoc genus medicamentorum in clausis asservandum est vasis, et reponendum in locis in quibus nequeant humescere.

Pastillos quoque specialiter vocant cum Saccharum ipsum ad plumulas decoctum, admixtis variis odoribus oleisve fragrans, guttatim in sphaerulas aut semisphaerulas dividitur.

1°. TABELLAE OPE MUCAGINIS PARATAE.

1. TABELLAE DE ALTHAEA.

℞. Radicis Althaeae (*Althaea officinalis*) in subtilissimum pulverem redactae unciam unam et semis, vel 48

Sacchari albissimi in pulverem redacti uncias quatuor et semis, vel 144

Accurate misce; fiat Massa cum mucagine Gummi Tragacanthae, unde informentur postea Tabellae secundum artem.

2. TABELLAE DE SULFURE SIMPLICES.

℞. Sulfuris sublimati et loti unciam semis, vel 16

Sacchari albissimi uncias quatuor, vel 128

Gummi Tragacanthae in mucagines lentorem Aqua Rosarum soluti . . . . *quod sufficiet.*

Ut fiant, secundum artem; Tabellae in clibano exsiccandae.

3. TABELLAE DE SULFURE COMPOSITAE.

℞. Sulfuris sublimati et loti drachmas duas, vel . . . . 8 ,0

Acidi Benzoïci sublimati grana duodecim, vel . . . . 0 ,6

Radicis Ireos Florentinae in pulverem redactae drachmam semis, vel . . . . 2 ,0

Olei de Aniso stillatitii grana octo aut guttas duodecim, vel . . . . 0 ,4

Sacchari albi uncias quinque et semis, vel 176 ,0

Cum sufficienti quantitate mucaginis Gummi Tragacanthae fiant Tabellae secundum artem.

4. TABELLAE DE MAGNESIA, DICTAE *ABSORBENTES.*

℞. Magnesiae purae unciam unam, vel . . 32

Sacchari albissimi uncias quatuor, vel . . 128

Cum sufficienti Gummi Tragacanthae quantitate, Aqua Naphe in mucaginem soluti, fiant Tabellae.

Simili modo parari possunt

Tabellae

De Concrementis, vulgo lapidibus Cancrorum.

5. TABELLAE DE ACIDO OXALICO, DICTAE *AD SITIM.*

℞. Acidi Oxalici puri et supra porphyriten levigati drachmam unam, vel 4

Sacchari albissimi libram semis, vel . . . 250

Olei volatilis Citrei grana duodecim aut guttas octodecim, vel . . . . 0 ,6

Misce diu in mortario marmoreo, et, cum sufficienti quantitate mucaginis Gummi Tragacanthae, fiant Tabellae seu Pastilli, pondo circiter grana decem, vel . . . . 0 ,5

Simili modo parantur:

Tabellae de Acidis Tartari,

Et Citrei.

6. TABELLAE DE KINAKINA.

(*Cinchona Condaminea.*)

℞. Extracti de Kinakina sicci unciam semis, vel 16

Sacchari albi puri uncias quatuor, vel . 128

Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmam semis, vel 2

Misceantur accurate, et, cum sufficienti quantitate mucaginis Gummi Tragacanthae, fiant ex arte Tabellae, pondo circiter grana octo, vel . . . . 0 ,4

Saccharo involvendae; quarum singulae continebunt extracti granum semis.

Serventur in vase clauso.

7. TABELLAE SEU PASTILLI DE CATHECU SIMPLICES.

℞. Extracti Cathecu purissimi in subtilissimum pulverem redacti	100
Sacchari albi purissimi	400
Mucaginis Gummi Tragacanthae . .	*quod sufficit.*
Ut fiant Pastilli pondo circiter grana duodecim, vel	0 ,6

Quibus grana duo Cathecu continebuntur.

8. TABELLAE DE CATHECU ET MAGNESIA.

℞. Pulveris Cathecu drachmas sex, vel . .	24
Magnesiae purae et in pulverem redactae uncias quatuor, vel	128
Pulveris Cinnamomi drachmas tres, vel .	12
Sacchari albi libram semis, vel	250
Gummi Tragacanthae grana duodecim, vel	0 ,6
Aquae Cinnamomi	*quod sufficit.*
Diu commisceantur, et fiat Massa dividenda in Tabellas pondo circiter grana duodecim, vel	0 ,6

Singulis autem inerunt Cathecu grani unius $\frac{2}{3}$ et Magnesiae grana quatuor.

9. TABELLAE SEU PASTILLI DE CATHECU ODORATI.

℞. Massae Pastillorum Cathecu supra confectae libram semis, vel	250

Adde Tincturae Ambrae, aut alius cujusvis, guttas sexdecim aut grana octo, vel . . o ,4
Misce accurate et fiant Pastilli.

Eodem modo parari possunt:

Pastilli de Cathecu fere omnes, quos inodorare licet variis additis oleis volatilibus.

10. TABELLAE seu PASTILLI DE IPECACUANHA.

(*Cephaelis emetica.*)

℞. Radicis Ipecacuanhae in subtilissimum pulverem redactae unciam semis, vel 16
Sacchari albi uncias viginti, vel . . . 640
Mucaginis Gummi Tragacanthae Aqua Naphe confectae . . . . *quantum satis.*
Fiat Massa e qua formentur Tabellae pondo circiter grana duodecim, vel . . . . o ,6
Ita ut singulae Ipecacuanhae teneant quartam partem grani unius.

11. TABELLAE DE RHEO.

(*Rheum Palmatum.*)

℞. Rhei electi et in pulverem redacti unciam semis, vel 16
Sacchari in pulverem triti uncias quinque, vel 160
Mucaginis Gummi Tragacanthae Aqua Cinnamomi paratae . . . . . . *quantum satis.*
Ut fiant Tabellae secundum artem, pondo circiter grana duodecim, vel . . . . . . o ,6
Ita ut singulae granum unum Rhei contineant.

12. TABELLAE DE SCAMMONIO ET SENNA COMPOSITAE.

Has Tabellas, Tabellis vulgo dictis *de Citro et Diacarthami* sufficere non dubitavimus, arbitrati nullum in purgantibus, apud vulgum et rusticos praesertim usitatissimis, medicamentum admittendum esse, cujus virtus non satis apud nostros usu perspecta sit, aut quod temporis lapsu, si diu asservetur, facile vitiari queat. Tales sunt in praedictis formulis *Hermodactyli*, qui raro admodum hodie usurpantur; talia etiam, in Tabellis iisdem, quaecumque oleoso-mucosis partibus abundant, ut *Medulla seminum Carthami*, et ipse *Pulvis dictus Diatragacanthi frigidi*, quem ideo inter hujus Codicis formulas non judicavimus admittendum.

℞. Scammonii drachmas tres, vel	12
Foliorum Sennae (*Cassia Senna*) drachmas quatuor et semis, vel	18
Rhei (*Rheum Palmatum*) drachmam unam et semis, vel	6
Caryophyllorum (*Caryophyllus aromaticus*) drachmam unam, vel	4
Corticis Citrei conditi unciam unam, vel .	32
Sacchari optimi uncias sex et drachmas sex, vel	216
Summa omnium	288

Omnia in pulverem tenuissimum trita, accurate commixta, humescant sufficienti quantitate mucaginis Gummi Tragacanthae Aqua Cinnamomi paratae, et in tabellas siccentur, quarum pondus aequabit cir-

citer drachmas sex, vel grammata viginti quatuor, in quibus

Purgantium ratio erit ut 1 ad 8, vel .	3 gram.
Aromaticorum ut 1 ad 8, vel	3
Gummi simul et Sacchari ut 3 ad 4, vel	18
Summa, seu Tabellae cujusque pondus	24 gram.

13. TABELLAE DE FERRO.

℞. Scobis Ferri supra Porphyriten levigatae unciam semis, vel 16

Pulveris Cinnamomi drachmam unam, vel 4

Sacchari in pulverem triti uncias quinque, vel 160

Misceantur cum Gummi Tragacanthae, Aqua Cinnamomi in mucaginem soluto *quantum satis.*

Fiant Tabellae secundum artem, pondo circiter grana duodecim, vel 0,6

Ita ut singulae circiter granum unum Ferri contineant.

14. TABELLAE DE STIBII SULFURETO, DICTAE *ANTIMONIALES KUNKELII.*

℞. Amygdalarum dulcium decorticatarum unciam unam, vel 32

Sacchari in pulverem triti libram semis, vel 250

Contundantur simul in mortario marmoreo, et fiat Massa tenuissimarum partium.

Dein adde seminum Cardamomi minoris (*Amomum Cardamomum*) mundatorum, et in pulverem cum tantillo Sacchari redactorum, unciam semis, vel 16

Cinnamomi in pulverem triti drachmas duas, vel 8

Sulfureti Stibii praeparati unciam semis, vel 16

Misce accurate cum sufficienti quantitate mucaginis Gummi Tragacanthae, et fiant Tabellae pondo circiter grana duodecim, vel . . . o ,6

Singula tenebit circiter Sulfureti Stibii granum semis; unde facile intelligitur quam innocue possit in his Tabellis adeo celebratis augeri multum ratio Sulfureti Stibii.

2°. TABELLAE ABSQUE MUCAGINIBUS PARATAE.

15. PASTILLI DE MENTHA PIPERITA.

℞. Sacchari albissimi uncias duas, vel . . . 64

Aquae Menthae fragrantissimae uncias duas, vel 64

Coque, secundum artem, ad Electuarii mollioris densitatem, in pultario manubriato et in acumen rostrato.

Interea,

℞. Sacchari albissimi in pulverem crassiorem contriti, excluso per cribrum pollinarium quod in pulvere subtilius est, uncias quatuor, vel 128

Olei volatilis de Mentha Piperita drachmam semis, vel 2

Ex quibus accuratissime mixtis fiat Elaeo-Saccharum, quod saccharo prius decocto, adhuc calenti, spatula argentea diligenter admisceatur; illico tunc et expedite per acumen pultarii, veruculo juvante, liquida adhucdum materies supra nitidum marmor, vel in chartam supra marmor extensam, guttatim effundetur. Refrigeratae et concretae guttulae, super incerniculum disponantur, et sub remisso caloris gradu, per aliquot horas siccari pergant.

Sic habebuntur Pastilli de Mentha Piperita loco sicco servandi.

ELECTUARIA, CONFECTIONES, OPIATA SEU OPIATAE.

Promiscue hodie, nullaque fere habita cura vocum discriminis, *Electuaria*, *Confectiones*, *Opiatae*, vocantur medicamenta mollia, pulveribus constantia subactis Syrupo vel simplici, vel composito, sive saccharo paratus sit sive melle.

Ad haec accedunt quoque in plurimis Extracta, Pulpae, Sales, etc.

Omnia ea, quaecumque sint, quae coeunt in Electuaria, ita accurate commiscenda sunt, ut eorum nulla pars in grumos coalescat.

Saepius et frequentius subigendae sunt, commovendaeque penitus Electuariorum Massae, in faventinis porcellaneisque vasis asservandae, et in locis neque humidis, neque intensius calidis reponendae.

Quod nomen attinet, hanc vocem *Electuarium* ubique servavimus; *Opiatum*, ut adjectivum Electuarii nomen, ut est *Opiata* Confectionis, iis tantum adjecimus, in quibus Opium admittitur.

Divisimus porro Electuaria in non Purgantia, vulgo dicta *Alterantia*, Purgantia, et Opiata. Pauca admodum ex antiquo Codice admisimus, eaque imprimis ut aliis, pro re nata, conficiendis exemplo essent. Delegimus autem ea, quae frequentius in usu sunt, quorum nomina in ore omnium versantur,

quasi inter simplicia numerarentur, et quorum virtus, etiam rudibus, maxime nota et perspecta creditur. Purgantia plura admisimus, quorum varietas praecipue medicorum interest, propter variam hominum aegritudinumque conditionem, ab hoc medicamentorum genere prae ceteris facile laedendam. Caeterum talia concinnare fere omnia, pro necessitate, medentium potius est quam Pharmacopoei munus; neque enim indiscriminatim omnibus pleraque, quantacumque singulorum fama venditetur, convenit praescribi; multa praeterea in officinis, temporis lapsu, facillime vitiantur.

ELECTUARIA NON PURGANTIA.

1. ELECTUARIUM SEU CONFECTIO DE CROCO EMENDATA, OLIM DICTA *DE HYACINTHIS*.

℞. Terrae sigillatae praeparatae uncias quatuor, vel 128

Concrementorum Cancrorum praeparatorum uncias quatuor, vel 128

Cinnamomi electi (*Laurus Cinnamomum*) unciam unam et drachmas tres, vel 44

Foliorum Dictamni Cretici (*Origanum Dictamnus*) drachmam unam et semis, vel . . 6

Santali Citrini (*Santalum album*) drachmam unam et semis, vel 6

Myrrhae electae drachmas duas, vel . . . 8

Fiat secundum artem pulvis tenuissimus.

Aliunde

℞. Mellis Narbonensis libram semis, vel . . 250

Syrupi de Adianto libram semis, vel . .	250
Sacchari albi libram semis, vel	250

Addita Aquae quantitate sufficienti ut liquefiant, decoquantur ad ebullitionem usque, et fiat Syrupus.

Hunc Syrupum semirefrigeratum misce paulatim et diu terendo

Cum Croci Orientalis (*Crocus sativus*) in Pulverem tenuissimum redacti drachmis tribus, vel	12
Santali rubri (*Pterocarpus Santalinus*) drachmis tribus, vel	12

Quo facto, adde etiam paulatim alios pulveres, demumque guttas sex Oleis volatilis de Cortice Citrei, quod, in Elaeo-Saccharum versum, Electuario penitus commiscebitur.

Summa Aromaticorum erit	88
Absorbentium seu antiacidorum	128
Terrae inertis Massae partibus tantum interpositae	128
Excipientium, Mellis, Syrupi, Sacchari	750
Summa totius	1,094

Primas in hoc Electuario tenent Crocus, Cinnamomum, Myrrha.

N. B. In Electuariis notandum est veteres saepe Terras inertes admiscuisse non adeo inutiliter, ac vulgo arbitrantur. Sic scilicet partes in mutuam cohaerentiam pronae disjunctae manent, et aequalius sparsae per Massam, quae sic dividitur facilius, per minima quaeque similior sibi.

Santalum rubrum adjecere causa coloris, nimium, ex Croco solo, temporis lapsu mutabilis.

In locum autem Syrupi de Limonibus vulgo praescripti, suffecimus Syrupum de Adianto, ut integra maneret antiacida vis Carbonatis Calcis, quo, magna ex parte, constant Cancrorum concrementa.

2. ELECTUARIUM DE KINAKINA, VULGO *OPIATA FEBRIFUGA.*

℞. Kinaekinae (*Cinchona Condaminea*) in pulverem redactae uncias duas et drachmas duas, vel	72
Muriatis Ammoniae drachmam unam, vel	4
Mellis optimi uncias duas, vel	64
Syrupi de Absinthiis uncias duas, vel. .	64
Summa	204

Fiat Electuarium in quo Cinchona cortex paulo ultra tertiam obtinebit totius partem.

ELECTUARIA PURGANTIA.

3. ELECTUARIUM DE RHEO COMPOSITUM, VULGO DICTUM VETERIBUS *CATHOLICUM DUPLICATUM RHEO.*

℞. Radicum Polypodii (*Polypodium vulgare*) contusarum libram semis, vel	250
Cichorii (*Cichorium Intybus*) uncias duas, vel	64
Glycyrrhizae (*Glycyrrhiza glabra*) unciam unam, vel . . .	32
Foliorum Agrimoniae (*Agrimonia Eupatorium*) uncias tres, vel . .	96
Scolopendrii (*Scolopendrium vulgare*) uncias tres, vel . . .	96
Coquantur igne moderato in Aquae communis libris sex, vel	3,000

Ad tertiae partis consumptionem, sub finem addendo

Seminum Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmas sex, vel	24
Cola et exprime.	
Colatus liquor cum Sacchari optimi libris quatuor, vel	2,000
Coquatur paulo supra Syrupi communis spissitudinem.	
Cui ab igne remoto admisce	
Extracti Cassiae (*Cassia fistula*) uncias quatuor, vel	128
Pulpae Tamarindorum (*Tamarindus Indica*) uncias quatuor, vel	128
Dein paulatim et partito adjice pulverem paratum ex commixtis	
Rhei electi (*Rheum Palmatum*) unciis quatuor, vel	128
Foliorum Sennae (*Cassia Senna*) mundatorum unciis quatuor, vel	128
Glycyrrhizae rasae (*Glycyrrhiza glabra*) uncia una, vel	32
Seminum Violarum (*Viola odorata*) unciis duabus, vel	64
Seminum quatuor frigidorum uncia una, vel	32
Seminum Feniculi (*Anethum Feniculum*) uncia semis, vel	16
Misce accurate, fiat Electuarium, in quo Pulverum summa erit	400
Pulparum	256
Decocti in Syrupum densiorem inspissati circiter	2,840
Totius summa circiter	3,496

Primas autem in eo tenebunt partes Rheum et Senna; quorum ratio ad summam Electuarii erit circiter ut 1 ad 14.

1. ELECTUARIUM DE ALOE COMPOSITUM, DICTUM VETERIBUS *HIERA PICRA.*

℞. Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas sex, vel	24
Macis (*Myristica aromatica*) drachmas sex, vel	24
Radicis Asari (*Asarum Europaeum*) drachmas sex, vel	24
Croci (*Crocus Sativus*) drachmas sex, vel	24
Masticlies drachmas sex, vel . .	24
Aloës soccotrinae uncias duodecim, vel .	384
Mellis optimi libras tres, vel	1,500
Summa totius	2,004
Fiat Electuarium, in quo Aloës ratio ad Massam erit circiter	1 ad 5

5. ELECTUARIUM DE ALOE, MURIATE HYDRARGYRI, ET FERRO, DICTUM VULGO *OPIATA MESENTERICA.*

℞. Gummi-resinae Ammoniaci in pulverem redacti unciam semis, vel	16
Sennae (*Cassia Senna*) drachmas sex, vel	24
Muriatis Hydrargyri dulcis drachmas duas, vel	8
Radicis Ari (*Arum maculatum*) drachmas duas, vel	8
Aloës Soccotrinae drachmas duas, vel .	8
Pulveris de Scammonio compositi, dicti de Tribus, drachmas tres, vel	12
Rhei electi (*Rheum palmatum*) drachmas tres, vel	12
Scobis Ferri purissimae supra porphyriten levigatae unciam semis, vel	16
Summa omnium	104

Contritis iis quae conterenda sunt, omnia excipian-

tur sufficiente quantitate Syrupi de Senna, vulgo *de Pomis*, compositi, quae erit circiter omnium duplex.

Fiat secundum artem Electuarium.

Varia hujus Electuarii medicamina sub forma pulveris commixta asservari possunt, et tunc tantum syrupus iis admisceri cum praescribitur; alioquin, quantumvis molle fuerit recens, progressu temporis, ob ferrum quod ipsi inest, mire indurescit.

Summa Electuarii tunc erit 312

Ratio autem ad summam habebitur Ferri ut . . . . 1 ad 19,5

Aloës et Muriatis Hydrargyri, uniuscujusque singulatim ut . . . . 1 ad 39,0

Purgantium omnium simul sumptorum circiter ut . . . . 1 ad 5,0

6. ELECTUARIUM DE SENNA ET FRUCTUUM PULPIS COMPOSITUM DICTUM VULGO *EL. LENITIVUM*.

℞. Hordei integri (*Hordeum distichum*) uncias duas, vel 64

Radicum Polypodii querni (*Polypodium vulgare*) uncias duas, vel . . 64

Glycyrrhizae rasae et contusae (*Glycyrrhiza glabra*) unciam unam, vel 32

Foliorum Scolopendrii officinalis recentium unciam unam et semis, vel . . 48

Mercurialis (*Mercurialis annua*) recentium uncias quatuor, vel 128

Acinorum de Passulis (*Vitis vinifera aut apyrena*) uncias duas, vel 64

Prunorum Damascenorum (*Prunus domestica*) unciam unam et semis, vel 48

Iujubarum (*Zizyphus sativus*) unciam unam et semis, vel 48

Tamarindorum (*Tamarindus Indica*) uncias duas, vel 64

Bulliant primo Hordeum donec rumpatur, deinde Polypodium in frustula confractum, ac demum caetera, in aquae sufficienti quantitate.

Seorsim vero decoquantur

Foliorum Sennae (*Cassia Senna*) uncias duas, vel 64

Decoctum unum et alterum misceantur, et bulliant, donec supersint ex utroque librae quinque, vel 2,500

Quibus addantur

Sacchari librae duae et semis, vel . . . 1,250

Decoquantur in Syrupum solito densiorem.

Syrupo demum sic parato diluantur

Extracti Cassiae unciae novem, vel . . 288

Pulpae Tamarindorum unciae novem, vel 288

Ac demum, omnibus commixtis, admisceantur

Foliorum Sennae, tritorum in pulverem tenuissimum, unciae quinque, vel 160

Seminum Feniculi (*Anethum Feniculum*) tritorum drachmae duae, vel 8

Anisi (*Pimpinella Anisum*) tritorum drachmae duae, vel 8

Omnia simul exagitentur spatula lignea, ut penitus commisceantur et coeant in Electuarium, cujus Massa aequabit libras circiter quatuor, cum unciis quatuor et drachmis quatuor, vel 2,144

Sennae autem tum decoctae, tum in pulverem tritae ratio ad summam Electuarii erit circiter ut 1 ad 9,6.

Caetera ex dulcibus et Saccharo et Pulpis fere constant.

In enematibus praecipue adhibetur hoc Electuarium.

7. ELECTUARIUM DE SCAMMONIO ET TURPETHO COMPOSITUM, DICTUM VULGO *DIAPHOENIX*.

℞. Pulpae Dactylorum (*Phoenix Dactylifera*) semilibram, vel	250
Amygdalarum dulcium decorticatarum (*Amygdalus communis*) uncias tres et semis, vel	112
Sacchari in pulverem triti semilibram, vel	250
Terantur Amygdalae, ipsisque paulatim admisceantur Dactylorum Pulpa et Saccharum, ac demum	
Mellis despumati librae duae, vel . . .	1,000
Tunc addantur pulveres sequentes parati ex singulis seorsim tritis	
Zingiberis (*Amomum Zingiber*) drachmis duabus, vel	8
Piperis (*Piper nigrum*) drachmis duabus, vel	8
Macis (*Myristica aromatica*) drachmis duabus, vel	8
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmis duabus, vel	8
Foliorum Rutae (*Ruta graveolens*) drachmis duabus, vel	8
Stygmatum Croci (*Crocus sativus*) granis sex, vel	0 ,5
Seminum Dauci Cretici (*Athamanta Cretensis*) drachmis duabus, vel . .	8
Feniculi (*Anethum Feniculum*) drachmis duabus, vel	8
Radicis Turpethi tenuissime triti (*Convolvulus Turpethum*) unciis quatuor, vel	128
Scammonii Alepensis (*Convolvulus Scammonium*) uncia una et semis, vel . . .	48
Summa omnium	1,844 ,5

Misceantur intime ut fiat Electuarium.

Ratio purgantium drasticorum ad Massam erit ut . . . . 1 ad 10,5

Aromaticorum autem ad purgantia ratio circiter ut . . . . 1 ad 3

Caetera constant ex dulcibus, Melle et Saccharo; quorum summa novies circiter aequat pondus purgantium.

Hoc Electuarium in nosocomio Caritatis frequenter in enematibus usurpatur ad colicum Pictorum dolorem.

ELECTUARIA OPIATA.

8. ELECTUARIUM OPIATUM POLYPHARMACUM, *THERIACA* DICTUM.

Theriacam hic inscripsimus, qualem exposuit Codex Parisiensis nuperrimus (ed. quinta 1758). Trochiscos tamen Hedychroon, Viperinos, et Scillae in elementa ita divisimus, ut medicamentorum Trochiscis illis et Theriacae ipsi communium pondera addendo auxerimus, ea vero quae in solis Trochiscis continentur, Theriacae totius catalogo proprio quaeque loco annumerarentur; unde nulla materies in hac Theriacae editione, nullum pondus adest, quod a Codicis praecedentis Theriaca discrepet

Praeterea in ordinandis medicaminibus, non, ut olim, aequalitatem ponderum secuti sumus, sed naturae et qualitatum, quantum licuit, consociavimus analogias, et in singulis plerumque priora inscripsimus quae valentiora; ex hoc scilicet ordine percelebris hujus compositionis natura melius intelligetur; et, si cui forsan aequalia sed simpliciora componere fuerit animus, facile ad eamdem vim utilitatemque poterit accedere.

Ordinem igitur medicamentorum sic instituimus, ut locum quaeque suum tenerent 1° inter *Acria*, seu ea quae mucosas secretiones praecipue sollicitare valent, inter quae retulimus semina quae ex cruciferis desumuntur. 2° *Amara*, quorum in numero inscripsimus et ea, quae herbaceo extracti fere tantum sapore distinguuntur, ut Hypericum; 3° *Styptica* seu astringentia; 4° *Aromatica exotica*; 5° *Aromatica ex indigenis*, inter quae Crocum quoque numeravimus, qui facile etiam Virosis seu Narcoticis ascriberetur; 6° *Aromatica ex Umbelliferis*, quae sedem merentur sibi propriam; 7° *Resinas* et *Balsama*; 8° *Graveolentia*, in quibus et Gummi-resinae, et ex animalibus fetida consociantur; 9° *Virosa*, quam sedem occupat Opium; 10° *Gummosa*, *Amylacea*, *Gelatinosa*; 11° *Terram inertem*; 12° *Dulcia* demum, Mel praecipue; 13° et ultimo *Vinum*; ita ut ista Theriacae compositio videatur antiquae Materiae medicae fere totius quasi exemplar, ostendatque quibus mente atque consilio, multo ante Galeni tempora, talia a veteribus conficerentur.

℞. 1°. *Acria.*

Pulpae ex Scillae (*Scilla maritima*) paratae uncias tres, drachmas quatuor, grana sexaginta, vel	115 ,0
Radicis Asari (*Asarum Europaeum*) grana quadraginta octo, vel	2 ,4
Agarici albi (*Boletus Laricinus*) unciam unam et semis, vel	48 ,0
Seminum Buniadis (*Brassica Napus sylvestris*) unciam unam et semis, vel . .	48 ,0

Thlaspeos (*Thlaspi arvense*) unciam semis, vel	16 ,0
Summa Acrium	229 ,4

2°. *Amara.*

Myrrhae Troglodyticae unciam unam, vel	32 ,0
Comarum Centaurii minoris (*Erythraea Centaurium*) drachmas duas, vel . . .	8 ,0
Radicum Gentianae (*Gentiana Lutea*) unciam semis, vel	16 ,0
Rhapontici (*Rhei Rhapontici*) drachmas sex, vel	24 ,0
Herbarum Scordii (*Teucrium Scordium*) unciam unam et semis, vel	48 ,0
Chamaedryos (*Teucrium Chamaedrys*) unciam semis, vel	16 ,0
Chamaepithyos (*Teucrium Chamaepithys*) unciam semis, vel	16 ,0
Summitatum Hyperici (*Hypericum perforatum*) unciam semis, vel	16 ,0
Summa Amarorum	176 ,0

3°. *Saporis Styptici*, vulgo *Astringentia.*

Petalorum Rosarum rubrarum (*Rosa Gallica*) unciam unam et semis, vel . .	48 ,0
Radicis Penthaphylli (*Potentilla reptans*) drachmas sex, vel	24 ,0
Succi Hypocistidis (*Cytinus Hypocistis*) drachmas quatuor, vel	16 ,0
Succi Acaciae (*Mimosa Nilotica*, aut *Acacia vera*) drachmas quatuor, vel . .	16 ,0
Chalcitidis ustae, aut melius Colcothar (*Oxidum Ferri rubrum*) drachmas quatuor, vel	16 ,0
Summa Stypticorum	120 ,0

4. *Aromatica exotica.*

Corticum Cinnamomi Zeylanensis (*Laurus Cinnamomum*) uncias duas et semis, vel	80 ,0
Cassiae Ligneae (*Laurus Cassia*) unciam unam, vel	32 ,0
Radicum Zingiberis (*Amomum Zingiber*) drachmas sex, vel	24 ,0
Fructuum Piperis longi uncias tres, vel	96 ,0
Piperis nigri drachmas sex, vel	24 ,0
Amomi racemosi unciam unam, vel	32 ,0
Cardamomi minoris (*Amomomum Cardamomum*) unciam semis, vel . . .	16 ,0
Foliorum Malabathri (*Laurus Cassia*) drachmas sex, vel	24 ,0
Herbae Schoenanthi (*Andropogon Schoenanthus*) unciam unam et drachmas sex, vel	56 ,0
Radicis et caulis Nardi Indicae (*Andropogon Nardus*) unciam unam, vel . . .	32 ,0
Radicum Nardi Celticae (*Valeriana Celtica*) unciam semis, vel . .	16 ,0
Costi Arabici drachmas septem, vel	28 ,0
Acori veri (*Acorus Calamus*) drachmas quinque, vel . .	20 ,0
Ligni Aloës (*Aloëxylum verum*) grana quadraginta octo, vel	2 ,4
Aromaticum exoticorum summa .	482 ,4

5°. *Aromatica indigena.*

Stigmatum Croci (*Crocus sativus*) unciam unam, vel	32 ,0
Corticum Citrei (*Citrus medica*) siccatorum drachmas sex, vel	24 ,0

Herbarum Calaminthae montanae (*Melissa Calamintha*) drachmas sex, vel	24 ,0
Dictamni Creticae (*Origanum Dictamnus*) drachmas sex, vel	24 ,0
Florum Stoechados Arabicae (*Lavandula Stoechas*) drachmas sex, vel	24 ,0
Verticillorum Prassii (*Marrubium vulgare*) drachmas sex, vel	24 ,0
Summitatum Polii montani (*Teucrium Polium*) unciam semis, vel	16 ,0
Mari (*Teucrium Marum*) grana quadraginta octo, vel	2 ,4
Amaraci (*Origanum Majorana*) grana quadraginta octo, vel	2 ,4
Radicum Iridis Florentinae unciam unam et semis, vel	48 ,0
Summa Aromatum ex indigenis .	220 ,8

6°. *Aromatica ex Umbelliferis.*

Seminum Petroselini Macedonici (*Bubon Macedonicum*) drachmas sex, vel	24 ,0
Ammeos (*Sison Ammi*) unciam semis, vel	16 ,0
Feniculi (*Anethum Feniculum*) unciam semis, vel	16 ,0
Anisi (*Pimpinella Anisum*) unciam semis, vel	16 ,0
Seseleos Massiliensis (*Seseli tortuosum*) unciam semis, vel	16 ,0
Dauci Cretici (*Athamanta Cretensis*) drachmas duas, vel .	8 ,0
Radicum Mei Athamantici (*Aethusa Meum*) unciam semis, vel	16 ,0
Summa Aromatum ex Umbelliferis.	112 ,0

7°. *Resinosa et Balsama.*

Ligni dicti Xylobalsamum (*Amyris Opobalsamum*) drachmam unam, vel . . .	4 ,0
Fructuum quos dicunt Carpobalsamum (*Amyris Opobalsamum*) unciam semis, vel	16 ,0
Resinae dictae Opobalsamum (*Amyris Opobalsamum*) unciam unam et drachmas septem, vel . .	60 ,0
Resinarum Thuris Masculi, aut Olibani (*Juniperus Lycia*) drachmas sex, vel	24 ,0
Terebinthinae Chiae (*Pistacia Terebinthus*) drachmas sex, vel	24 ,0
Mastiches (*Pistacia Lentiscus*) grana viginti quatuor, vel	1 ,2
Bituminis Judaïci sive Asphalti drachmas duas, vel	8 ,0
Balsami Storacis Calamitae (*Styrax officinalis*) unciam semis, vel	16 ,0
Aromatum summa ex Resinis et Balsamis	155 ,2

8°. *Grave-olentia.*

Radicum Valerianae majoris (*Valeriana officinalis*) drachmas quinque, vel	20 ,0
Aristolochiae tenuis (*Aristolochia Pistolochia*) drachmas duas, vel	8 ,0
Gummi Resinarum Galbani (*Rubon Galbanum*) drachmas duas, vel	8 ,0
Opopanacis (*Pastinaca Opopanax*) drachmas duas, vel	8 ,0
Sagapeni unciam semis, vel	16 ,0

Castorei (*Castor Fiber*), drachmas duas, vel	8 ,0
Summa Grave-olentium	68 ,0
9°. *Virosa*, seu quae Narcosim inducunt.	
Opii Thebaici (*Papaver somniferum*) uncias tres, vel	96 ,0
10°. *Terrea insipida* et *inertia*.	
Terrae Lemniae, drachmas quatuor, vel	16 ,0
11°. *Gummosa*, *Amylacea, etc.*	
Gummi Senegalensis (*Acacia*, aut *Mimosa Senegalensis*) drachmas sex, vel . .	16 ,0
Medullae Panis tritici drachmas quinque et grana quinquaginta, vel	22 ,5
Farinae Orobi (*Orobus Sylvaticus*) uncias duas, drachmas tres, et grana quindecim, vel	76,75
Carnis Viperinae (*Coluber Vipera*) uncias duas, drachmas duas et grana viginti, vel	73 ,0
Summa Gummosorum	187,80
12°. *Dulcia.*	
Succi Glycyrrhizae (*Glycyrrhiza glabra*) unciam unam et semis; vel	48 ,0
Mellis Narbonensis libras decem et semis, vel	5,250 ,0
Summa Dulcium	5,298 ,0
13°. *Vinum.*	
Vini Hispanici circiter libras duas et semis, vel	1,250 ,0
Summa omnium	8,409 ,6

Pars Vini solvendo Melli, pars Opio diluendo, pars alia Gummi succorumque solutioni inserviat; singula

seorsim percolentur; soluta misceantur Opio Mel et succus Glycyrrhizae Gummique, deinde Colcothar, tandemque Balsama et Resinae; ac demum pulveres non affatim, sed paulatim adjiciantur.

Massa omnis probe mixta subactaque, per annum, vase clauso, ut lente fermentescat, reponatur.

Opii integri ratio ad summam erit circiter ut 1 ad 88 paulo minor quam grani unius pro drachma una. Extractum autem, quod longe sine dubio praestaret, si praetuleris, ratio ipsius dimidiata habenda est scilicet 1 ad 176 (1).

---

(1) Ex hac multiplici adeo, et, ut vulgo creditur, incondita materierum miscela, quodnam enascatur medicamenti genus, chymica analysi, nobis instantibus, elucidare conatus est D. *Guilbert*, Pharmacopoeus Parisiensis solertissimus, cujus laboris summam breviter hic proponere liceat. gram.

Ex Theriacae unciis duabus, vel ex amussim . . . 61,188200

Varia adhibita operationum serie, eliciuntur sequentia.

(1) *Solo Alcoole solubilia*

Alcoolem destillando sequuntur olei volatilis non obscura indicia, nulla arte satis aestimanda.

Aqua autem admixta, turbato et colato Alcoole, cola excipiuntur, facile dignoscenda

		unc.	dr.	gr.	gram.
Resina . . . . Balsamum . . . . Terebinthina . . . . . . Oleum viride	una	–	1	12	4,461640

(2) *Ex Alcoole autem in Aquam cedentia*

Mel . . . . Croci odor et color . . . Gentianae propria amarities	una	1	5	18	43,022950

(3) *Quae Alcoole non solvuntur et Aqua frigida solvi queunt*

Extractum, quod, protracto aëris contactu, praeceps demum agitur, et Aqua tunc ipsa fit insolubile .	–	–	6	0,318690

	unc.	dr.	gr.	gram.
Extractum, quod Aqua solutum permanet	–	1	22	4,992790
(4) *Aqua bulliente tantummodo solubilia*				
Extractum insipidum lamellis splendentibus constans	–	–	16	0,849840
Flocci leves suspensi, non soluti	–	–	4	0,212460
(5) *Aqua et Alcoole nullo modo solubilia*				
Quae igne adusta dissipantur, quae debentur ligneis vegetabilium partibus, et fibrae Viperinae carnis	–	1	48	6,373780
Quae solubilia sunt Acido Muriatico et cum ipso effervescunt	–	–	7	0,371800
Ex cineribus demum habetur silicea materies, cujus pars crassior, dimidia totius, ab alienis certe accessit; pars autem subtilior Theriacae ipsi tribui debet	–	–	3	0,159340
(6) Deperdita quaedam, aut quae expendi nequeunt	–	–	8	0,424910
	2	–	–	61,188200

N. B. (1) Alcoolatum quod ex Theriaca stillavit Theriacam odore refert; quod ex Alcoole ipso, seu Tinctura Theriacali, Aqua mediante praeceps agitur Extractum Alcoolicum, Theriacam et Bitumen redolet, colore ex viridi fusco, sapore acri piperato. Oleum autem viride non totum, nisi bulliente Alcoole solvitur. (2) Quod ex Alcoole in Aquam cessit, indicia quoque praetulit salis calcarei, et alicujus tum Sulfatis, tum Muriatis, nullatenus vero Acetatis. (3) Extractum quod Aqua frigida, post Alcoolem, solutum est, fusco colore, aëris contactu nigrescit, tenetque aliquod et Gummi, et quod vocant *Tanin*; at nullam partem Sulfatis Ferri; quae tamen manifesta admodum fit in Theriaca D. Baumé, in qua in Colcothar locum sufficitur Sulfas Ferri ad albedinem exustus; non spernenda sane inter utramque Theriacam differentia. (4) In Extracto Aqua tantum bulliente solubili dignoscitur Amylus; floccorum autem exustorum fumi materiam produnt vegeto-animalem. (5) Quod est residuum, dum exuritur odorem vegeto-animalis substantiae emittit. Quod autem e cineribus in Acidum cessit Sales dedit Aqua stillata solubiles, quibus

cyanei colores non immutantur, sapore metallico notabiles, et, ubi notis probantur artificiis, Calcem, Alumineam terram, et Oxidum Ferri, prodentes.

Notandum autem hic speciatim est nullam omnino differentiam intercessisse inter Analysim Theriacae recentissimae, de industria ad hocce opus praeparatae, Theriacae vetustioris per quatuor annos in officina repositae, et antiquioris et pene exsiccatae, quae post annos quadraginta asservabatur apud D. Bouret Pharmacopoeum Parisiensem, et olim confecta fuerat solemniter, juxta eamdem formulam, in Pharmacopoeorum publico consessu. Huic scilicet eadem Mellis inerat quantitas, quae recentioribus. Hoc tantum differrebat, quod residuae post solutionem Alcoolicam materiei inerat quoddam, micis albicantibus constans, quod videbatur melli deberi, et ejus esse partem illam a D. Proust optime notatam, quae sola ex melle in crystallos glomeratas valet concrescere. Caetera iisdem et natura et ratione in omnibus dictis Theriacis inveniebantur. Unde patet quid sentiendum sit de illa adeo celebrata fermentatione, pro perficienda in annos Theriaca.

Verumtamen fatendum est, quantacumque solertia peragatur medicamentorum analysis, fugacem nimis volatilium partium vim nulla esse lance trutinandam; et eam hucusque omni se subripuisse Chymicorum industriae. Multa tamen in hac ipsa odorum subtilitate, adeo mutabili, inest medica vis et actio in aeque subtilem nervorum influxum, quo mirum varia in modum viventium organorum incitatur efficacia. Igitur dici non potest quid decedat aut accedat temporis lapsu Theriacae hujus virtuti; neque certe vetustissimam recentiori, ut multi contendunt, longe praestare negabimus.

9. ELECTUARIUM OPIATUM ASTRINGENS, VULGO DIASCORDIUM.

℞. Foliorum Scordii (*Teucrium Scordium*) siccatorum unciam unam et semis, vel . .	48
Rosarum rubrarum (*Rosa Gallica*) unciam semis, vel	16
Radicum Bistortae (*Polygonum Bistorta*) unciam semis, vel	16
Gentianae (*Gentiana lutea*) unciam semis, vel	16
Tormentillae (*Tormentilla electa*) unciam semis, vel	16
Seminum Berberidis (*Berberis vulgaris*) unciam semis, vel	16
Zingiberis (*Amomum Zingiber*) drachmas duas, vel	8
Piperis longi (*Piper Longum*) drachmas duas, vel	8
Cassiae ligneae (*Laurus Cassia*) unciam semis, vel	16
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) unciam semis, vel	16
Dictamni Creticae (*Origanum Dictamnus*) unciam semis, vel	16
Styracis Calamitae (*Styrax officinalis*) unciam semis, vel	16
Galbani (*Bubon Galbanum*) unciam semis, vel	16
Gummi Arabici unciam semis, vel . . .	16
Boli Orientalis praeparati uncias duas, vel	64
Extracti Opii Vino parati drachmas duas, vel	8
Mellis rosati percolati, et ad lentorem usque Mellis excocti, libras duas, vel . . .	1,000

Vini Hispani generosi, quod satis est, aut circiter libram semis, vel 250

Solutis inde Galbano in aliquantulo Vino, inde Melle, iisdem deinde commixtis, admixtisque paulatim pulveribus, fiat ex arte Electuarium, quod saepius agitetur, donec in debitam densitatem devenerit.

In locum Styracis Calamitae suffici potest aut Balsamum Tolutanum (*Toluifera Balsamum*), aut Benzoinum (*Styrax Benzoin*).

Summa totius Electuarii erit circiter . . 1,472

Ratio Extracti Opii ad summam Electuarii erit . . . . ut 1 ad 184; neque multum aberit ab ipsius in Theriaca ratione, si in Theriaca non Opii integri, sed solius Extracti rationem habueris.

11. ELECTUARIUM DENTRIFICIUM.

℞. Coralli rubri (*Isis Nobilis*) praeparati uncias quatuor, vel 128

Ossis Sepiae (*Sepia officinalis*) in tenuissimum pulverem triti unciam unam, vel . . 32

Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) in pulverem triti unciam unam, vel 32

Coccinellae (*Coccus Cacti*) in tenuissimum pulverem tritae unciam semis, vel . . . 16

Mellis Narbonensis uncias decem, vel . . 320

Aluminis in pulverem triti drachmas semis, vel 2

Tere diu in mortario marmoreo Coccinellam et Alumen, cum parva quantitate Aquae communis, usque dum eliciatur color purpureus.

Tum adde paulatim Mel et alios pulveres, et erit Electuarium, Oleis volatilibus inodorandum variis. Drachma una Electuarii satis inodorabitur olei gutta una.

VII. PILULAE ET BOLI.

Pilulae vocantur medicamenta mixtis accurate Pulveribus, ope Syrupi, Mucaginis, Mellis, Extracti vel Conservae cujuslibet intime unitis constantia, unde Massa conficitur sat solida, ut facile tractari digitis ducique, et in partes molis parvae aequaliter dividi, atque in sphaerulas effingi possit.

Ne solidentur nimium Pilulae cavendum est: ideoque diu conterendae sunt in mortario Massae Pilularum, antequam dividantur. In officinis autem ipsae Massae indivisae inter membranas Oleo purissimo mollitas asservandae sunt; quas, pro necessitate, ne rancescant, novis commutare convenit. Si Massa ipsa nimium induruerit, Syrupo convenienti admixto, conterenda et mollienda est.

Massas tantum, non Pilulas, in officinis asservare praestat; et tunc tantum in Pilulas effingi debent, cum a Medico praescribuntur.

1. PILULAE DE SAPONE.

℞. Saponis Amygdalini libram semis, vel 250
Pulverum Radicis Althaeae (*Althaea officinalis*) unciam unam, vel 32
Nitratis Potassae drachmas duas, vel 8

Contunde Saponem cum sufficienti quantitate olei Amygdalarum dulcium in mortario marmoreo. Dein adde Pulveres, et fiat Massa, ex qua Pilulae informari poterunt.

2. PILULAE DE ALOE ET KINAKINA, DICTAE *STOMACHICAE*, VEL *ANTE CIBUM.*

℞. Aloës Soccotrinae in pulverem tritae drachmas sex, vel 24
Extracti de Kinakina drachmas sex, vel . 12
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmam unam, vel 4

Misce cum Syrupi de Absinthiis quod satis est, ut fiat Massa, cujus Aloës aequabit circiter quartam partem; dividenda in pilulas, quarum singula aequabit grana quatuor.

3. PILULAE DE ALOE ET MYRRHA, DICTAE *RUFI.*

℞. Aloës Soccotrinae in pulverem tritae uncias duas, vel 64
Myrrhae in pulverem tritae unciam unam, vel 32
Croci stigmatum (*Crocus Sativus*) unciam semis, vel 16

Misce, et cum Syrupo de Absinthiis fiat Massa, cujus Aloës aequabit circiter $\frac{4}{10}$,

Dividenda in pilulas, quarum sit singula granorum quatuor.

4. PILULAE DE ALOE ET CAMBOGIA, DICTAE *HYDRAGOGAE BONTII.*

℞. Aloës Soccotrinae,
Succi dicti Gummi Guttae, *de Guttifera vera*,
Gummi-Resinae Ammoniaci,
In pulverem redactorum . aa *partes aequales.*

Aceto Vini acerrimo dissolvantur; colentur, et quod residuum erit, fortiter exprimatur. Dein liquor vaporet balneo maris ad Extracti pene solidi spissitudinem, ut fiat Massa apta Pilulis informandis, quarum singula pendat grana quatuor.

5. PILULAE DE ALOE ET FETIDIS, DICTAE *BENEDICTAE FULLERI.*

℞. Aloës Soccotrinae unciam unam, vel .	32
Sennae *(Cassia Senna)* unciam semis, vel	16
Asae fetidae drachmas duas, vel	8
Galbani drachmas duas, vel	8
Myrrhae drachmas quatuor, vel . . .	16
Croci *(Crocus sativus)* drachmam unam, vel	4
Macis *(Myristica aromatica)* drachmam unam, vel	4
Sulfatis Ferri unciam unam et semis, vel	48
Singula seorsim in pulverem trita misceantur, addanturque	
Olei succini guttae octo circiter grana sex, vel	0,3
Et Syrupi de Artemisia quantum satis, scilicet circiter unciae sex, vel	192
Misce intime ut fiat Massa apta Pilulis, superans uncias decem, vel	328

In [illegible]ratio purgantium ad summam erit circiter ut 1 ad 7.

6. PILULAE EX ALOE ET SAPONE.

℞. Aloës purissimae in pulverem tritae unciam semis, vel	16

Saponis Amygdalini drachmas sex, vel . . 24
Olei volatilis de Aniso guttas octo, circiter grana sex, vel 0,3

Misce accurate et cum sufficienti quantitate Syrupi de Rhamno, fiat Massa, ad formandas Pilulas. In quibus Aloës ratio erit circiter $\frac{1}{4}$.

7. PILULAE DE HYDRARGYRO, SCAMMONIO ET ALOE, VULGO *MERCURIALES.*

℞. Hydrargyri purissimi unciam unam, vel 32
Teratur assidue, donec splendor metallicus omnis sit extinctus, cum
Mellis optimi unciis duodecim, vel . . . 384
Terendoque demum admisce
Aloës Soccotrinae uncias duas, vel . . . 64
Scammonii Alepensis uncias duas, vel . 64
Macis (*Myristica aromatica*) drachmas duas, vel 8
Cinnamomi (*Laurus Cinnamomum*) drachmas duas, vel 8
Summa omnium 560

Fiat Massa dividenda in Pilulas in pulvere Glycyrrhizae volutandas, quarum singula grana aequabit quatuor; quatuor autem pilulae tenebunt Hydrargyri paulo infra granum unum, purgantium paulo ultra grana quatuor, aromatum granum semis.

8. PILULAE EX OXIDO STIBII ET HYDRARGYRI SULFURETO NIGRO COMPOSITAE, DICTAE *ADVERSUS SCROPHULAS.*

℞. Scammonii in pulverem triti uncias duas, vel 64

Sulfureti Hydrargyri nigri (vulgo *Aethiops mineralis*) uncias duas, vel	64
Oxidi Stibii albi (vulgo *Antimonium diaphoreticum*) drachmas tres, vel	12
Oniscorum seu Millepedum (*Oniscus Asellus*) praeparatorum drachmas tres, vel . .	12
Saponis Amygdalini drachmas tres, vel .	12
Extracti Glycyrrhizae, vel Syrupi e quinque Radicibus quantum satis, aut circiter uncias quinque, vel	160
Summa omnium	324

Fiat Massa ad formandas Pilulas, quarum singula aequabit grana quatuor; decem vero tenebunt Sulfureti Hydrargyri grana circiter octo, Oxidi Stibii granum unum et semis, Scammonii grana octo.

9. PILULAE EX HELLEBORO ET MYRRHA, DICTAE *TONICAE GEORGII FREDERICI BACKER.*

℞. Extracti Hellebori nigri juxta methodum Backer parati (*v.* pag. 184) unciam unam, vel	32
Extracti Myrrhae, ut dictum est superius (pag. 182) parati, unciam unam, vel . . .	32
Foliorum Cardui Benedicti (*Centaurea Benedicta*) in pulverem tritorum drachmas tres, vel	12
Summa omnium	76

Misce intime, ut fiat Massa, quae in siccissimo loco reponenda est, donec in densitatem Pilulis formandis aptam devenerit; tunc demum dividenda est in Pilulas grani unius.

10. PILULAE SCILLITICAE.

℞. Pulveris Scillae (*Scilla maritima*) unciam unam et semis, vel 48
Gummi-Resinae Ammoniaci unciam semis, vel 16
Misce accurate, et cum sufficienti quantitate Oximellis Scillitici fiat Massa ad formandas Pilulas.

11. PILULAE DE TEREBINTHINA.

V. Praeparationem Terebinthinae, page 10.

12. PILULAE BALSAMICAE DICTAE *D. MORTON.*

℞. Pulveris Millepedum (*Oniscus Asellus*) uncias duas et drachmas duas, vel 72
Gummi-Resinae Ammoniaci unciam unam et drachmam unam, vel 56
Acidi Benzoici sublimati drachmas sex, vel 24
Pulverum Croci (*Crocus sativus*) drachmam unam, vel 4
Balsami Peruviani sicci drachmam unam, vel 4
Balsami Sulfuris Anisati quantum satis aut circiter drachmas sex, vel 24

Summa totius 164

Misce: fiat Massa diu contundenda et ad usum servanda.

Hac in summa Millepedes erunt ut 1 ad 2,28; Ammoniacum ut 1 ad 4,5; Acidum Benzoicum et Balsamum Sulfuris singulatim ut 1 ad 7; Crocus et Balsamum Peruvianum, singulatim ut 1 ad 41.

N. B. Inter Olea medicata Solutiones Sulfuris Oleo paratas, *Balsama Sulfuris* dicta, non consulto omisimus, non spernendum tamen medicamenti genus; adeoque hic loci eas indicare necesse duximus.

OLEUM ANISI SULFURATUM, VULGO *BALSAMUM SULFURIS ANISATUM.*

℞. Sulfuris sublimati et loti partem unam 1
Olei volatilis de Aniso stillatitii partes quatuor 4

Digerantur supra arenam ad Sulfuris dissolutionem; oleum rubescet, atque ubi refriguerit lagunculis excipietur probe obturandis.

Simili modo cum oleis volatilibus Terebinthinae, Succini, etc., aut ipsis expressis ex Olivis Nucibusve, parari possunt Olea Sulfurata.

15. PILULAE DE EXTRACTO OPII, DICTAE VULGO *DE CYNOGLOSSO.*

℞. Pulverum
de cortice radicum Cynoglossi (*Cynoglossum officinale*) drachmas quatuor, vel 16
de Seminibus Hyoscyami albi drachmas quatuor, vel . . . 16
Extracti Opii Vino parati, seu Laudani Opiati drachmas quatuor, vel 16
Pulverum Myrrhae drachmas sex, vel . 24
Olibani drachmas quinque, vel . 20
Croci (*Crocus Sativus*) drachmam unam et semis, vel 6
Castorei drachmam unam et semis, vel 6
Syrupi de Opio . . . . *quod satis.*

Fiat secundum artem Massa diu contundenda et in usum servanda, cujus Summa erit circiter 144; et Extracti Opii ad summam ratio erit ut 1 ad 9.

TROCHISCI.

Trochiscos, quos olim in usum internum parabant, hic omittendos duximus. Alii enim ad id fere tantum conficiebantur, ut quaedam medicamenta in pulverem facilius redigerentur; Sic parabantur Colocynthis in Trochiscis Alhandal, Caro Viperina in Viperinis, Scilla in Scilliticis, et Boletus Laricinus in Trochiscis de Agarico; quorum ope haec medicamenta intemerata servabantur, donec essent terenda. Sed de istis satis dictum est, ubi de parandis illis pulveribus egimus (*V.* pag. 17); Caeteri Trochisci, quos a Tabellis et ipsis Pilulis, nisi forma aut siccitate, differre vix invenies, in usu jam non sunt, nec ipsi quos vocant *Hedycroon*, de quibus in Theriaca actum satis.

SECTIO DECIMA.

Medicamenta mistione aut forma ad usum externum praecipue destinata.

CATAPLASMATA, FOMENTA, COLLYRIA, LINIMENTA, CERATA, ADIPES MEDICATI ET UNGUENTA OLEOSO RESINOSA, UNGUENTA SOLIDA SEU EMPLASTRA, TELAE MEDICATAE, ESHAROTICA, SUFFUMIGATIONES.

MULTA hoc in genere Medicamentorum inter simpliciter mixta numerari possunt. Contra in quibusdam vera obtinet dissolutio Chymica. In nonnullis elementorum commutatio et consociatio ita perficitur, ut nova inde enascantur corpora; quod certe fit prope in omnibus medicatis Adipibus, et Emplastris. Verum tamen hujus sectionis ordinem non ex operationum Chymicarum natura, ut in praecedentibus, sed ex singulorum usu medico sumendum duximus. Scilicet, in externis actionibus, cum nihil fere observantibus incertum objiciatur aut dubium, nihil non percipiatur ipsissimis oculis, facile ex ipsis medicamentorum titulis et nominibus utendi modus et agendi intelligitur; inde igitur ordinis ratio certior ab omnibus sponte deducitur et maxime naturalis. . . . .

I. CATAPLASMATA.

Cataplasmata, inter externa medicamenta, ea dicuntur quae ex pulpis, pulveribus, farinisve commixtis constant, quae diluta aqua simplici, decoctisve Plantarum, aut lacte, liquidisve variis coquuntur, et sic in pultem spissiorem addensantur.

Iis sic rite comparatis admisceri quoque possunt Olea, Unguenta, Pulveres varii et alia id genus, ex quibus Cataplasmatum vis augeri aut immutari pro necessitate valet.

Raro frigidis convenit uti, saepius tepidis, aut calidis, aliquoties calidissimis. Multis, praecipue si emollire debeant et calida diu permanere, utile est sub finem adjecisse non nihil aut olei, aut adipis cujus vis recentis, quod ipsis intime permisceatur. Inde scilicet et lentius frigescunt imposita, et, cum detrahuntur, nuda cutis non aeque, sub aëris contactu et aquosi vaporis in auras dissipatione, nocivum contrahit frigus.

1. CATAPLASMA E PANIS MEDULLA.

℞. Medullae Panis triticei exsiccati et crassius triti uncias quatuor, vel 128

Lactis Vaccini recentis, vel decocti radicis Althaeae libram unam et semis, vel 750

Coque, indesinenter movendo spatula lignea, ad debitam spissitudinem, et erit cataplasma, cui ipsa qua apponetur hora adde, si lubet,

Croci Sativi in pulverem redacti drachmam semis, vel 2

2. CATAPLASMA E FARINIS ET PULPIS DICTUM *EMOLLIENS.*

℞. Farinarum emollientium uncias quatuor, vel 128

Diluantur in sufficienti quantitate decoctionis plantarum emollientium; deinde coquantur in pultem; quo facto, vas ab igne remove et admisceantur

Pulpae specierum emollientium recenter praeparatae unciae quatuor, vel 128

Vel ejus loco, pulveris specierum emollientium uncia una, vel 32

Coque denuo ad debitam spissitudinem.

N. B. Cum Cataplasmata emollientibus parata excipiendis saepe aptentur medicamentis valentioribus, ut penitius horum vis per emollitam cutem absorbeatur; multa, ipsis non incoqui, sed paulo antequam admisceri praestat. Talia sunt, verbi gratia, *Cicutae pulvis*, aut *Croci*, aut aliorum, praesertim quae partibus valent, quarum virtus decoctione aut perit omnis, aut multum infringitur.

3. CATAPLASMA E PULPIS ET UNGUENTO, DICTUM *AD SUPPURATIONEM PROMOVENDAM.*

℞. Farinarum resolventium uncias quatuor, vel 128

Coque cum sufficienti quantitate decocti Plantarum emollientium, ad debitam spissitudinem.

Tum adde,

Pulpae bulborum Lilii albi recenter praeparatae uncias duas, vel 64
Pulpae e decoctis foliis Rumicis Acetosae uncias duas, vel 64
Unguenti, vel Basilici vel Fusci unciam unam, vel 32
Misce accurate.

N. B. Unguentum aliquantulo oleo diluere prodest, ne, pulpis aliis non sat bene immixtum, concrescat frigescendo, et in ipso Cataplasmate ab ipsis dissocietur.

4. CATAPLASMA CUM KINA ET CAMPHORA, DICTUM *ANTISEPTICUM.*

℞. Farinae hordei uncias sex, vel 192
Aquae communis libram unam, vel . . 500
Corticis Peruviani in pulverem triti unciam unam, vel 32
Bulliant simul per quadrantem horae, indesinenter movendo spatula lignea, ad debitam Cataplasmatis spissitudinem, cui semirefrigerato adde
Camphorae in pulverem redactae drachmam unam, vel 4

5. CATAPLASMA E PAPAVERE COMPOSITUM ET HYOSCYAMO, DICTUM *ANODYNUM.*

℞. Capsularum Papaveris albi minutim concisarum unciam unam, vel 32
Foliorum Hyoscyami nigri recentium uncias duas, vel 64
Ita bulliant cum sufficienti quantitate Aquae

communis, ut, coctione peracta, supersit liquoris circiter libra una et semis, vel . . 750

Cola, et colato decocto dilue farinarum emollientium uncias quatuor, vel . . . 128

Dein coque, indesinenter movendo, ad spissitudinem Cataplasmatis.

6. CATAPLASMATA E PIPERE ET ACETO, DICTUM *ANTIPLEURITICUM*, VEL *RUBEFACIENS*.

℞. Hordei leviter torrefacti et in pulverem redacti uncias quatuor, vel 128

Aceti acerrimi unciam unam, vel . . . 32

Albumina ovorum n° 3.

Misce in mortario marmoreo et cum sufficienti quantitate aquae communis fiat massa extendenda supra stupas linteo impositas; dein superficiei hujus Cataplasmatis superinsperge mixtos pulveres paratos ex

Piperis nigri uncia semis, vel 16

Et seminum Feniculi uncia semis, vel. . 16

7. CATAPLASMA EX SINAPI SEU SINAPISMUS.

℞. Pulveris seminum Sinapi recentium . . . . *quantum erit opus.*

Aceti Acerrimi . . . . *quod sufficit.*

Misce in mortario marmoreo ad debitam Cataplasmatis spissitudinem, quod aut purum, aut, pro rei necessitate, varie compositum a medico praescribetur; modo scilicet farinae Hordei aut Lini quantitate varia remiscebitur, ut fiat mitius; modo contra, additis Cochleariae Armoraciae radice radula commi-

nuta. Allii bulbis contusis, aut aliis id genus, ut efficacius evadat.

Eo tantum tempore quo in usum requiritur, praeparandum est.

II. FOTUS SEU FOMENTA, LOTIONES.

Fotus seu *Fomenta Lotionesque* dicuntur a Medicis, non actus tantum fovendi lavandique, sed et medicamenta liquida quibus foventur, humescunt lavanturve partes externae morbo affectae, aut quibus aliquis subjacet morbus.

Plantarum infusa decoctave, lac, Vinum sive simplex, sive aromaticum sit, pro Fotu et Lotione esse possunt, prout singula a natura morbi requiruntur.

Tepidi saepius adhibentur Fotus, ope pannorum aut linteorum quae ipsis immaduere. At etiam, pro liquidorum quibus constant natura et morbi necessitate, quandoque frigidi apponuntur, quandoque calore supra teporem intensiori. Pleraque a medicis ex tempore, pro re nata, praescribuntur. Sequentia tantummodo in exemplum sint.

1. FOTUS E MUCAGINIBUS, DICTUS *EMOLLIENS.*

℞. Decoctorum ex Radicibus Althaeae officinalis foliisque Malvae paratorum . . . . *quod sufficit.*

Semina Lini in radicis Althaeae locum suffici, et folia Herbarum emollientium quarumlibet Malvae vices implere facile possunt.

2. FOTUS EX SUB-ACETATE PLUMBI SIMPLEX, VULGO *AQUA VEGETO-MINERALIS.*

V. pag. 253, inter Acetates, n° 6, SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

3. FOTUS EX VINO AROMATICUS ET CAMPHORATUS.

℞. Vini aromatici libras duas, vel	1,000
Alcoolis Camphorati uncias duas, vel . .	64

Misce.

Hoc in Fotu ratio Alcoolis Camphorati ad Vinum aromaticum erit circiter ut 1 ad 16. Varia tamen, pro lubitu, esse potest.

4. FOTUS EX HERBIS ET SUB-ACETATE PLUMBI, DICTUS *EMOLLIENS ET RESOLVENS.*

℞. Decocti Herbarum emollientium libras duas, vel	1,000
Sub-Acetatis Plumbi liquidi (vulgo *Extracti Saturni*) drachmas duas, vel	8

Misce.

5. LOTIO HYDRO-SULFURATA, AD SCABIEM, *A. D. DUPUYTREN PROPOSITA.*

℞. Aquae communis	1,000
Sulfureti Potassae	96
Acidi Sulfurici (66^{s})	4

Solvatur aqua Sulfuretum; solutoque admisceatur

acidum; misceantur autem omnia tantum utendi tempore. Potest in Acidi Sulfurici locum suffici Acidum Aceticum, aucta tamen hujus ad alia ratione.

N. B. Expeditius hoc utuntur linimento Milites, peregrinantes, inopes et alii, quibus uti commode non licet balneis aut vaporibus hydrosulfuratis, aut etiam unguentis ad Scabiem vulgaribus.

III. COLLYRIA.

In oculorum morbis ea medicamina quae oculis palpebrisve aptantur medicandis, eluendis, abstergendis, Collyria dicuntur. Sicca ea sunt, aut Mollia, aut Liquida.

Sicca pulveribus constant quos semper subtilissimos esse convenit.

Sacchari crystalli puriores, in pulverem subtilissimum redacti, sales quidam tenuissime triti, quales sunt Ammoniae Murias, Sulfas Zinci parca quantitate Saccharo commixti, etc., siccorum Collyriorum materiam suppeditant.

Ea vulgo ope calami scriptorii, ex quo ipsis per foraminulum patet exitus, flatu in oculum excludi solent. At enim talia non nisi magna cum cautela adhibenda sunt.

Mollia. Unguentorum formam quadamtenus referunt et vulgaribus unguentis firmius paulo consistunt. Hujus census praecipue sunt quae inter Unguenta aut Pomata describenda sunt: *Unguentum de Oxido Zinci*, vulgo de *Tuthia* dictum, et *Unguentum de Oxido Hydrargyri rubro*, vulgo

dictum *Ophthalmicum*, quae inter Adipes medicatos referentur.

Liquida ex Aquis stillatitiis, infusis Plantarum et decoctis varie conficiuntur, admixtis etiam diversis quandoque, pro indicationum natura, materiis.

Collyriorum formulae *magistrales* ut plurimum esse solent. Sunt tamen ex his medicamentis usitatiora quaedam, inter liquida praesertim, quae hoc in Codice locum obtinere debent.

1. COLLYRIUM OPIATUM SEU ANODYNUM.

℞. Aquae Rosarum stillatitiae uncias duas, vel 64 ,00
Gummi Arabici drachmam semis, vel . . 2 ,00
Vini opiati fermentatione parati guttas sex, circiter grana septem, vel . . . . 0 ,35
Quae tenebunt extracti Opii fere granum unum.
Misce.

2. COLLYRIUM DE SULFATE ZINCI.

℞. Sulfatis Zinci drachmam unam, vel . . 4
Aquae stillatitiae de Rosis, libram unam, vel 1,000
Alcoolis (12=22 Bé) unciam unam, vel . 52
Misce.
Quidam huic Collyrio addunt Sacchari crystallorum unciam unam, vel 52

3. COLLYRIUM DE SALIBUS IGNE FUSIS, OLIM VOCATIS *LAPIS DIVINUS.*

℞. Sulfatis Cupri puri uncias tres, vel . . 96
Nitratis Potassae puri uncias tres, vel . . 96

Sulfatis Aluminae puri uncias tres, vel . 96
In pulverem accurate redacti et mixti igne liquentur in cymbio fictili aut in crucibulo.
Liquatis adde
Camphorae in pulverem tritae drachmam unam, vel 4
Massa refrigerata, effracto vase, seponatur et servetur.
℞. Materiae sic paratae drachmam unam, vel 4
Aquae communis libras duas, vel . . . 1,000
Solve, et erit Collyrium servandum in usus.

IV. LINIMENTA.

Linimenta medicamenta ea sunt, quae cutis superficiei illinuntur, sive ipsi aut sub ipsa morbus inhaereat, sive insideat partibus inunctae regioni subjectis; quorumdam ad interna quoque, sorbente cute, videtur actio transmitti.

Plerumque inter Oleorum fluiditatem et mollitiem adipis suilli medius consistit Linimentorum lentor.

Multae ipsis admisceri possunt materiae, quarum virtutes morborum naturae accomodantur; verum omnes fere semper, ut illinantur, vel Oleo, vel Adipe solvendae sunt; saepe Sapone admixto, si difficilius Oleo commisceri queant.

Pleraque Linimenta ex tempore praescribuntur a Medicis, et sic, pro re nata parantur. Nihilominus quasdam in exemplum afferre non inutile visum est Linimentorum formulas frequentius usitatas.

1. LINIMENTUM AMMONIACALE.

(*V.* Supra inter Sapones, n° 3, p. 266.)

2. LINIMENTUM OLEOSO-CALCARIUM, AD AMBUSTA.

(*V.* supra inter sapones, n° 5, p. 267.)

Opiatum etiam fit idem Linimentum sequenti modo.

℞. Aquae Calcis libram semis, vel 250
Olei Amygdalarum dulcium libram semis, vel 250
Laudani liquidi Sydenhami drachmas duas, vel 8

Misceantur omnia et turbido sic liquore lintea madescant, ut ipsis ambustae partes involvantur.

3. LINIMENTUM SAPONACEUM OPIATUM.

℞. Tincturae Opii Alcoolicae unciam unam, vel 32
Saponis Amygdalini, unciam semis, vel . 16
Olei Amygdalarum dulcium aut Olivarum uncias duas, vel 64
aut quantum libuerit.

Soluto ope Tincturae Sapone, terendo commisceatur accurate Oleum, ut fiat Linimentum, in quo, pro re nata, varia esse potest Olei ad Tincturam ratio.

4. LINIMENTUM CAMPHORATUM.

℞. Olei Olivarum 64
Camphorae . . . . 2 ad 8
Misce accurate.

Possunt Olivo suffici Olea medicata simplicia vel composita, ut Chamaemeli, aut Hyoscyami, aut aliorum.

5. LINIMENTUM E CANTHARIDIBUS CAMPHORATUM.

℞. Tincturae Cantharidum semi-unciam, vel 16
Olei Amygdalarum dulcium uncias quatuor, vel 128
Saponis Amygdalini unciam unam, vel . . 32
Camphorae drachmam semis, vel 2

Solvatur in Oleo Camphora; ac deinde Tinctura, soluto Sapone, terendo admisceatur.

Similia parantur ex Tincturis Scillae, Digitalis purpureae et aliis.

6. LINIMENTUM HYDRO-SULFURATUM SAPONACEUM, AD SCABIEM *D. JADELOT.*

℞. Saponis communis 500
Liquescat balneo maris in vase fictili, et addantur
Olei de seminibus Papaveris albi. 250
Terendo misceantur intime, et addantur
Sulfureti Potassae sicci et in pulverem triti, 100
Terantur iterum, ut mistura fiat perfectior, addanturque inter terendum
Olei de seminibus Papaveris 750
Fiat massa lente diffluens cujus summa erit 1600
Et ratio Sulfureti ad summam Linimenti erit ut . . . . 1 ad 16

V. OLEO CERATA, ADIPES MEDICATI, UNGUENTA OLEOSO-RESINOSA.

His nominibus significantur medicamina, quae admixtis hinc Adipibus, Oleis, Cera, inde Extra-

ctis, Pulveribus, Oxidis, aut Salibus Metallicis, Resinisque aut Balsamis conficiuntur.

Haec inter quaedam simpliciora mixtis constant admodum paucis, quaedam multipliciter composita ex numerosis coalescunt.

Varia quoque in iis est densitatis soliditatisque vis, pro materiarum quibus constant natura. Mollitie tamen pleraque melli proxima sunt, ut partes ipsis obduci et inungi facile queant.

Pro materiis ex quibus conficiuntur, variis inscribi sub titulis, et diversis sectionibus annumerari possunt.

Primum genus eorum est quae, ex Oleo et Cera unitis, *Cerata* vulgo, aut, adaequato magis nomine, *Oleo-Ceràta* dici solent.

Alterum genus praecipue constat *Adipibus medicatis*, quos Pomata plerumque dixere; pars adipes habet aromaticis tantum inodoratos; pars alia conficitur Sulfure, atque etiam nuperrime Phosphoro, aut Oxidis variis, Mercurii praesertim, adipe exceptis ipsove solutis; alia constant epispaticis aut infusis adipi, aut permixtis; quaedam tandem parantur succis narcoticis adipi incoctis.

Tertium genus et caeteris solidius est, quod fit ex Resinis Oleo aut Adipi consociatis, ad quod pertinent ea praesertim quae *Balsama* aut *Unguenta* nuncupantur.

Ut autem facile admodum corrumpuntur praecipue Pomata et Cerata, frequentius innovanda sunt; et asservandi modus idem esse debet, quem Adipum Oleorumque esse diximus.

I. OLEO-CERATA SEU CERATA.

1. OLEO-CERATUM SEU CERATUM SIMPLEX.

℞. Olei Amygdalarum dulcium 12
Cerae albae purissimae 4

Leni calore, balneo maris, liquescat in oleo Cera, donec omnino soluta sit et totus pelluceat liquor. Frigescat, et, cum duruerit, deradatur et teratur in mortario marmoreo, pistillo vitreo, ut grumi, si qui supersint, omnino evanescant.

N. B. Aucta Cerae ratione, ut sit ad Oleum ut 9 ad 16, et addita ad colorem Anchusa, habebitur Ceratum paulo solidius, dictum *Pomatum ad Labia demulcenda*; cui liquato et percolato, ad odoris gratiam, Olei volatilis cujusvis aliquantulum admiscebitur; tunc infundetur in Pyxides ad hunc usum aptas, in quibus frigefactum solidescet.

2. CERATUM KINAKINA MEDICATUM.

℞. Cerati simplicis 16
Extracti de Kinakina Alcoolici, parca Alcoolis quantitate diluti 2

Terantur misceanturque intime; frigescat Ceratum et servetur ad usum.

3. OLEO-CERATUM AQUA SUBACTUM SEU CERATUM ALBUM, VULGO *CERATUM GALENI*.

℞. Cerae albae et purae 4
Olei Amygdalarum dulcium 16

Liquefiant simul leni calore in vase faventino et moveantur continuo, donec refrixerint. Dein adde sensim sine sensu, et indesinenter agitando in mortario marmoreo, pistillo ligneo,

Aquae purissimae, vel, si lubeat,
Aquae Rosarum stillatitiae. 12
Et erit Ceratum asservandum in vase faventino.

Simili modo paratur Ceratum cum Cera flava.

4. CERATUM SUB-ACETATE PLUMBI MEDICATUM, VULGO DICTUM *CERAT DE GOULARD.*

℞. Cerati Albi ut dictum est parati . . . 500
Sub-Acetatis plumbi liquidi (*Extr. Saturni*) 4
Misce accurate in mortario marmoreo.

Sub-Acetatis ratio erit ad totum Ceratum ut 1 ad 125, seu granorum viginti circiter pro unciis quatuor.

II. ADIPES MEDICATI VULGO *POMATA* DICTI.

1°. ADIPES ODORATI.

1. ADEPS ROSIS MEDICATUS VULGO *UNGUENTUM ROSATUM.*

℞. Adipis Porcini recenter praeparati et multoties Aqua Rosarum loti 1,000
Rosarum pallidarum cum calycibus recentium et contusarum 1,000

Mixtae adipi Rosae maneant per biduum; quo elapso, in eodem adipe leni calore fuso par quantitas Rosarum iterum maceretur per alterum biduum, ac denuo fusus adeps exprimatur; tum demum balnei maris calore liquescens, posita faece, purum evadet Pomatum.

Color huic adipi vel Pomato ruber conciliari potest, ope radicis Anchusae tinctoriae.

2. ADEPS LAURO MEDICATUS VULGO *OLEUM* AUT *UNGUENTUM LAURINUM.*

℞. Foliorum Lauri (*Laurus nobilis*) . . . 500

Conterantur in mortario marmoreo, pistillo ligneo, cum adipis porcini 1,000

Coquantur igne leni, donec omnis humor evanuerit.

Sub finem adde

Baccarum Lauri contusarum 500

Digerantur balneo maris vase clauso per decem horas.

Dein cola per linteum densum cum expressione; quo facto, posita faece, frigescat. Tunc liquetur denuo ut purum habeatur.

2°. ADIPES OXIDIS, SULFURE, etc., MEDICATI.

3. ADEPS SUB-CARBONATE PLUMBI MEDICATUS, VULGO DICTUM *UNGUENTUM ALBUM RHAZIS.*

℞. Oxidi albi seu Sub-carbonatis Plumbi supra porphyriten levigati 500

Adipis porcini leni calore molliti et modice diffluentis 2,500

Misce ope spatulae ligneae.

Et erit Pomatum in quo ratio Oxidi erit $\frac{1}{6}$; quod nunquam magna copia simul parandum est; facile enim rancescit.

4. ADEPS OXIDO ZINCI MEDICATUS DICTUM *UNGUENTUM DE TUTHIA.*

℞. Oxidi Zinci (vulgo *Tuthia*) sublimati et supra porphyriten levigati . . . .

Butyri Aqua Rosarum loti 16
Unguenti Rosati 16
Misce accurate in mortario marmoreo et erit Pomatum, in quo ratio Oxidi erit ut 1 ad 5.

5. ADEPS OXIDO HYDRARGYRI RUBRO ET PLUMBI ACETATE MEDICATUS.

℞. Butyri recentis Aquae Rosarum frigida loti . . . . 14 ,5
Camphorae . . . . 0 ,25
Oxidi Hydrargyri rubri . . . . 0 ,25
Super-Acetatis Plumbi . . . . 0 ,25
Accurate misceantur terendo diu et fiat Pomatum, in quo ratio tum Oxidi, tum Acetatis ad Butyrum, quo excipiuntur, erit singulatim ut . . . . 1 ad 18
Adeoque utriusque grana quatuor tenebit hujus Pomati drachma una.

N. B. Hunc Adipem, *Pomato*, dicto *Ophthalmico D. Regent*, similem, probante ut credunt analysi, proposuere, *Baup*, *Duret* (*Bulletin de Pharmacie*, 1814, *p.* 390).

6. ADEPS TARTRATE STIBII MEDICATUS.

℞. Tartratis Stibii et Potassae 5
Adipis Suilli praeparati 16
Teratur primo seorsim Tartras, ac deinde intime Adipi misceatur, terendo in mortario vitreo.

7. ADEPS MURIATE HYDRARGYRI OXYGENATO MEDICATUS, VULGO *POMATUM D. CYRILLO.*

℞. Deuto-Muriatis Hydrargyri (*Sublimati corrosivi*) 4
Adipis Suilli praeparati 32

23

Teratur primo Deuto-Murias seorsim; deinde intime Adipi misceatur terendo in mortario vitreo; quae demum mixta supra porphyriten accurate levigentur.

8. ADEPS HYDRARGYRO MEDICATUS, VULGO *UNGUENTUM NEAPOLITANUM.*

℞. Adipis Suilli loti et praeparati	500
Hydrargyri purissimi	500

Misce accurate in mortario marmoreo vel ferreo, indesinenter terendo Hydrargyrum cum tertia parte Adipis, donec fiat inconspicuus; dein adde paulatim et per vices reliquum adipem; et erit Unguentum, in quo Hydrargyri ratio erit Adipi aequalis, seu massae dimidium.

N. B. Si Adipi et Hydrargyro commiscendis terendo addideris quartam partem Unguenti jam antea praeparati, consociabuntur multo facilius, et brevi opus omne absolvetur.

9. ADEPS SEU UNGUENTUM EX HYDRARGYRO MITIUS, DICTUM *CINERITIUM.*

℞. Unguenti Neapolitani	250
Adipis Suilli	750

Misce accurate in mortario ferreo et erit Unguentum in quo Mercurii ad massam ratio erit ut 1 ad 8

10. ADEPS NITRATE HYDRARGYRI MEDICATUS, VULGO *UNGUENTUM CITRINUM AD SCABIEM.*

℞. Hydrargyri purissimi	64
Acidi Nitrici puri (32^{s})	96

Peracta Mercurii dissolutione et refrigerato liquore.

℞. Adipis Suilli repurgati et liquefacti	1,000

Tere in vase figulino paulatim affundendo liquorem Nitratis Hydrargyri supra dictum. Simul ac erunt omnia commixta, materiam adhucdum liquidam divide in formas chartaceas, in quibus paulo post indurescet in tabellas, et erit Unguentum, in quo Nitratis Mercurii ratio ad summam erit ut 1 ad 7,25.

10. ADEPS SULFURE ET AMMONIAE MURIATE MEDICATUS SEU *UNGUENTUM SULFURATUM AD SCABIEM.*

℞. Adipis Porcini praeparati	120
Sulfuris sublimati et loti	60
Muriatis Ammoniae in pulverem redacti	4
Sulfatis Aluminae et Potassae in pulverem triti	4

Misce accurate in mortario marmoreo.

12. ADEPS SULFURE ET CARBONATE POTASSAE MEDICATUS, SEU *UNGUENTUM SULFURATUM ALCALINUM AD SCABIEM D. HELMERICH.*

℞. Adipis Suilli praeparati	800
Sulfuris Sublimati et loti	200
Carbonatis Potassae purissimi	100

Misce accurate in mortario marmoreo pistillo ligneo. Serva ad usum.

13. ADEPS OPE PHOSPHORI MEDICATUS.

℞. Phosphori purissimi	1
Adipis Suilli recentis	1,000
Aquae	100

Bulliant in vase faventino aut fictili crusta vitrea obducto, donec et resolutus sit omnino Phosphorus, et aqua in vapores soluta sit tota. Liquidum Adipem

aut Phosphoro, aut Hydrogenio Phosphorato fetum colo per chartam bibulam.

Et, si libuerit, adde

Olei de Lavandula volatilis 1

Sic fiet Unguentum seu Pomatum Phosphoratum, quod in tenebris aliquantulum lucere deprehenditur.

14. POMATUM VEL UNGUENTUM NITRICUM, SEU OXYGENATUM.

℞. Adipis Suilli purissimi 500

Leni igne liquescat; adde

Acidi Nitrici (32°) 64

Supposito igne, massa assidue moveatur bacillo vitreo, donec ebullire coeperit; quod ubi fiet, statim ab igne remotam movere perge, donec cessaverint bullae. Tunc demum in modulos chartaceos effunde ut concrescat.

3° ADIPES EPIPASTICIS MEDICATI.

15. ADEPS CORTICE DAPHNES GNIDII MEDICATUS SEU *UNGUENTUM EPISPASTICUM DE DAPHNE GNIDIO*, VULGO *POMADE DE GAROU.*

℞. Adipis Porcini praeparati 320

Cerae 32

Corticis Daphnes Gnidii praeparati 128

Liquentur Adeps Ceraque simul; addatur cortex aqua aliquantulum humescens; bulliant donec humor omnis absumptus fuerit, colentur, resideant, et cum refrixerint, Pomatum abradatur sensim a summo ad imum, ac deinde teratur, ut grumis omnino careat.

16. ADEPS CANTHARIDIBUS MEDICATUS VULGO *POMATUM*, SEU *UNGUENTUM EPISPASTICUM VIRIDE STIMULANS ACRIUS*.

℞. Pulveris Cantharidum subtilissimi . .	64
Adipis Papavere medicati (vulgo *Unguentum populeum*)	1,680
Cerae albae	256
Oxidi Cupri (vulgo *Viride aeris*, Vert de gris)	24
Extracti Opii	24

Liquescant simul Unguentum Populeum et Cera, quibus, antequam refrixerint, adjungenda sunt Oxidum Cupri, Cantharides et Opium, quae supra Porphyriten, addito simul Olei pauxillo, simul usque leviganda sunt, dum intimius permisceantur; fiet Pomatum cujus summa erit . . 2,048

Et in quo Cantharidum ratio erit ut . 1 ad 32

Ratio autem tum Oxidi Cupri, tum Opii circiter ut . . . . 1 ad 85

17. ADEPS CANTHARIDIBUS MEDICATUS ALIUS, VULGO *POMATUM EPISPASTICUM FLAVUM ET MITIUS*.

℞. Pulveris Cantharidum crassius triti .	120
Adipis Suilli	1,680
Aquae	250

Liquato Adipe, diluantur Cantharides, aqua simul admixta; omnia leni igne liquida permaneant et continuo spatula moveantur per duas horas, identidemque sufficiatur aquae pauxillum in locum prioris in vapores solutae. Trajiciantur deinde per linteum et exprimantur; liquescere per-

gant calore balnei maris, additis, coloris causâ,

Radicis Curcumae in pulverem tritae 8

Et sub hoc ipso balnei calore colentur per chartam emporeticam : Colata lente frigescant, ut sensim secedat humor superfluus, postea, liquatis iterum admisceantur,

Cerae flavae 250

Tum vero gratum odorem conciliare licebit additis

Olei Citrei volatilis 8

In hoc unguento habebitur extractum Oleosum grani unius Cantharidum circiter pro uncia semis unguenti.

4°. ADIPES NARCOTICIS MEDICATI.

17. ADEPS PAPAVERE, HYOSCYAMO ET BELLADONA MEDICATUS VULGO *UNGUENTUM POPULEUM.*

℞. Gemmarum Populi nigrae recentium 500

Macerentur per quatuor et viginti horas in Adipis Porcini praeparati et liquefacti . 1,500

Serva, donec adoleverint herbae sequentes;

Tum recipe foliorum recentium,

Papaveris nigri 128

Belladonae (*Atropa Belladona*) . . . 128

Hyoscyami (*Hyoscyamus niger*). . . 128

Solani (*Solanum nigrum*) 128

Contusa omnia misceantur cum adipe et gemmis Populi. Coquantur igne moderato, identidem agitando, ad humoris consumptionem; tum cola, torculari exprime, et Unguentum defaecatum serva.

III. UNGUENTA MOLLIA, OLEOSO-RESINOSA, *BALSAMA* VULGO DICTA.

Unguenta hic speciatim diximus ea, quae sat mollia sunt ut inungi queant. Quaedam Linimentorum more partibus integris illinuntur, et vere priscum Unguentorum nomen et natura et usu merentur; alia partibus aut rumpendis, au ruptis, ulceribusque saepe apponuntur, et ab Unguentis solidis seu Emplastris eo tantum differunt, quod molliora sunt et facile extenduntur, et non obtegunt tantum partes, sed in eas vi medicata pollent evidentiori.

1. UNGUENTUM EX OLEIS VOLATILIBUS, BALSAMO PERUVIANO ET CAMPHORA COMPOSITUM, DICTUM *BALSAMUM NERVINUM.*

℞. Medullae Bovinae praeparati uncias quatuor, vel	128
Olei de Nuce Moschata concreti uncias quatuor, vel	128
Oleorum volatilium	
Rosmarini drachmas duas, vel	8
De Caryophyllis aromaticis drachmam unam, vel	4
Camphorae drachmam semis, vel	4
Balsami Peruviani sicci drachmas duas, vel	8
Alcoolis (26=36 B.) unciam semis, vel	16

Liquentur simul Medulla et Oleum concretum, et in lagenam ostio latiori patentem infundantur; addantur deinde Olea volatilia et Camphora in pulverem trita, atque Balsamum Alcoole solutum. Omnia simul liquentur balneo maris misceanturque intime, et serventur in vasis vitreis perfecte obturatis.

2. UNGUENTUM DE TEREBINTHINA ET OVORUM VITTLLIS, QUOD VOCANT *DIGESTIVUM SIMPLEX.*

℞.	Terebinthinae purae	64
	Vitellos ovorum n° 2 circiter	52

Misce diu in mortario vitreo sensim addendo
Olei Hyperici coquendo parati *quantum satis.*
Ut ex toto fiat Unguentum lente diffluens.

N. B. Vis ipsi detergendi efficacior, pro rei necessitate, addetur, admixta Melliti de Acetate Cupri (*Ung. Aegyptiacum*) varia quantitate.

3. UNGUENTUM DE TEREBINTHINA ET CERA, DICTUM VULGO *DE ALTHAEA.*

℞.	Olei de Mucaginibus	1,000
	Cerae flavae	250
	Resinae purae	125
	Terebinthinae	125

Liquefiant omnia, colentur per linteum; spatula lignea exagitentur, donec refrixerint, et fiat Unguentum.

4. UNGUENTUM DE TEREBINTHINA CAMPHORATUM, VULGO *BAUME DE GENEVIEVE*

℞.	Olei Olivarum	384
	Cerae flavae	64
	Santali rubri in pulverem redacti	16
	Terebinthinae	128
	Camphorae	2

Digerantur leni calore; Camphora vero paulo ante addatur misceaturque quam refrixerit Unguentum.

5. UNGUENTUM DE TEREBINTHINA ET ADIPIBUS, vulgo *BALSAMUM ARCAEI.*

℞. Sebi Ovilli	1,000
Terebinthinae purae	750
Resinae Elemi purae	750
Adipis Porcini	500

Liquentur simul, colentur, ut fiat Ungnentum.

6. UNGUENTUM DE STYRACE COMPOSITUM.

℞. Olei de Nucibus expressi	350
Styracis liquidae et purae	225

Liquefiant simul leni calore identidem agitando;

Sinito residere, Cola;

Adde Colophoniae purae	480
Resinae Elemi purae.	192
Cerae flavae	192

Igne modico liquatis omnibus, cola per linteum, ut fiat Unguentum.

7. UNGUENTUM DE PICE ET CERA dictum BASILICUM.

℞. Picis nigrae	32
Colophoniae	32
Cerae flavae	32
Olei Olivarum	128

Liquescant simul Pix nigra et Colophonia, quibus fusis, addantur Cera et Oleum, et tamdiu super ignem agitentur, donec permixta atque omnino soluta sint omnia; tum per linteum colentur et Pistillo li-

gneo usque moveantur, dum tantummodo tepescat Unguentum. Tum demum effundatur in vase in quibus asservandum est.

N. B. Ideo praestat Resinae Pineae Colophonia, quod, admissa, ut solitum erat prius, Resina, ex hujus humore innato, dum decoquitur, intumesceret Unguentum, mixtorumque fieret solutio difficilis; omnia vero et solvuntur plenius, et facilius absolvuntur, adhibita in Resinae locum Colophonia.

N. B. Hoc Unguentum ut stimulet acrius, addi potest pro singulis Unguenti unciis, vel pro 32
Oxidi Mercurii rubri drachmas sex, vel 2

VI. EMPLASTRA.

Iisdem fere materiis Emplastra constant, quibus et Unguenta: ita tamen perficiuntur ut non aeque incalescendo diffluant, soliditatemque obtineant quae varias induere et servare formas, partibusque aptata ad ipsas componi, atque ipsis inhaerere valeant aliquando pertinacius.

Duplum distingui debet Emplastrorum genus.

Aliud nempe conficitur ex variis medicaminibus, Adipi, Oleis, Cerae, Resinisve commixtis; neque talia ab Unguentis modo descriptis nisi soliditate discrepant.

Alterum genus ex solutis Plumbi Oxidis praecipuam mutuatur soliditatis vim; inter quae alia, aqua intermixta, alia absque ea decoquuntur. Haec ultima ignis vi nigrescunt, atque ideo, non satis apto nomine, *usta* dici solent.

Multae Emplastris admisceri possunt materiae,

ex quibus variae ipsis conciliantur proprietates. Cavendum ne in duriorem Massam ita solidescant, ut tractari facile et supra alutas aut lintea extendi nequeant.

Emplastra incorrupta diu asservari valent; temporis tamen lapsu ita exsiccantur, ut digitis tractata frangantur; et tunc ut obsoleta rejici debent.

I. EMPLASTRA OXIDIS CARENTIA SEU UNGUENTA SOLIDA.

1. EMPLASTRUM DE CERA.

℞. Cerae Citrinae	30
Sebi Ovilli praeparati	30
Picis albae	10

Liquentur simul et misceantur.

2. UNGUENTUM SOLIDUM DE CICUTA SEU EMPLASTRUM DE CICUTA.

℞. Resinae Pini	960
Cerae Citrinae	640
Picis albae	448
Olei de Cicuta coquendo parati	128
Foliorum Cicutae (*Cicuta officinalis*) recentium contusorum	2,000

Liquentur leni igne Resinae et Cera Oleo mixta, additisque Cicutae foliis, simul coquantur in Emplastrum. Huic per pannum fortiter expresso, permisceantur Aceto Scillitico et Succo Cicutae soluta et inspissata

Gummi resinae Ammoniaci	500

Misceantur omnia accurate indesinenter movendo, et habebitur Emplastrum, cujus Massa erit circiter 4,676, et quam mos est effingere in cylindros, dictos vulgo *Magdalia*, *Magdalides*, *Magdaleones*.

3. UNGUENTUM SOLIDUM DE RESINIS ET GUMMI-RESINIS VULGO *EMPLASTRUM DE MUCAGINIBUS*.

℞. Olei Mucaginum 240
Resinae Pini 96
Terebinthinae 32

Resina et Terebinthina igne liquefiant Oleo mixta, et colentur. Colatis admisce

Cerae Citrinae 1,000

Semi refrigeratis adde, postquam Alcoole (10 = 20 Bé) erunt soluta, et in mellis spissitudinem vaporando addensata,

Gummi Resinae Ammoniaci 32
Opopanacis 32

Tum admisce

Croci in pulverem triti 10

Misce accurate, ut fiat Emplastrum in cylindros effingendum cujus Massa erit 1,442.

4. EMPLASTRUM DE PICE ET RESINIS GLUTINANS, DICTUM *ANDREAE A CRUCE*.

℞. Picis albae 128
Resinae Elemi 32
Terebinthinae purae 16
Olei Laurini 16

Liquefiant moderato igne, cola per linteum, et erit Emplastrum, cujus summa erit 192.

5. EMPLASTRUM E CANTHARIDIBUS EPISPASTICUM SOLIDIUS ET TENACIUS HAERENS, VULGO *EMPLASTRUM VESICANS.*

℞) Picis albae 240
Terebinthinae purae 80
Cerae flavae 180

Liquefiant simul; trajiciantur per linteum densioris textus, moveantur aliquandiu, et ab igne remotis adde

Cantharidum in pulverem subtilissimum contritarum 125

Misce accuratissime ut fiat Emplastrum in cylindros effingendum cujus Massa aequabit 625

Ratio autem Cantharidum ad Massam erit ut 1 ad 5

N. B. Antequam cuti apponatur aluta hoc emplastro obducta, ipsi praeterea, pro Medici arbitrio, vulgo inspergitur pulvis Cantharidum non ita subtilis, cui saepe etiam Camphora admiscetur.

6. EMPLASTRUM E CANTHARIDIBUS EPISPASTICUM MOLLIUS, VULGO *VESICANS ANGLICUM* DICTUM.

℞. Emplastri de Cera (*V.* n° 1),
Adipis Suilli,
Cantharidum in subtilissimum pulverem tritarum;
aa *partes aequales.*

Liquatis emplastro et adipe, liquata Cera Oleoque soluta, remotisque ab igne, adjiciatur, antequam concrescant, Cantharidum pulvis, et accurate commisceatur.

Huic emplastro plerumque non inspergitur pulvis Cantharidum.

II. EMPLASTRA CUM OXIDIS.

1°. *EMPLASTRA CUM OXIDIS PLUMBEIS MEDIANTE COCTA.*

1. EMPLASTRUM EX OXIDO-PLUMBI SEMI-VITREO, SEU *EMPLASTRUM SIMPLEX.*

℞. Oxidi Plumbi semi-vitrei (*Lithargyri*) in tenuissimum pulverem triti 1,500
Adipis Porcini 1,500
Olei Olivarum 1,500
Aquae communis . . . . *quantum satis.*

Vasi primum immittantur Adeps Oleumque, ac deinde Oxidum; incalescant sensim, spatulaque misceantur; tum superaffusa aqua, bulliant, assidue movendo ope spatulae ligneae; aquae in vapores solutae nova identidem sufficiatur, donec solutum oxidum omnino fiat inconspicuum; tum vase ab igne remoto, cito concrescat Emplastrum ab aqua separandum, cujus Massa erit 4,500.

Oxidi autem ratio erit ad Massam ut . . 1 ad 3.

2. EMPLASTRUM SIMPLEX GLUTINANS.

℞. Emplastri simplicis 6
Picis albae 1

Liquetur Emplastrum leni calore; liquato addatur Pix et intime misceatur.

3. EMPLASTRUM EX OXIDO PLUMBI RUBRO CAMPHORATUM, VULGO DICTUM *NORIMBERGENSE.*

℞. Oxidi Plumbi rubri (vulgo *Minii*) . . . 500
Olei Olivarum 600
Aquae communis . . . . *quantum satis.*

Coque ad perfectam Oxidi dissolutionem et humoris fere consumptionem. Tum vas ab ab igne remove et adde

Cerae flavae 500

Et remoto sub finem igne, antequam concrescant, addantur

Camphorae 24

Quibus optime permixtis perficiatur Emplastrum.

Color Emplastro conciliabitur ruber, si prope jam cocto addantur Oxidi Plumbi rubri 60

Tunc erit Oxidi ratio ad Massam circiter ut 1 ad 4

4. EMPLASTRUM CUM GUMMI-RESINIS, DICTUM *DIACHYLUM GUMMATUM.*

℞. Emplastri simplicis 1,600
Cerae Citrinae 96
Picis albae 96
Terebinthinae 96

Liquefiant haec primum modico igne, tum

℞. Gummi-Resinarum Ammoniaci 32
Bdellii 32
Galbani 32
Sagapeni 32

Solvantur in

Alcoolis (10 = 20 Bé) . . *sufficienti quantitate.*

Et vaporent in mellis spissitudinem, ac deinde liquato Emplastro accurate admisceantur: Gummi-Resinarum ratio erit ad Massam Emplastri fere ut 1 ad 19

5. EMPLASTRUM SAPONACEUM.

℞. Oxidi Plumbi rubri (vulgo *Minii*) in pulverem probe triti	500
Oxidi albi seu Sub-Carbonatis Plumbi (vulgo *Cerussae*)	250
Emplastri simplicis	2,000
Cerae albae	96
Aquae communis	*quod satis.*

Coque assidue movendo ad perfectam Oxidorum solutionem. Tum vas ab igne remove et, aqua abjecta, admisce

Saponis albissimi sicci et derasi	125

Coque denuo leni igne, et erit Emplastrum, cui, ex tempore, si libuerit, Camphora addi potest.

Saponis autem ratio erit ad Massam Emplastri circiter ut 1 ad 24.

6. EMPLASTRUM DE HYDRARGYRO COMPOSITUM, VULGO *DE VIGO CUM MERCURIO EMENDATUM.*

℞. Emplastri simplicis	1,250
Cerae flavae	64
Resinae Pini	64

Quibus liquatis, plene solutis et semi-frigidis nondum vero concretis, addantur pulveres

Gummi-Resinarum Ammoniaci	20
Bdellii	20
Olibani	20
Myrrhae	20
Croci (*Crocus Sativus*)	12
Misce accurate. Interea	
℞. Hydrargyri	380
Terebinthinae purae	64
Styracis liquidae et purae	192

Terantur diu in mortario ferreo, donec Mercurius fiat inconspicuus. Quo facto, adde Emplastrum supra paratum, liquefactum, módice calens, et misce intime, ac demum, antequam concrescat, adde

Olei Lavandulae volatilis	8

Misce ut fiat Emplastrum, in quo Hydrargyri ratio ad Massam erit circiter ut 1 ad 8.

Notandum est ad conficiendum hoc Emplastrum non utendum esse cupreis, sed ferreis tantummodo vasis.

2°. *EMPLASTRUM CUM OXIDIS AQUA NON MEDIANTE.*

---

7. EMPLASTRUM FUSCUM, VULGO *UNGUENTUM MATRIS THECLAE.*

(*Onguent de la Mère.*)

℞. Olei Olivarum	500
Adipis Porcini	250
Butyri recentis	250
Sebi Arietini	250

Quibus simul fusis, fumo jam exhalante, partitis vicibus adjiciantur

Oxidi Plumbi semivitrei (vulgo *Lithargyri*) in pulverem triti 250

Quibus usque coctis, donec Massa ex fusco nigrescat, adde

Cerae flavae 180

Picis nigrae 80

Sic fiet Emplastrum.

N. B. Nisi huic Emplastro Pix nigra sub finem adderetur, ipsius superficies sensim fuscum colorem cum flavo albicante, temporis lapsu, commutaret.

8. EMPLASTRUM EX MIXTIS QUATUOR, QUAE DICUNTUR VULGO *RESOLVENTIA.*

℞. Emplastrorum Saponacei,
De Cicuta,
De Gummi-Resinis, seu Diachyri gummati,
De Hydrargyro compositi aa *partes aequales.*

Liquentur simul in cymbio fictili vitreo encausto obducto, Balnei maris calore; liquata deinde in olla ferrea intime misceantur.

VI. TELAE MEDICATAE, etc.

TELAE DICTAE *SPARADRAP, CEREOLI, GLANDES SUPPOSITORIAE.*

Hoc nomine *Sparadrap* significantur Telae Cannabinae, Lineae aut textus Sericei, aut etiam

Chartae papyraceae, quorum aut una, aut utraque facies Emplastro aliquo liquato penicillo obducta est; vel quae ipso mersa utrimque immaduere.

Ut sit bene commodeque confectum *Spadarap*, id praecipue requiritur, ut, quocumque modo ipsi inducta sit materies, tenuem, aequalem laevemque per omnem superficiem sese praebeat, textusque ipse lentus tractabilisque maneat, sitque ita glutinosus, ut et cuti adhaerescat facile, et ab ea sic detrahi possit, ut ablatum materia obducta sequatur tota, et nullis cutem deturpet vestigiis.

Quaedam instrumenta praeparandis hisce Telis apta inventa sunt, quae describere hujus loci non est; omnia autem quaecumque sint, peritis assuefactisque aeque succedunt.

Emplastra, *Diachylum gummatum*, *Norimbergense*, *Simplex*, etc., Cerata ipsa plerumque in hoc Telarum genere conficiendo usurpantur; sunt tamen quaedam composita, quae in hunc usum, in simpliciorum vulnerum cura, vulgo et commode satis abhibentur, quorum formulas hic exarare non extra rem nostram visum est.

1. TELA SEU SPADARAP VULGARE.

℞. Cerae albae minutim concisae	64
Olei Amygdalarum dulcium	32
Terebinthinae	8

Liquefiant simul balneo maris. Pro tempestate aut Medici judicio, ratio Cerae et Olei major vel minor esse potest: inde parentur Sparadrap secundum artem.

2. SPARADRAP EX EMPLASTRIS.

℞. Emplastrorum simplicis	. . . . . .	15
De Gummi-Resinis, seu Drachyli Gummati	. .	15
Cerae Flavae	. . . . .	5
Terebinthinae	. . . .	5

Liquentur simul balneo maris, et supra Telas extendantur.

3. CHARTA CERATA.

Cerae purae et albae	. . . .	48
Terebinthinae purae	. . . .	48
Olei Ceti concreti (vulgo *Spermaceti*)	.	32

Liquefiant simul balneo maris, et spatula vel alio instrumento ad id aptiori extendantur super chartulas.

4. SERICUM, DICTUM *ANGLICUM*.

℞. Ichthyocollae Selectae	. . . .	64
Aquae communis	. . . .	250
Alcoolis (12=22 Bé)	. . . .	500

Ichthyocolla in frustula concidatur; digeratur aqua, in vase fictili faventino, supra arenam; soluta per linteum coletur; admisceatur demum Alcool, vaporentque omnia leni igne ad dimidias; iterum cola.

Tunc Serico in fascias secto probeque extenso, penicilli ope, liquor tepidus leviter inducatur. Quo siccato, iterum atque tertio, imo si praestet, quater et quinquies illinendus est.

Odoris gratia conciliabitur adhibita Peruviani balsami tinctura, quam eodem modo licebit inducere, ea tamen cautela, ut, cum sicca fuerit, ultimo Ichthyocolla obducta contegatur. Quibus plene pera-

ctis sericum sic praeparatum siccescere oportet per viginti quatuor horas, ac deinde dividi in quadrulas.

5. SERICUM EPISPASTICUM, *D. GUILBERT PHARMACOPOEI PARISIENSIS.*

℞. Corticis Daphnes Gnidii	24
Bulliant in Aquae	1,500
Trajice per incerniculum, adde	
Cantharidum in pulverem tenuissimum redactarum	24
Myrrhae in pulverem tritae	24
Euphorbii in pulverem triti	24

Incalescant donec bulliant; tunc cola per linteum duplicatum nondum usu attritum; eo demum usque decoctum vaporando addensetur, ut ipso facile Sericum cera jam illitum penicillo possit obduci.

Mensuram dedimus hac in formula talem, quae sufficiat obducendo serico quadrato tria decimetra lato.

N. B. Curandum est sericum istum, ubi sat siccum videbitur ut tractari facile possit, aëri expositum, ne remaneat diutius, sed illico convolutum chartis includatur, et sic servetur. Hac scilicet arte, lentore proprio revolubile et usque tractabile, nunquam siccitate nimia aut fissuris dividetur, aut in squamas dissiliet.

CEREOLI.

Haec Medicamina praecipue apta sunt curandis urethrae morbis; formantur in cylindros una parte crassiores paululum, altera tenuiores, crassitie caeterum varia, sed ea tamen quae nunquam fere scriptorii calami tenuioris mediocritatem excedat. Longitudo non est supra centimetra septem et viginti.

Conficiuntur Cereoli ex Telis in fasciolas dissectis, tenuioris textus, obducto Emplastro aliquo leviter utrimque illitis. Fasciolae istae convolutae eodem instrumento levigentur, quo cerarii solent nitorem candelis inducere cereis.

Quidquid Emplastrorum est aut Unguentorum quae solida sunt, modo nimis non induruerint, Cereolis informandis coaptari valet; perfectiores habentur qui lenti, flexiles, nitentes, et aequaliter obducta materie, enodes obtinentur.

Quandoque, priusquam in usum adhibeantur, Cereoli liquidis immerguntur, quae, pro morbi natura, diversimode praeparata praesto esse debent.

GLANDES SUPPOSITORIAE.

Id Medicamentorum genus in anum immitti solet. Sebum arietinum soliditate aemulantur. Crassities earum varia est; in conum scilicet ductae, modo calamum scriptorium aequant, modo ad auricularis digiti crassitiem accedunt.

Sapo, Sebum Vervecinum, Oleum concretum de seminibus Cacao, Mel in soliditatem huic usui aptam coctione addensatum, vulgo ad has Glandes efformandas adhibentur.

Saepius, antequam in anum immittantur, liquoribus medicatis inficiuntur, quae requisito effectui respondeant.

Sapo cultello exsecari debet in convenientem formam.

Oleum concretum de seminibus Cacao, Sebumque Arietinum liquefieri debent calore sufficienti, et sic in conos infundi chartaceos aut papyraceos.

Glandes demum suppositoriae, quae ex Melle decocto constant, inter digitos volutari et sic in debitam formam effingi possunt.

VII. ESCHAROTICA.

DE CATHAERETICIS ET ESCHAROTICIS.

Escharotica medicamenta, quae, si remissius agant, *Cathaeretica* dicuntur, ea sunt quae vel inurendae cuti apta sunt, vel carnes ulcerum luxuriantes, flaccidas, in fungos excrescentes exedunt, aut in Escharas vertunt mox deciduas, ubi ipsas ferro exsecare non licet.

Sales alkalini, Acida, Oxida metallica quae adurendi vi pollent, plerisque Escharoticis conficiendis materiem praebent praecipuam. Mollia alia sunt, solida alia, liquida permulta. Formam quoque diversam induere debent, pro variis corporis partibus et locis, et pro requisitis tum efficacia, tum agendi modo.

1. TROCHISCI ESCHAROTICI.

℞. Muriatis Hydrargyri corrosivi	8
Amyli	16
Mucaginis Gummi Tragacanthae	*quod satis.*

Fiant Trochisci, quibus addi poterunt, si lubet, guttae aliquot Laudani liquidi.

Ratio Muriatis ad Massam major paulo est quam 1 ad 5.

2. TROCHISCI ESCHAROTICI DE MINIO.

℞. Oxidi Plumbi rubri (*Minium* dictum)	16
Muriatis Hydrargyri corrosivi	32

Medullae panis exsiccatae et in pulverem tritae 128
Aquae Rosarum . . . . quod satis.

Fiant secundum artem Trochisci oblongi, in seminis avenacei formam efficti.

Muriatis ratio in ipsis est ad Oxidum duplex, ad Massam autem ut 2 ad 11.

3. MASSA CAUSTICA D. ROUSSELOT, QUAM VULGO ADSCRIBUNT *F. COSME*, A *D. DUBOIS* EMENDATA.

℞. Oxidi Arsenici albi 2
Sulfureti Hydrargyri rubri in subtilissimum pulverem aqua mediante triti 32
Resinae Sanguis-Draconis dictae 16

Omnia seorsim trita asserventur, et eo tantum quo requiruntur tempore misceantur intime in mortario vitreo; atque, ubi ulceribus mox imponenda sunt, Pulveris hujus ea copia, quae sufficere videbitur, supra discum faventinum aut porcellaneum, admixta, ut solent, saliva, vel, si praestare videbitur, gummi ita soluto ut aqua inde aliquam viscidiatem contrahat, ope spatulae ita subigatur et coëat, ut accedat ad mollitiem massae triticeae in panificiis praeparatae. Sic demum Massa haec apta est curandis ulceribus cancerosis.

N. B. Sulfureti pulvis aqua mediante ita teri debet, ut pars ejus subtilior, aqua ob tenuitatam suspensa et ipsi innatans, tantummodo excipiatur, ut praescriptum est de parandis pulveribus, n° 17, pag. 20. Ea enim tenuitate tantum aptus fiet ad parandum hanc Massam. Talis ex Batavia Cinnabarinus pulvis ad nos advehitur, machinis paratus ad id opus aptissimis (vide ea de re optime scriptum libellum a D. Patrix. *Didot aîné*, 1816).

Nulli autem concedatur haec Massa nisi ex legitima praescriptione notoque asserta chirographo.

Ratio Oxidi Arsenici ad totum pulverem erit ut

1 ad 25.

. . . .

. . . .

4. ALUMEN IGNE EXSICCATUM, DICTUM VULGO *ALUMEN USTUM.*

℞. Sulfatis Aluminae et Potassae crystallorum
. . . . *quantum opus est.*

Excipiantur patella fictili nullo encausto obducta, et igne admoto, sensimque aucto, intumescat Alumen, donec siccum penitus evaserit.

5. POTASSA IGNE FUSA, DICTA *LAPIS CAUSTICUS.*

V. Sect. VII. ALKALIA, pag. 208, n° 9.

6. NITRAS ARGENTI FUSUS, DICTUS *LAPIS INFERNALIS.*

V. Sect. VIII. SALES, NITRATES, pag. 248, n° 6.

7. OXIDUM HYDRARGYRI RUBRUM, DICTUM *MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.*

V. Sect. VII. OXIDA METALLICA, pag. 218, n° 12.

8. DEUTO-MURIAS STIBII SUBLIMATUS, OLIM *BUTYRUM ANTIMONII* DICTUM.

V. Sect. VIII. SALES, MURIATES, pag. 240, n° 14.

9. MIXTURA, SEU SOLUTIO CATHAERETICA, DICTA *COLLYRIUM LANFRANCI.*

℞. Vini albi generosi	500
Aquarum Plantaginis	96
Rosarum	96
Sulfureti Arsenici flavi (vulgo *Auripigmentum*)	8
Oxidi Cupri viridis, gallice *Verd de gris*	4
Myrrhae	2 ,6
Aloës	2 ,6

Tere diu in mortario vitreo et serva ad usum. Mixturae totius summa erit . . . 709 ,2

Ratio Sulfureti Arsenici ad mixturam totam erit ut 1 ad 88 ,65; Ratio Oxidi Cupri ut 1 ad 177 ,30.

10. MELLITUM DE CUPRO ACETATUM, VULGO *UNGUENTUM AEGYPTIACUM.*

V. Sect. V. MELLITA, pag. 165, n° 8.

11. ACIDUM SULFURICUM ALCOOLISATUM, VULGO *EAU DE RABEL.*

V. Sect. VIII. ACIDA ALCOOLISATA, pag. 230, n° 3.

12. AQUA MERCURIALIS.

V. Sect. VIII. NITRATES, pag. 248, n° 4.

VIII. SUFFUMIGATIONES.

Quaecumque determinato caloris gradu in vapores solvuntur, ad Suffumigationes parandas apta sunt.

Aqua simplex,

Aqua aromatibus odorata,

Aqua quaedam,

Alcoolata de vegetantibus et animalibus odoratis,

Tincturae Aethereae,

Combustorum fumi, ut Chartae papyraceae, Sacchari, Linteorum, etc.

Sulfur, Cinnabaris, aliaeque ex mineralibus desumptae materiae, igne volatiles, ad suffumigandum adhiberi possunt.

Verum ut variae in singulis deprehenduntur vires, nec idem ex omnibus fumus exhalat, Medici officium est ea indicare ex quibus Suffumigatio aptior haberi possit, sive in atmosphaeram late spargenda sit, sive illa toti corporis superficiei, vel alicui tantum parti sit aptanda.

Aliae autem medicatae vere dici possunt et magistralibus medicamentis annumerari debent; aliae ad fetidos odores vincendos tantum valent; aliae demum adhibentur ad corrigenda, aut absumenda vitia, quibus aër inficitur, unde restituatur purus et salubris.

1°. SUFFUMIGATIONES MEDICATAE inter Magistralia tantum recenseri debent, atque adeo sive materiem spectes, sive artificium vapori regendo destinatum hoc in Codice locum obtinere nequeunt.

2°. SUFFUMIGATIONES AD FETOREM VINCENDUM.

1. FUMI EXCITANTES ET TONICI.

℞. Sacchari, Coffeae, Benzoini, vel Succini, Cascarillae, vel Santali Citrini, aut Baccarum Juniperi, aut Pastillorum odoratorum . . . *quod volueris.*

Injice supra batillum, patellam, aut sartaginem fere incandescentem. Cito exhalabunt vapores fuliginosi et aromatici, qui, per aërem sparsi, miasmata fetida extemporali efficacia vincere queunt et vires aliquatenus excitare, at neque contagiis adversari, neque aëri sinceritetem permansuram conciliare possunt, imo ipsum necessario heterogeneis vaporibus inficiunt, non semper, si copiosiores fuerint, innocuis.

2. PASTILLI ODORATI.

℞. Balsamorum aqua prius decoctorum, ut acido volatili, careant

Benzoini	16
Peruviani sicci	16
Santalini Citrini (*Santalus albus*) . . .	4
Labdani	1
Carbonis Tiliacei	96
Nitratis Potassae	2

Omnia in pulverem subtilissimum trita, intime mixta, ope mucaginis Gummi Tragacanthae, coëant in Massam plasticam, informandam in conos, basi in tripodem dilatata, in clibano leni calore exsiccandos.

3°. SUFFUMIGATIONES ANTISEPTICAE AD AERIS VITIA CORRIGENDA.

3. SUFFUMIGATIO GUYTONIANA.

℞. Muriatis Sodae in pulverem triti . . .	56
Oxidi Manganesii (gallice *Manganèse*). .	8
Aquae communis	32

Misceantur in patella vitrea, vel in vase faventino, et supra affundantur

Acidi Sulfurici (66^{g})	32

Mox exhalabunt vapores albi, qui copiosius erumpent, si materies moveatur bacillo vitreo, vel porcellaneo.

Nota. Cubiculum in quo suffimentum exhalat istud, nemine ibi stante, perfecte claudendum est; neque portae fenestraeve aperiendae sunt ante semihoram.

Mensura materiarum supra praescripta apta est cubiculo octodecim pedes lato longoque, et decem circiter alto, vel, mensura in cubum ducta, 3240 pedum cubicorum capaci, seu metrorum 111,058; adeoque, pro locorum amplitudine augenda vel minuenda est suffimenti materies.

5. SUFFUMIGATIO SMITHIANA.

℞. Acidi Sulfurici (66^{g})	64
Aquae purissimae	32
Nitratis Potassae purissime in pulverem triti	64

Acidum aqua remixtum, fervore post mixturam cessante, excipiatur patella vitrea aut fictili, supra

cineres calidos, aut arenam, modico igne supposito. Sic leniter incalescat acidum, cui tunc Nitras Potassae injiciatur partitim, ut, postquam Gaz singulis vicibus emanare cessaverit, nova iteretur Nitratis injecti, et sic nulla Gaz Nitrosi pars Nitricum vaporem inficiat.

APPENDIX.

Omissa quaedam, aut quae potiori methodo possunt confici.

1. EXTRACTUM CICUTAE CUM FAECULA,

(*Vid. p.* 175, *n°* 5.)

℞. Cicutae officinalis . . . . *q. lubet.*
Contunde et succum exprime. Cola per telam textus densioris. Divide effundendo in orbes planos faventinos, in vaporario reponendos sub calore 35 ad 40 (43,75 ad 50 centig.). Ubi succus eo vaporaverit usque dum siccus evaserit, aut saltem in mollitiem constiterit pilulis aptam, eximatur et servetur ad usum, vase clauso.

Eodem modo parantur:

Extracta

Aconiti (*Aconitum Napellus*),
Belladonae (*Atropa Belladona*),
Fumariae, etc. (*Fumaria officinalis*).

2. EXTRACTUM ALCOOLICUM DE NUCE VOMICA.

(*Vid. p.* 185, *n°* 24.)

(*Strychnos Nux Vomica.*)

Cum multo major vis hujus extracti resinosi observetur cum alcoole paratur puriori; in locum

illius quod indicavimus alcoole parandum 12=22 Bé hic subjungendum duximus extractum paratum alcoole 22=32 Bé, quale in Caritatis nosocomio ad curandas paralyses a D. Fouquier usurpatur.

℞. Nucis Vomicae (*Strychnos Nux Vomica*) 12
Alcoolis (22=32 Bé) . . . . . *quantum satis.*

Digeratur nux in Alcoole, tamdiu renovando, dum novus Alcool nullo demum colore nulloque sapore inficiatur; tunc mixtae tincturae omnes per chartam bibulam trajiciantur. Destillent deinde donec quinta pars tantum supersit, quam tandem, sub balnei maris calore, in densitatem pilulis aptam vaporare curabis.

Habebitur sic extractum Alcoolicum aequans totius nucis partem duodecimam.

N. B. Nulli committatur hoc extractum nisi ex praescriptione legitima justoque obsignata chirographo.

3. DE EMETINA AD EMESIM TOTI IPECACUANHAE SUBSTITUENDA. (*Vid. p.* 178, *n°* 12.)

Ex quo Emetina per Ipecacuanhae analysim eruta est, ea ipsa in locum Ipecacuanhae ipsius suffici potuit ea ratione, quae totius Ipecacuanhae emeticam vim optime repraesentaret. Ita scilicet ut, si *Cephaelidem* velis, Emetina totius sit radicis circiter $\frac{1}{6}$ aut 0,16; si *Psychotriam* habeas, eadem sit totius $\frac{1}{7}$ aut 0,14.

Igitur in Ipecacuanhae ipsius locum solutam aqua Emetinam, multo minori aegrorum cum nausea, usurpare licet, ad totius Ipecacuanhae partem circiter sextam aut septimam.

Sic in formula nostra potionis emeticae, pag. 83, n° 6, aqua solvi possunt.

Emetinae grana quatuor, aut 0,2

Pro Ipecacuanhae cinericiae granis viginti quatuor, vel 1,2

In Syrupi autem ex Ipecacuanha parati formula, p. 149, n° 1, solvi potest

Emetina ad drachmas decem, seu . . . 40

Pro Ipecacuanhae cinericiae libra semis, vel 250

Atque eadem servari poterit ratio in quibuscumque Ipecacuanha admittitur formulis, ut potione ad pertussim p. 90, n° 8, et in pastillis p. 304, n° 10, etc. si videbitur.

4. EXTRACTA EX OPIO MATERIES *MORPHINA* DICTA, AUTORE D. *ROBIQUET*. *(Ad. p.* 186, *cum n°* 26.)

℞. Opii purissimi minutissime dissecti . . . 300

Macerentur per dies quinque

In Aquae communis 1,000

Cola. Colato liquori adde

Magnesiae purae, omni acido liberae . . 15

Bulliant per horae minuta decem. Inter bulliendum secedet sedimentum granosum, cinereum, copiosum. Totus liquor cum sedimento in chartaceum colum conjiciatur, ut quidquid erit sedimenti omnino secernatur. Istud deinde frigida eluatur tamdiu, dum effluat aqua colore fere expers. Siccetur sic lotum sedimentum.

Siccum idem leni calore digeratur in

Alcoolis (12=22 Bé) . . . . . *quantum sufficit.*

Alcool, ubi colorem sedimenti, quantum licet, absumpsit, coletur; et quod sedimenti Alcoole calido digesti residuum est, Alcoole ejusdem notae frigido eluatur, donec Alcool vix coloratus effluat.

Tum demum residuum hoc sedimentum teneatur per aliquot horae minuta in Alcoole (22=32 Bé) purissimo et bulliente.

Liquor colatus, dum frigescet, ponet crystallos Morphinae leviter coloratas. Novus et ejusdem semper notae Alcool ter quaterque cum residuo sedimento bulliat, colatusque idem frigescendo ponet similes crystallos, singulis vicibus pauciores.

Ut candidissimam Morphinam demum obtineas, sufficiet ut omnem purissimo Alcoole (26=36 Bé) bulliente solvas; tunc eo frigescente subsidet in crystallos colore fere expertes; colore ipso cum aliquantula Morphina in Alcoole superfluo permanente.

EXTRACTIO MORPHINAE JUXTA METHODUM *D. SERTUERNER*

(*Ann. de Chym. et et Phys. Juillet* 1817, *p.* 275.)

℞. Extracti Opii 500
Dissolvatur Aquae . . . . . *suff. quantitate.*
Ut frigefactum notet in areometro 8^d.
Cui tunc affunde
Ammoniae liquidae (22^d) 160

Scilicet ut tantillum superet Ammonia. Illico subsidet materia gelatinae similis cito auferenda; totusque liquor particulis implebitur crystallinis, subcinereis, floccorum specie fundum petentibus. Liquore colato, crystalli charta emporetica excepti eluantur, siccescant. Ipsi deinde solvantur Acido Sulfurico (66^g), calenti, quod ante dilues Aquae Stillatitiae quantitate octies majori. Tantum autem Acidi adhibeatur, quantum sufficit ut habeatur Sulfas Morphinae. Ex hoc Sulfate, Ammonia iterum affusa, praeceps agetur Morphina pulverulenta, candidissima, Alcoole (22^g) eluenda. Mox ea solvatur bulliente Alcoole (36^g). Solutum percolabis, ad crystallos deduces, ut dictum est, et servabis ad usum.

Ex parata alterutra methodo Morphina conficiuntur Sulfas et Acetas Morphinae *sequenti* modo:

Sulfas Morphinae. (*Ad Sulfates, p. 247, sub. n° 11.*)

℞. Morphinae 6
Aquae stillatae 12

Diluatur aqua Morphina, ipsique affundatur paulatim Acidum Sulfuricum duplici aquae quantitate remixtum, donec inde charta colorata neutram in partem immutetur.

Vaporet liquor, ponatque crystallos, quas servabis ad usum.

Morphinae Sulfas in ramulosas crystallos concrescit.

Acetas Morphinae. (*Ad Acetates, p. 253, sub n. 7.*)

℞. Morphinae 4
Aquae stillatae 8

Diluatur sedulo in cymbio porcellaneo Morphina, addaturque

Acidi Acetici (10[5]) . . . . . *quantum sufficit*, donec aliquantulum ruborem induat immersa charta ex Crotone caerulea. Vaporet liquor ad Syrupi densitatem, et hypocraterio exceptus lente vaporare pergat, aut ad solem, aut in calidario. Salem in pulverem tritum serva. Acetas Morphinae nullo crystallorum ordine concrescit.

5. ACIDUM HYDROCYANICUM. (*Ad Acida, p. 202, sub n° 19.*)

JUXTA METHODUM SCHEELIANAM.

Acidum Hydrocyanicum seu Prussicum, Scheeliana methodo paratum, cum nuperrime in usus medicos adducere, suadente D. *Magendie*, quidam non dubitaverint medici, hanc methodum hic proferre necesse visum est.

℞. Cyanureti Ferri (*Bleu de Prusse*) . . . 128
Deutoxidi Hydrargyri (*Précipité rouge*) . 64
Aquae stillatae 500

Bulliant in cymbio porcellaneo, per horae quadrantem, perpetuoque moveantur. Colentur, per chartam trajiciantur, et quod residuum superest eluatur in

Aquae stillatae bullientis 128

Liquores misceantur hydrargyri Cyanureto feti; laguncula que exceptis adjiciantur

Scobis Ferreae in tenuissimum pulverem laevigatae 96

Acidi Sulfurici (66°) 24

Soluti in Aquae stillatae 24

Mixta commoveantur, et per horam integram, laguncula ipsa aquae frigidae immersa, subsidat sedimentum Hydrargyrum tenens.

Tunc liquor, constans Sulfate ferri et Acido Hydrocyanico solutis, ingeratur in retortam superius tubulatam; arenae impositam; cujus collo aptetur vas intermedium (*allonge*), et huic excipulum sphaericum tubulatum, ac demum tubus cujus crus extremum excipiatur laguncula aqua plena. Juncturae luto conserantur, excipulumque linteis aqua madidis continuo frigescat.

His ita dispositis, incalescat liquor donec bulliat, excipianturque liquoris stillatitii . . 192

Ut autem liquor colore aliquo saepius non caret, ipsi adjiciantur

Carbonatis Calcis 8

Iterum destillet et habeantur tunc solummodo

Liquoris stillatitii acidi 128

Hoc acidum asservandum est in lagunculis charta nigra extus glutinata obductis.

N. B. Nulli detur hoc Acidum nisi ex praescriptione legitima, justoque obsignata chirographo.

RATIO CERTIOR AD IDEM ACIDUM PARANDUM A D. ROBIQUET PROPOSITA.

(*V. Journal de Pharmacie*, *Mars* 1818, *pag.* 107.)

Verumtamen, cum multis de causis saepe incerta evadat et constitutio et vis hujus Acidi Scheeliani, imprimis quod Cyanuretum Ferri non semper sincerum sit, nec sibi perpetuo constet; certiori et tutiori modo idem parare docuit D. *Robiquet*; scilicet ex Acido Hydrocyanico puro, juxta methodum D. *Gay-Lussac* praeparato, aquae pari quantitate remixto. Hanc methodum, etsi notam satis, ne quis subrepat error, hic exponendam duximus.

Habeatur retorta tubulata, cujus rostro aptetur tubus vitreus latior, marmore contuso et Muriate Calcis igne fuso plenus, ex quo tubus alius angustior in campanulam exeat mixtura frigerante circumdatam.

Tunc in retortam injiciatur Cyanuretum Hydrargyri, tantumque Acidi Hydrochlorici superaddatur, quantum sufficit ut supereminεat ad digiti altitudinem unius. Tum modice sensimque incalescat retorta, ut Acidum Hydrocyanicum lente admodum expediatur, atque ita, Muriatis et Carbonatis Calcis ope, aqua omni et acido Hydrochlorico transeundo spolietur. Quod tunc purum in campanula, sub ambiente frigore, facile colligitur, densitate 0,700 aequante, ac deinde pari aquae stillatae quantitate remixtum certius ad requisitam Scheeliani Acidi densitatem, scilicet ad 0,900, adducetur, tutiusque ad medicos usus, guttatim instillatum potionibus, certa ponderis ratione admiscebitur.

RATIO ALIA EXPEDITIOR SIMPLICIORQUE AD PARANDUM ACIDUM IDEM HYDROCYANICUM A D. VAUQUELIN PROPOSITA.

℞. Cyanureti Hydrargyri 100
Aquae stillatae 800

Solvatur leni calore Cyanuretum, et per liquorem ita transmittatur Acidum Hydrosulfuricum, ut tantilum superet quod saturando sufficit. Coletur liquor, ut liberetur Sulfureto Mercurii quod praeceps actum est. Liquori colato inest Acidum Hydrocyanicum, cui admixtum est non nihil Acidi Hydrosulfurici. Hoc autem ipsum facile auferetur admixto Plumbi Subcarbonate, ita ut hujus pulveris quantitas superet quod sufficit ad sorbendum Acidum Hydrosulfuricum. Liquor et pulvis una identidem exagitentur, ac demum percolentur. Habebitur tunc Acidum Hydrocyanicum aqua solutum et alienis omnino liberum, eaque densitate qua Scheelianum ipsum.

Quibusdam medicis cum placuerit syrupum Hydrocyanicum praescribere, non descripta formula, sequenti modo paratur idem in majori nosocomiorum officina.

℞. Syrupi simplicis 9
Acidi Hydrocyanici praedicto modo parati . 1

Misceantur intime et excipiantur laguncula probe obturanda.

6. OXIDUM FERRI NIGRUM. (*P* 215, *sub n° 2 bis.*)

JUXTA METHODUM D. GUIBOURT IN MAGNA NOSOCOMIORUM PHARMACOPOEA USITATAM.

℞. Scobis Ferri 4,000
Aut. . . . . *quantum libuerit.*

Teratur in mortario; excipiatur vase late patente testaceo, ipsique aqua affundatur tamdiu, donec eluta penitus scobe effluat limpidissima. Tunc scobe compressa, inclinato vase, exstillet aqua per aliquot horae minuta; ac demum, vase reposito, spatula ferrea scobe moveatur saepius, ipsique addatur identidem tantum aquae quantum opus erit ut humescat. Elapsis diebus quatuor aut quinque, ferrum eluetur, ut Oxidum Ferri nigrum aqua dilutum efferatur, secedat, aqua percolata secernatur, exprimatur, et in clibano ad siccitatem perducatur.

N. B. Id praesertim curandum est, ut ea aquae copia ferro semper inhaereat, qua nec superficies unquam desinat humescere, nec inclinato vase aqua ferrum deserere possit atque effluere. Haec si cura habeatur, brevi se expediet gaz hydrogenium, odore proprio dignoscendum; eaque ipsa die massa incalescet ad gradum 30 centigr. (24 Reaum.); altera ad 36 centigr. (28 $\frac{4}{5}$ Reaum.), tertia fere ad 50 centigr. (40 Reaum.): nempe oxygenio ex aqua in Ferrum cedente; neque ultra dabitur calorem progredi. Qui quidem gradus ut perstet, massa saepe movenda est, nec superare humorem nec deficere sines, alioqui non aeque perficietur opus. Quinque diebus elapsis, pars ferri magna in oxidum conversa est, calorisque decrescit gradus. Tunc eluenda est massa, oxidoque aquam sequente, quod Ferri superest, iterum et in oxidum verti et incalescere eadem ratione valet, et iterum post totidem dies elui. Hac methodo facile intra paucos dies magna Oxidi Ferri nigri quantitas parari poterit, eoque praestantior, quod mediantibus tantum aqua et ferro conficietur.

METHODUS NOVA AD PARANDUM TARTRATEM POTASSAE STIBIATUM.

(*Juxta Pharm. Edinensem ad annum* 1813)

Parandus est primo Sub-Sulfas Stibii sequenti modo:

7. SUB-SULFAS STIBII. (*Ad Sulfates, p.* 247, *sub n°* 10.)

℞. Stibii	500
Acidi Sulfurici (66°)	750

Incalescant in vase figulino identidem agitando, cavendo ne vaporibus Acidi Sulfurosi os naresque invadantur, tamdiuque pergatur, donec mixta colorem ex albo cinereum induerint; eluatur accurate materies ut acido omni careat superfluo. Servetur quod superest; et erit Sub-Sulfas Stibii.

8. TARTRAS STIBII ET POTASSAE. (*Ad p.* 255, *sub n°* 8 *bis.*)

℞. Sub-Sulfatis Stibii loti	1,000
Super-Tartratis Potassae in pulverem triti	1,000
Aquae stillatae communis	*quod sufficit.*

Aqua solvatur Super-Tartras Potassae in olla ferrea vel pelve argentea; tunc partite injicias Sub-Sulfatem Stibii. Bulliant simul donec liquor gradum in areometro 20 attigerit, densitatem scilicet 1161. Coletur et lente frigescat liquor. Subsident crystalli Tartratis Stibii et Potassae purissimae, albissimae, nullis admixtis heterogeneis. Quibus positis, residuus etiamnum si vaporet liquor, novae crystalli minus albae subsident, quas iterum solvendo purissimas obtinebis.

9. CYANURETUM HYDRARGYRI. (*Ad p.* 259, *sub n°* 5.)

(*Antehac Prussias Hydrargyri.*)

Cum Cyanuretum Hydrargyri utiliter usurpatum sit in quibusdam morbis, autore D. Chaussier, nec non ad parandum quoque acidum Hydrocyanicum inservire possit, ejus parandi modum hic afferre non inutile visum est. Cyanuretum hoc nulli concedendum est, nisi ex praescriptione legitima justoque Chirographo.

℞. Cyanureti Ferri (*Bleu de Prusse*) . . 500
Oxidi Hydrargyri rubri (*Précipité rouge*) 250
Trita in pulverem excipiantur vase fictili.
Quibus adde
Aquae stillatae 3,000
Bulliant saepius agitando spatula ferrea, trajicianturque per chartam emporeticam.
Residua materies eluatur in Aquae bullientis 500
Mixti liquores vaporent, donec pellicula innatet. Tum secedent crystalli Prussiatis, seu Cyanureti Hydrargyri; quas saepius solvendo, vaporandoque puras obtinebis.

10. TELA DICTA *MAIA* (*Toile de Mai*). *Ad p.* 379, *sub n°* 1 *bis.*)

℞. Cerae albae 750
Olei Amygdalini 250
Alcoolis debilioris (12—22 Bé) 125
Butyri recentis 250
Cera Alcoole soluta, Butyro ac deinde Oleo commixta, liquentur leni calore omnia intimeque misceantur; liquatis calentibusque immergantur Telae, intra duplicem cylindrum, ut exprimantur, transmittendae.

INDEX

Praeparatorum juxta Formulas in Codice conscriptas.

NOTA. Medicamentorum praeparatorum tituli genuini *rotundis*, nomina non satis usitata, aut vulgaria, aut obsoleta *italicis*, seu inclinatis litteris indicata sunt. Ubicumque plura, sub eadem formula, eodem modo parabilia sunt, formulae caput *majusculis*, quae formulam sequuntur eamdem *minoribus* litteris distinguuntur.

A.

D.

E.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

